COMMENTARIA
CVM QVAESTIONIBVS
In Tres Libros
DE ANIMA ARISTOTELIS.

F. MICHAELIS ZANARDI,
Bergomatis ex Vrgnano: S. Theol. Lectoris
Sacri Ordinis Prædicatorum.

Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſsimo D. D.

F. AVGVSTINO GALLAMINO.
S. R. E. CARDINALI.
Dicata.



VENETIIS. M DC XVII.

Apud Ambroſium, & Bartholomęum Dei, Fratres.

Superiorum permiſſu, & Priuilegÿs.

D. O. M.

ILLVSTRISSIMO

ac Reuerendiſſimo D. D.

F. AVGVSTINO

GALLAMINO

S. R. E. CARDINALI

De Ara Cęli nuncupato.

DOMINO SVO COLENDISSIMO.

F. Michael Zanardus Bergomenſis ex Vrgnano: in Conu. S. Dominici Venetiarum S. Theol. Lector primus: Ord. Præd. S. P. D.

D*VM noctes meæ (dicam ſi licet) ſæpius ductæ inſomnes, per annos trigintaduos, Philoſophiæ, Theologiæ multiſque alijs ſcientijs operam dando lucem tandem quęrunt. Et dum dies mei laborioſi viginti annorum, cum dimidio, quibus continuato curſu, Philoſophiæ, ac Theologiæ Lectoris officio functus, Baſellæ, Mediolani, Veronæ, Cremonæ, ac tandem Venetijs aliqualem quietem petunt. Tu Illuſtriſſime, & Reuerendiſſime mi Domine Cardinalis ampliſſime in primis occurriſti, quippe qui, luce doctrinæ, dignitatis, ac ſanctitatis tuæ, has meas obſcuras noctes illuſtrare vales, ac tuta, & firma tua protectione his meis laboribus ſecuritatem, ac tutelam*

afferre poſes. Has ergo claritatis tuæ luce perfunde, hos meos ſudores tuere. Tibi enim Commentaria, ac quæſtiones meæ in Libros de Anima Ariſt. modo conſacro, quoniam a multis annis animum meum tibi dicaui. Quapropter hæc mea, quæ tua ſunt, perpetua tua benignitate foue.

Dat. Venetijs in Conuentu Sancti Dominici die. 16. Octobris 1616.

APPRO

NOS F. SERAPHINVS SICCVS S. THEOLOGIÆ Magiſter, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Generalis, & ſeruus.

CVM certi facti fuerimus te R.P.Fr. Michaelem Zanardum de Vrgnano, Sacræ Theologiæ Lectorem, Ordinis noſtri, multa Commentaria edidiſſe, ac Quæſtiones quamplures in Philoſophiam Ariſt. ac in plura D. Thomę opera compoſuiſſe, quę ſi typis mandentur non parum legentibus proficient, ſupplicatumque nobis fuerit, vt tibi licentiam imprimendi concedere vellemus. Petitionibus tuis annuere volentes, harum ſerie noſtri auctoritate officij, facultatem tibi Reuerendo P. Frat. Michaeli Zanardo de Vrgnano, Sacræ Theologiæ Lectori concedimus, vt ſupradicta Cōmentaria, & Quæſtiones typis mandare valeas, ſeruatis tamen prius omnibus ſeruandis, quæ a Sacro Concilio Tridentino decernuntur, & quæ ab omnibus noſtris conſtitutionibus, & ordinationibus Capitulorum generalium ſtatuuntur, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Datum Venetijs die 29. Iulij 1615.

Fr. Seraphinus Siccus qui ſupra.

Regiſtrat. fol. 25.

Fr. Io. Baptiſta Boſſius de Capriata. Magiſter & Socius.

APPROBATIONES.

EGo Fr. Remigius Scroſa Lector Ord. Prædicatorũ, ac Magiſter ſtudij in Conuentu S. Auguſtini de Padua, ex commiſſione Reuerendiſsimi P. Generalis Fr. Seraphini Sicci Papienſis, opus vere aureum in tres Libros Ariſtot. de Anima, Fr. Michaelis Zanardi Lectoris eiuſd. Ord. ſatis attente perlegi, quod mihi opus Catholicum, pium, lectuque digniſſimum viſum eſt, ab facilitatem, ac profunditatatem, dignumq; cenſeo, quod in communem vtilitatem typis excuſsum in lucem prodeat.

Dat. Patauij die 7. Iulij 1616.

F. Remigius Scropa Lector, & Magiſter ſtudij, qui ſupra.

EGo F. Ioan Petrus Aſtorius Venetus, Conuentus SS. Io. & Pauli Prior, Sacræ Theologię Magiſter, Ordinis Prædicatorum. Vidi, ac diligenter examinaui Commentaria cum Quæſtionibus in tres Libros de Anima Ariſtot. R. P. F. Michaelis Zanardi de Vrgnano, Lect. Theol. ex cõmiſſione Reuerẽdiſs. P. F. Seraphini Sicci Papiẽſis, totius Ord. Prædicatorum Generalis Magiſtri, & Adm. R. P. F. Io. Dominici Vignutij, Sac. Theol. Magiſtri, Inqu. Generalis Venetiarum, cumque in eis nihil fidei contrarium, aut bonis moribus diſſonum repererim, digna impreſſione cenſui.

Dat. in Conu. SS. Io. & Pauli Venetiarum, die 16. menſis Iulij. 1616.

F. Ioan. Petrus, qui ſupra.

EXaminaui Commentaria, ac Quæſtiones in tres Libros de Anima Ariſtotelis, R. P. F. Michaelis Zanardi, Lectoris Theologi, ego F. Hippolytus di Cignano, Sacræ Theologię Lector, & Prior Cõuentus Sancti Dominici Venetiarum, cumque in eis nihil fidei, vel bonis moribus contrarium repererim, immo facilitatem, ac ſecuritatam Doctrinæ Angelicæ ea redolere cognouerim, digna impreſſione eſſe cenſui.

Dat. Venetijs die 15. Octobris 1616.

Ita eſt, Ego F. Hippolytus Prior, & Lector, vt ſupra.

VIſa ſupradicta approbatione, admitto ſupradicta Commentaria Impreſſioni.

F. Io. Dominicus Vignutius, Magiſter, Generalis Inquiſit.

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM PRIMI LIBRI DE ANIMA.

Quaſt. 1. *VTrum de Anima ſit ſcientia.* pag. 3.
2 *Vtrum ſcientia de Anima ſit vna.* 5
3 *Vtrum ſpectet ad Phyſicum.* 6
4 *Vtrum anima ſit ſubiectum in Libris de Anima.* 7
5 *Vtrum ſcientia de Anima ſit de numero bonorum honorabilium.* 8
6 *Vtrum excedat omnes ſcientias nobilitate ſubiecti, et praſtantia demonſtrationis.* 10
7 *Vtrum ſit vtilis ad alias ſcientias.* 14
8 *Vtrum ſit de numero difficillimorum.* 15
9 *Vtrum ſit vna via inueſtigandi quod quid eſt.* 16
10. *Vtrum vniuerſale aut nihil ſit, aut poſterius ſit.* 17
11. *Vtrum accidentia magnam partem conferant ad cognoſcendum quod quid eſt.* 18

Index Quæſtionum Secundi Libri.

1 *VTrum ſubſtantia ſufficienter diuidatur in materiam formam, & compoſitum.* 22
2 *Vtrum Anima ſit actus primus corporis phyſici organici, potentia vitam habentis.* 24
3 *Vtrum dentur plures formæ in compoſito.* 28
4 *Vtrum in homine dentur plures formæ per eſſentiam differentes, &c.* 35
5 *Vtrum anima vniatur corpori per ſe, & immediate.* 38
6 *Vtrum vna anima ſit perfectior alia.* 41
7 *Vtrum anima ſit quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus primo.* 51
8 *Vtrum omnis anima ſit indiuiſibilis.* 55
9 *Vtrum anima ſit tota in toto, & tota in qualibet corporis parte.* 62
10 *Vtrum in parte deciſa animalis annuloſi remaneat anima.* 62
11 *Vtrum anima ſit in capillis, & vnguibus.* 65
12 *Vtrum ſit in ſanguine, & partibus fluuidis.* 66
13 *Vtrum quinque ſint genera potentiarum animæ.* 70
14 *Vtrum potentiæ diſtinguantur per actus, & actus per obiecta* 74
15 *Vtrum naturaliſſimum ſit omnibus viuentibus generare ſibi ſimile.* 80

16 *Vtrum*

16 *Vtrum virtus augmentatiua, generatiua, & nutritiua ſint diuerſæ potentiæ animæ vegetatiuæ.* 88
17 *Vtrum alitum patiatur a nutrimento.* 91
18 *Vtrum ſenſus ſit potentia paſſiua.* 92
19 *Vtrum ſenſus ſcientiæ.* 94
20 *Vtrum ſit neceſſe ponere ſenſum agentem.* 96
21 *Vtrum ſcientia ſenſibilium poſſit in actum exire, ſine exteriori ſenſibili.* 97
22 *Vtrum ſenſus ſit ſolum in potentia ad actum ſecundum.* 98
23 *Vtrum ſenſus decipiatur circa proprium ſenſibile.* 102
24 *Vtrum ponendæ ſint ſpecies ſenſibiles.* 104
25 *Vtrum ſenſibile ſufficienter diuidatur in ſenſibile proprium, commune, & per accidens.* 106
26 *Vtrum ſenſibilia communia per ſe immutent ſenſum.* 109
27 *Vtrum viſibile, ſeu color ſit proprium obiectum viſus.* 116
28 *Vtrum color ſit per ſe viſibilis.* 119
26 *Vtrum lumen habeat eſſe in medio reale, vel intentionale.* 121
30 *Vtrum ſonus poſſit fieri in aere, & in aqua.* 123
31 *Vtrum Eccho ſit idem numero ſonus cum primo.* 123
32 *Vtrum ſonus ſit qualitas diſtincta a motu ſoni.* 123
33 *Vtrum ſonatiuum ſit bene definitum.* 127
34 *Vtrum aer incluſus in aure ſit immobilis.* 129
35 *Vtrum aer ſecundum ſe ſit inſonabilis.* 129
36 *Vtrum vocis definitio ſit recte aſſignata.* 132
37 *Vtrum ſit eadem vox quæ a pluribus auditur.* 132
38 *Vtrum homo peius odoret cæteris animalibus.* 134
39 *Vtrum ſenſus tactus ſit excellentior in homine.* 135
40 *Vtrum molles carne, ſint apti mente.* 136
41 *Vtrum odor habeat eſſe reale in medio.* 238
42 *Vtrum ſit proprium homini odorare cum reſpiratione.* 139
43 *Vtrum guſtus diſtinguatur a tactu.* 139
44 *Vtrum ſenſus tactus ſit vnus.* 141
45 *Vtrum caro ſit medium in ſenſu tactus.* 144
46 *Vtrum medium externum ſit neceſſarium in ſenſu tactus.* 147
47 *Vtrum bona ſit definitio ſenſus.* 150
48 *Vtrum inanimata patiantur ab odore &c.* 151
49 *Vtrum ſit idem odorare, quod pati ab odore.* 152

Index Quæſtionum Tertij Libri.

1 *Vtrum ſint tantum quinque ſenſus exteriores.* 153
2 *Vtrum tactu percipiamus omnes qualitates tangibiles.* 153
3 *Vtrum ignis dominetur in aliquo ſenſorio.* 153
4 *Vtrum terra dominetur in tactu.* 154

Vtrum.

5 Vtrum ſenſatio ſit propter calorem. 154
6 Vtrum ſentiamus per medium internum. 154
7 Vtrum ſit rectus diſcurſus Ariſtotelis. 154
8 Vtrum ſex ſint ſenſibilia communia. 154
9 Vtrum caro ſit medium in omni ſenſu. 154
10 Vtrum ſenſus exteriores ſint reflexiui ſupra ſe. 156
11 Vtrum ſenſibile, & ſenſus ſimul generentur, &c. 158
12 Vtrum aliqua ſenſibilia ſenſum lædant. 158
13 Vtrum recta ſit ſimilitudo ſenſus ad intellectum. 162
14 Vtrum intus exiſtens prohibeat extraneum. 162
15 Vtrum intellectus poſſibilis ſit pura potentia. 164
16 Vtrum intellectus vniatur homini vt forma. 167
17 Vtrum ſit vnus intellectus, & vna anima intellectiua, in ſingulis hominibus. 174
18 Vtrum intellectus poſſibilis poſſit ſeipſum cognoſcere. 177
19 Vtrum ſingulare directe cognoſcatur ab intellectu. 181
20 Vtrum quidditas rei materialis, ſit obiectum intellectus noſtri. 181
21 Vtrum ſit neceſſarium ponere in intellectu ſpecies intelligibiles. 184
22 Vtrum ſpecies, intelligibiles concurrant effectiue, &c. ad intellectionem. 185
23 Vtrum intelligere ſit pati formaliter, & cauſaliter. 188
24 Vtrum detur intellectus agens. 192
25 Vtrum intellectus agens illuſtret phantaſmata, per qualitatem intimam. 196
26 Vtrum intellectus agens faciat intelligibilia in potentia, intelligibilia in actu. 201
27 Vtrum intellectus agens intelligat. 201
28 Vtrum intellectus agens eliciat ſpecies &c. 202
29. Vtrum intellectus agens ſit ſubſtantia ſeparata. 205
30 Vtrum anima noſtra ſit immortalis. 208
31 Vtrum veritas, & falſitas ſint in intellectu. 227
32 Vtrum intelligere ſit neceſſario per conuerſionem ad phantaſmata. 231
33 Vtrum ratio ſit alia potentia ab intellectu. 234
34 Vtrum ratio inferior, & ſuperior ſint diuerſæ potentiæ. 235
35 Vtrum intelligentia ſit alia potentia ab intellectu. 236
36 Vtrum intellectus ſpeculatiuus, & practicus ſint diuerſæ potentiæ. 236.
37 Vtrum ſynderesis ſit ſpecialis potentia animæ. 236.
38 Vtrum conſcientia ſit quædam potentia animæ. 237.
39 Vtrum potentiæ animæ intellectiuæ realiter ab anima diſtinguantur. 238.
40 Vtrum potentiæ animæ effectiue ſint ab anima. 241.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

Accidentia iuuant noſtrā cognitionem ex parte noſtri. 18

Actus duplex, primus, et ſecū dus. 21

Aer inſeruit auditui 125. Vt eſt immobilis in aure. Nō ſonat agitatus naturaliter vſq; ad auditū. 128. Aer immobilis in aure cauſat bonū ſonum. 129. Secūdum ſed eſt inſonabilis. 130. Eſt medium in olfactu. 135

Alimenti conditiones. 84. In principio eſt contrarium alito, in fine non. Tripliciter conſideratur. 85.91

Anima conſideratur in communi & in particulari. 3. De Anima habetur ſciētia. 5. Vna ſpecie. 6. Phyſica. 7. Eſt ſubiectum in libris de Anima. 8. Triplex. 6. Habet paſſiones. 7. Eſt ſubſtantia. 23. Eſt actus primus corporis Phyſici &c. Explicatur hæc definitio. 25. 26. Vna eſt in compoſito. 37. Anima intellectina eſt quo, & quod. 39. Vna eſt perfectior indiuidualiter altera. 42. Eſt actus corporis quo viuimus &c. 52. &c. Animæ perfectorum animalium ſunt indiuiſibiles. 58. Eſt tota in toto, & tota in qualibet corporis parte. 63. &. 64. Reperitur in capillis & vnguibus. 66. In ſanguine, ac partibus fluuidis. 67. &c. Eſt veluti figura 69. Eſt cauſa corporis in triplici genere cauſæ. 79. Scit, & intelligit; Eſt ſeparabilis. Patitur perfectiue. 162. Non eſt immerſa materiæ. Eſt ſeparata vt intellectiua. Et immaterialis. Et illimitata. Vnitur corpori vt forma. 169. Non eſt vna anima nec vna intellectus in ſingulis hominibus. 176. Eſt perpetua, & immortalis. 208

Animalia omnia habent tactū. 49. Sunt diuerſi generis. 50 Animalia perfecta duplicia. 58

Animalia annulloſa viuunt poſt ſeparationem. 64. Animalium varius ortus. 81

Appetitus triplex. 69

Augumentatiua, et nutritiua differunt. 89. 90

Augumentum eſt obiectum nutritiuæ, augumentatiuę, & generatiuæ. 89

Auditus impedimenta. 126

B

Bonum triplex. 9

C

Cognitio fit per abſtractionē. Etiam ſi ſit cognitio potentiæ ſenſitiuæ, 150. Duplex cognitio directa, & reflexa 178.

Color eſt viſibilis per ſe in primo modo 115. ſumitur communiter, & propriæ 117. facit omnia videre 117. Nō videtur ſine diaphano 118. Color permanens eſt per ſe viſibilis. Cum lumine 119. Eſt ſecundum ſe viſibilis 120. Non ſine diaphano 118.

Compoſitio duplex Phyſica, & Metaphiſica. 37

Corpora ſunt in triplici differentia. 22

D

Democriti opinio de augumento rerum reprehenditur, 84

Diaphanum eſt ſuſceptiuum extranei coloris 113. Videtur colore externo, 115. Eſt ſuſceptiuum coloris, 117. Eſt potentia proxima ad lumen. Diffinitur. 118

Difficultas cognoſcendi duplex. 15

Diffinitio dicitur cōis dupliciter. 21. Definitio ſecunda animæ demonſtrat primam 53

Doloris cauſæ. 70

Ecchon

Ecchon cauſatur ex reflexione vocis. 122.
Empedoclis opinio de neceſſitate rerũ repręhenditur. 83

F

Finis triplex cuius, cui, & quo. 79
Formę plures non dantur in compoſito 31. &c. Forma vnitur materiæ nudæ. 37. Formæ quædam ſeparabiles, & quædam inſeparabiles 49. Formarum triplex genus. 58

G

Genera animarum tria. 72
Generans generat ſibi ſimile, ſi ſit perfectum, non orbatum, nec ſponte genitum. 79
Generatio eſt opus animæ vegetatiuæ. 78.
Generatiua & nutritiua ad vegetatiuam pertinent. 86
Gradus viuendi quomodo conſiderandi. 49
Guſtus eſt quidam tactus. Cum humiditate. Senſorium eius debet eſſe humidum. 138. Diſtinguitur a tactu. 139

H

Homo male odorat, ſed tactum habet certiſſimum 133. Melius odorat quo ad delectationem. Non quo ad intenſionem.
Homo vt animal excedit in tactu, ſuper alia animalia 135. Odorat cum reſpiratione. 137

I

Ignis eſt cauſa inſtrumentalis augumenti. 84. Maxime nutritur. Quomodo dicatur augumentabilis in infinitum. 85
Illuminatio eſt diſpoſitio neceſſaria ex parte materiæ ad viſionem. Vt conditio ſine qua non. 120
Intellectus differt a ſenſu 97. ibi Eſt immixtus. Non habet organum ibi. Eſt in potentia ad intelligibilia 163. Eſt pura potentia in genere intelligibiliũ. In ordine ad ſpeciem, & ad actum in telligendi 165. Eſt ſeparatus. 168. Aliquo modo ſe directe cognoſcit 179. Eſt potentia, & ſpecies actus 180. Patitur intelligendo 189. &c. Concurrit principaliter ad intellectionem 187. Eſt totum principium intellectionis 188. Datur intellectus agens. Eius cõditiones 191. Transfert rem materialem ad eſſe immateriale 189. Non eſt habitus primorum principiorum. Non eſt lumen, vel cõicatũm 194. Aliquo modo intelligit, & eſt pars animæ 201. &c. Vtitur phantaſmatibus vt inſtrumentis ad producendas ſpecies intelligibiles 204. Non eſt ſubſtantia ſeparata. 206. &c.
Intelligere eſt quoddam pati. 158
Intelligentium triplex genus. 178

L

Lucida de nocte quomodo videantur 117. Sunt maxime actiua 118.
Lumen non eſt corpus. 114
Lux, lumen, radius, & ſplendor diſtinguuntur. 115. Lux videtur, vt terminatur ad corpus opacum. 116.

M

Molles carne ſunt apti mente. Arguitiue. 136

N

Natura eſt determinata ad vnum, & quomodo. 49
Naturaliſſimum eſt generare ſibi ſimile. Explicatur. 80. &c.
Neceſſitas duplex abſoluta, & finis. 84
Nutritio, augumentatio, & generatio dupliciter ſumuntur. 88

O

Obiectum imprimit ſpeciem, & cauſat ſenſationem 96. Obiectum intellectus noſtri duplex 182. Conditiones eius ibidem.
Odor habet eſſe reale in medio proximo, intentionale in remoto. 137
Odoratus mali cauſæ. 134
Olfactus eſt idem ſpecie in omnibus animalibus. Fundatur in ſicco. Materia odorum eſt humidum ſaporoſum calido coniunctum. Non eodem modo. Attribuitur aquæ, aeri, & igni 155.
Phan-

P

PHantaſmata dupliciter conſiderari poſſunt. 175. phantaſmatum illuſtratio qualis 193. &c. Vt illuſtrata poſſunt dici intelligibilia in actu. 201
Potentiæ animæ quibuſdam omnibus inſunt, & quibuſdam non 69. Vt paſſiuæ diſtinguuntur per obiecta; vt actiuæ per principia 71. &c. Diſtinguũtur per actus, & obiecta 75. &c. Potentia duplex. 93
Propoſitiones tenẽdę de fide de anima. 1

Q

QVidditas rei materialis eſt obiectũ intellectus noſtri. 181. &c.
Quodquid eſt dupliciter conſideratur. Venatur. 16. Præcipue compoſitione 17.

R

REcipiens recipiendo patitur 95. Debet eſſe denudatum a natura recepti. 163

S

SAnguis eſt animatus. 67
Sapores extremi ſunt dulce, & amarum. 139
Scientiæ definitio, & explicatio, & conditiones 4. Scientia practica ordinat ſcire ad opus. 9. Vna ſcientia eſt altera nobilior obiecto, & certitudine 10. Scientia de anima vide Anima. Excedit alias 11. Vocatur hiſtoria. Eſt vtilis ad alias ſcientias 13. 14. Eſt difficilis. 15
Semen eſt de ſuperfluo alimenti. 85
Seminatiua duplex. 90
Senſus eſt potentia paſſiua 92. 99. perfectiua 93. Si eſſet actiuus ſe ſentiret 94. Senſus agens non datur. 96. Eſt ſolum in potentia ad actum ſecundum. Eſt ſingularium 98. Non errat circa proprium ſenſibile. 102. Recipit ſpecies ſine materia 149. Senſus exteriores ſũt tantum quinque 154. Percipit omnes differentias obiecti. Senſus communis primo non ſentit. 155. Senſus exteriores cognoſcunt ſuas ſenſationes. Imperfecte 157. Senſus & ſenſibile ſimul generantur. Læditur ab improportionato obiecto. 158
Senſibile duplex, commune, & propriũ, & per accidens 107. Communia non per ſe immutant ſenſum 109. &c. Excellens corrumpit ſenſum. 149
Species actuant intellectum, & informant. 95. Neceſſariæ ſunt 105. Diffinitur. 184. Eſt ſimilitudo obiecti 186. Differt ab expreſſa. 187
Sonantia ſunt in triplici differentia. 122
Sonus in actu, & in potentia. Requiſita ad ſonum. 121. Generatur ſucceſſiue. Eſt auditus, & medij. Soni perfecti conditiones 122. Poteſt generari in aere, & aqua 124. Fit ex percuſſione duorum corporum ſolidorũ. 126

T

TActus eſt vnus ſenſus ſpecie. In vno innominato. In genere ſenſibiliũ 142. Caro eſt medium in tactu 145. In tactu cadit medium externum. Eſt potentiæ qualitatum tangibilium. Eſt etiam intangibilium. Inter tangens, & tactum cadit medium. 148
Totum triplex. 57
Tripliciter aliquid dicitur indiuiſibile ſecundum quantitatem. 51

V

VIſibile eſt quod videtur, vt coloratum 113.
Viſio fit intramittendo. 93
Viuendi modi quatuor. 49
Vniuerſale quadruplex. Eſt quid poſterius. Scitur. Fit ab intellectũ 17. Quomodo. 18
Vox ſolum conuenit animatis. Habentibus ſanguinem cum conditionibus 130. Inſtrumẽta eius ſunt decem. Eius diffinitio, & explicatio 131. &c. Eadẽ eſt vox quæ a pluribus auditur 132. Immutat intentionaliter. 133
Vtile duplex. 14

F I N I S.

COMMENTARIA
CVM QVÆSTIONIBVS:
In primum Librum de Anima.
F. MICHAELIS ZANARDI.

LECTIO PRIMA.

IN præſenti lectione prohemiali, duo principaliter mihi agenda erunt. Primo enim, quædam tãquam præambula erunt prælibanda. Secũdo erit quæſtio vna delucidanda, videlicet. An de Anima poſſit haberi ſcientia.

Propoſitiones de fide tenendæ.

Quo ad primum, primo notandũ venit, quod ſunt aliquæ propoſitiones, & difficultates in Philoſophia, & ſpecialiter in hac parte, quæ fide tenendæ ſunt; vnde, cum a ſacris concilijs, & etiam a veritate inuitati, ac coacti ſimus, eas ſoluere, & veritatem ipſam aperire, ne contingat error, eas in primis proponam.

Non eſt una anima, nec unus intellectus in omnib. hominibus.

Prima ergo propoſitio fide tenenda hæc eſt: Anima rationalis, & intellectus nõ eſt vnus numero, in oĩb. hoĩb. ſed diuerſis ſuppoſitis, aſſignãtur diuerſæ, & diſtunctæ animę numero, & diuerſi numero intellectus. Hæc propoſitio determinata eſt in Concilio Lateranenſi, celebrato anno Domini 1513. & ponitur contra Auerroem, de cuius opinione habebimus diſputationem in tertio.

Vna eſt aĩa intellectiua ĩ homine.

Secunda propoſitio de fide, hæc eſt. Vna eſt anima intellectiua in homine.. Hæc ponitur contra Manichæos. Galenum lib. Quod mores animæ &c. & lib.7. de decretis Ariſt, & quendam Didimum, qui ponebant in homine duas animas, vnam ſenſitiuam, ſanguini admixtam, alteram intellellectiuam, ſeparatam. Ponitur etiam hæc ſententia contra Ocham in 4.q.7. & alios tenentes tres eſſe animas diſtinctas in homine, vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem. Quæ opinio quãtum diſcordet a vero, infra ſimiliter diſputabitur. Nam in octaua Synodo generali habentur hæc verba. Cum vetus, & nouum teſtamentum, & omnes Eccleſiæ patres vnam animam rationalem in homine aſſeuerent, ſancta, & vniuerſalis Synodus, contrariũ tenentes anemathizat. Sed quidam, Ocham, & Maironẽ in 2. d. 17. q. vnica excuſant, & Mirandulanum lib.33. de euerſione ſingularis certaminis ſec. 2. dicentes, Synodum damnare eos, qui duas animas rationales in homine poſuerunt, non qui tres, diuerſi generis. Sed excuſatio nõ bene quadrat, quia Synodus damnat pluralitatem omnem animarum in hoĩe, iuxta illud Gen. 2. Et inſpirauit in eũ ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem, nota ly in animam, & non in animas. Hæc etiam ſententia videtur eſſe cõtra Concilia, & patres, ponentes verbum æternum aſſumpſiſſe corpus, & animã, humanitatemque, Chriſtũ in vna tantum ſpecie conſtituentes, & non in triplici propter tres animas. Nam quælibet anima ab alia ſeparata, vnum compoſitum conſtituit.

Anima unitur corpori ut forma. Tertia propoſitio de fide eſt. Aīa rationalis vnitur corpori, vt forma dans eſſe; Hæc ponitur contra Platonem, tenentem; Animam corpori vniri, vt Nauta vnitur Naui, quod idē ſenſit Gregorius Niſenus lib. 1. de Anima ca. 5. (ſi Toleto credendū eſt) Sed hæc ſimiliter confutata eſt in Cōcilio Vienēſi ſub Clemente quinto, & habetur in Clem. 1. de ſumma Trinit. & fide Catholica, & in Lateranenſi tertio ſeſſione 8. Eſt quoque contra Ariſt. 1. de Anima text. 90. 1. Ethic. cap. 6. & 12. Metaphy. text. 16. & 17.

A ſolo Deo creatur. Quarta eſt: Anima rationalis a ſolo Deo creatur: Nam hæc eſt differentia inter productionem cæterarum formarum, & Animæ rationalis; Quod aliæ formæ à Deo producuntur, mediantibus cauſis particularibus; Anima vero rationalis a ſolo Deo immediate creatur. Hæc ponitur contra duos errores. Primus fuit Tertulliani, aſſerentis: Animam filij, produci ab Anima patris. Secundus fuit eorum, qui dixerunt, quod animæ producebantur ab Angelis, vt fuerunt Hermias, & Seleucus Galatæ. Et quamuis opinio Tertulliani non videatur damnari à D. Auguſtino, ſub damnatione hæreſis; Tutius tamen dicitur, ſapere hæreſim. Primo quia habemus ex ſymbolo: Deum eſſe creatorem rerum viſibilium; & inuiſibilium, ſub quibus continentur Animæ. Secundo, quia Leo Papa in Epiſt. 91. dicit animam a ſolo Deo incorporari.

Non eſt corporea. Quinta. Anima eſt ſpiritus, neque eſt corporea, neque ex corporibus, vel ex rebus corporeis conflata. Hæc habetur Luc. 23. In manus tuas Dñe cōmēdo ſpiritū meū. Et probatur: qa eſt actus corporis, & principiū motus & ſenſus eius. Ergo nō erit corpus actuatū motū &c. Et ponitur contra Platonē, qui (teſte Ariſt. primo huius, textu 45.) dicebat, animam eſſe ex elemētis compoſitam. Ponitur etiam hæc concluſio contra Zenonem. Hypaſſum, Item contra Parmenidem, qui eam fecit ignem, & Anaxagoram, Anaximenem, & Anaximandrum facientes eā aerem. Et Democritum, Leucippum, & Pithagoram faciētes eam minutiſſimos athomos, in aere per feneſtram ingredientes. Et Empedoclem facientem eam ſanguinē. Et Critias eam conſtituentem mixtam ex humore, & ſanguine, & Tertullianum, qui videtur eam facere quintum corpus, præter quatuor elementa, &c.

Non eſt Dei ſubſtantia. Sexta. Animā non eſt Dei ſubſtantia, vel ex Dei ſubſtantia; Hæc habetur a Concilio Bracar. primo, capite quinto; vbi taliter ſentientes damnātur anathemate: Et ponitur ex D. Auguſt. hæreſi 46. & 70. & D. Hieronymo epiſto. ad Marcellinum contra Manichæos, & Priſcilianiſtas hæreticos. Item contra Carpocratem apud D. Ireneum lib. 1. aduerſus hæreſes. Cauſæ autem erroris horū fuit apud D. Thomam p. 1. q. 90. artic. 1. Prima, quod exiſtimauerunt Deum eſſe corpus, & omnia alia a Deo effectā corporea. Et ſecunda, quia putauerunt cognoſcentem debere aſſimilari cognito, quod non eſt verum in eſſe rei, ſed intētionali. i. in Speciebus quæ ſunt ſpirituales, vt etiam eſt anima.

Non eſt ante corpus creata. Septima. Anima non eſt creata ante corpus; ſed ſimul cum corpore. Et habetur a Leone in Epiſt. 71. contra Priſcilianiſtas. Et ponitur etiam contra Origenem, tenentem: Animas ante corpora creatas; ſed in corporibus ex quibuſdā demeritis fuiſſe immiſſas, veluti in carceribus.

Eſt immortalis. Octaua. Anima eſt Immortalis & perpetua. Et habetur ex Euang. & ponitur contra Saduceos, & multos alios, de qua opinione longam habe-

habe-

habebimus diſputationem in tertio, &c.

Non migrat de corpore ad corpus.

Nona. Animæ poſt ſeparationem ab vno corpore, non tranſeunt ad aliud corpus. Hæc habetur ex ſcriptura. Et ponitur contra Pithagoram, & ſuos diſcipulos, &c.

Rationes contra immortalitatē animæ ſunt friuolæ.

Decima. Rationes cõtra immortalitatem Animæ ſunt vanæ, & ſolubiles. Et habetur a Cõcilio Lateranẽſi. Et hæ propoſitiones pro nunc ſic inſulſe pertractatæ ſint, quia ſuo loco fere omnes adamuſim examinabuntur, &c.

Secundo notandum, quod omnia illa in hac ſcientia ſeruantur, quæ authore Auerroe ſeruanda ſunt in initio cuiuſcunque ſcientię; ſed nec opus eſt ea repetere; quia iam iſta examinauimus in initio Phyſicæ auſcultationis, quę etiam huic parti deſeruiunt, &c.

Notandum ſolum ſecundum S. Thomam hic in lectione, quod libri de Anima præcedunt illos, qui ſunt de animalibus, quia cõmuniora præcedunt minus communia: Sed quæ hic de Anima traduntur communiora ſunt, quę deinde magis determinantur, & limitantur, ad corpora animata, in libris de animalibus, igitur: &c.

QVAESTIO I.

Vtrum de Anima ſit ſcientia.

QVoad ſecundũ principale, quęritur: Num de Anima poſſit haberi ſcientia, & videtur, quod non. Nam omne intelligibile, eſt ſenſibile (authore Ariſtotile in libro de ſenſu, & ſenſato.) Sed Anima noſtra non eſt ſenſibilis, cum ſit ſpiritualis. Ergo &c.

Secundo. Scientia, aut eſt de ente in anima, aut de ente extra animam, Sed hęc ſcientia non eſt de ente, nec in anima, nec extra animam, ergo. Probatur minor. Non eſt de ente in anima, quia nihil eſt in ſeipſo: Nec de ente extra animam, quia nullum ens eſt extra ſeipſum; &c.

Tertio. Cognoſcens debet eſſe denudatũ a natura cogniti. Sed Anima non eſt denudata a ſeipſa, ergo. Maior eſt Ariſtotelis in tertio. Minor eſt clara.

Quarto. Omne quod cognoſcitur, cognoſcitur per aliquam ſimilitudinem: Sed Animæ nulla eſt ſimilitudo, igitur. Maior eſt Phyſ. in tertio. Probatur minor: Similitudo cauſatur a fantaſmate: Sed animæ nullum eſt fantaſma, cum non ſit ſenſibilis, &c.

Quinto. Si Anima cognoſceret ſeipſam, mouens eſſet idem, quod motum, & agens, quod patiens: Hoc falſum per Philoſophum ſeptimo Phyſicorũ, ergo. Probatur maior. Quia intellectus recipiendo patitur.

Sexto. Tunc Anima eſſet cognita, & cognoſceret: Sed hoc videtur proprium intelligentiarum, ergo, &c.

Septimo. Vna eſt ſcientia de toto, & parte, ergo hæc non erit alia ſcientia a ſcientia corporis animati, quę eſt de toto, &c.

Octauo. Scientia eſt de aliquo toto, Sed Anima non eſt totum, ſed pars, ergo, &c.

Pro dilucidanda hac quæſtione opere pretium prius erit iacere neceſſaria fundamẽta. Deinde concluſio intenta erit probãda, & tertio ſoluenda erunt omnia argumenta, &c.

Anima conſidera in communi, & in particulari.

Quoad primũ primo præmittendum eſt, quod de anima dupliciter loqui poſſumus; Primo in particulari, quærendo an de hac, vel illa anima; verbi gratia de vegetatiua, ſenſitiua, vel intellectiua huius, vel illius ſit ſciẽtia. Secundo in communi, & in vniuerſali de aĩa. ſ. vt ſic, non diſtinguendo pro nunc, vtrum de intelle-

ctiua, vel ſenſitiua &c. ſit ſermo, & in hoc ſecundo ſenſu proponitur præſens quæſtio; quamuis de vnaquaq; ſuo loco agendum veniet, &c.

Scientiæ definitio, & explicatio.

Secundo notandum, quod ſcientia a Philoſopho primo Poſter. ſic diffinitur. Scientia eſt habitus, cõcluſionum, ex demonſtratione acquiſitus; At hæc propoſitio, bifariam intelligi poteſt; Primo præciſe, vt ſit ſenſus, quod ſcientia ſit ſolum concluſionis habitæ ex demonſtratione, & hoc eſt falſum; Secundo vt dicatur eſſe concluſionis; ſed non ſolum, verum etiã ſubiecti; & hoc verum eſt. Nam de concluſione habemus ſciẽtiam, ſicut de eo, de quo aliquid ſcitur; vt de homine quod ſit riſibilis, quia rationalis; de ſubiecto vero, ſicut de eo, de quo aliquod prædicatum ſcitur, vnde eſt quærere. Vtrum anima ſit ſubiectum demonſtrationis, de quo poſſit aliquod prædicatum ſciri, & conſequenter de ea ſit ſcientia, &c.

Scientiæ conditiones.

Tertio notandum, quod præcipuæ conditiones ſcientiæ, & ſcibilis tres ſunt, Prima, quod ſcibile ſit vniuerſale; nam vniuerſalium, & non ſingularium eſt ſcientia (teſte Ariſtotele primo Poſt.) Secunda, quod hoc tale ſcibile habeat proprietates, & paſſiones proprias, ex octauo Metaphiſicæ. Tertia, vt inſuper habeat cauſas, & ꝓpria principia, ex quibus paſſiones de ſubiecto demonſtrentur, ex 2. Poſt. Iſtæ autem tres conditiones reperiuntur in anima: Nam ipſa eſt quoddam vniuerſale, cum dicatur, & de vegetatiua, & de ſenſitiua, & de intellectiua, & vnaquæque harum animarum habet proprias paſsiones, & proprietates, cauſas, & principia, vt in ſequentibus palam fiet.

Scibile habet partes ſcibiles.

Quarto notandum, quod id, de quo eſt ſciẽtia habeat partes, ſtat dupliciter. Primo ſecundum ſe; & ſuam naturã, .i. partes reales, & hoc falſum eſt vniuerſaliter; nam multa ſcimus de Deo, & Angelis, & tamen non habent partes, & ita nec anima ipſa, cum ſit forma ſimplex. Secundo ſecũdum rationem .i. habeat proprium genus, & propriam differentiam, vel aliquid gerens vices horũ; & ſic anima habet partes ſcibiles, quę ſunt partes ſuæ diffinitionis.

Diuerſimode in ſcientia a priori quã a poſteriori.

Quinto notandum ad idem, quod diuerſimode reperiuntur partes in his de quibus habemus ſcientiam a priori, & in his, quorum ſcientiam habemus a poſteriori; Nam de primis verum eſt, quod habent partes ſecundum ſe, vel ſaltem proprium genus, & propriam differentiam; In his autem, quorum ſcientia eſt a poſteriori, ſufficit vt habeatur aliquid loco partium, quæ ideo dicantur partes reſpectu noſtri, vt effectus Dei, reſpectu cognitionis eiuſdemmet Dei.

Signa quod anima ſit.

Sexto notandum; quod tria præcipue ſunt, quæ indicant animam eſſe, Primũ eſt motus; videmus enim animata ab intrinſeco moueri, & nõ ab extrinſeco; ſicut proiecta mouentur, inde argumentamur, dari vnum principium vitale mouens, quod vocatur anima. Secũdum eſt figura, ita vt aliqui dixerint figuram extrinſecam eſſe formam ſubſtãtialem. Figura igitur, & diuerſitates figurarum oſtendunt animam eſſe; Tertium eſt cognitio; nam ex eo, quod videmus omnia non ęquo modo cognitionem habere, deducimus eſſe aliquod principium cognitionis, quod animã appellamus.

Cognitio directa, et indirecta.

Septimo notandum ſuperficialiter pro nunc; quod duplex eſt cognitio; Quædam directa, quæ eſt immediata, & per propriam ſpeciem; Altera eſt reflexa, quę eſt mediata, & per actum, vel potẽtiam ſenſitiuam, vel aliud ſimile. Anima igitur non ſe cognoſcit directe primo; nam primo intellectus intelligit id, cuius ſpecie infor-

informatur; verbi gratia lapidem. Secundo ſcit ſe intelligere lapidem; Tertio percipit, ſe habere principium huius intellectionis. v. intellectum, & animam, & ſic ſe intelligit. An vero aliquo modo directe ſe intelligat, videbimus in tertio.

Concluſio probatur. Quo ad ſecundum concluſio eſt: De anima habetur ſciētia. Probatur. Quod habet principia, cauſas &c. eſt ſcibile; Talis eſt anima: Igitur. Minor infra erit explicanda, pro nunc ſufficiat ſcire eam habere proprias paſsiones, quæ in viuentibus ſunt potentiæ, & propria principia, & cauſas per quas demonſtrantur paſsiones de ſubiecto.i. definitiones ſuas.

Argumēta ſoluuntur. Ad primum dico ad maiorem; ꝙ omne intelligible ſit ſenſibile, ſtat dupliciter. Primo ſecundum ſe, & hoc eſt falſum; nam Deus eſt ſcibilis, & tamen non eſt ſenſibilis ſecūdum ſe. Secundo per aliud.i. per effectus, qui ſunt ſenſibiles, & hoc verū eſt; nam ex motu &c. deuenimus in cognitionē Dei, intelligentiarū, & animæ.

Ad ſecundum dicitur ad diuiſionem, quod ſenſus eſt: Aliud eſt ens extra animam.i. ens reale, & aliud ens in anima.i. rationis, anima autē eſt ens extra animam.i. ens reale, & non ens rationis.

Ad tertium primo dicitur, quod maior non valet in natura vniuerſali. Secundo, quod valet de eo, quod recipit, inquantum receptiuum eſt. Modo anima antequam ſe ſciat, eſt denudata non a ſe ipſa, ſed a cognitione ſui ipſius.

Ad quartū dicimus ad maiorem, quod vera eſt de eo, quod cognoſcitur directe, non autem reflexe, ſicut anima. Secundo dicitur, quod ſufficit vt habeat aliquid loco ſimilitudinis proprie, ſed de his in tertio.

Ad quintum dicendum, quod nō eſt anima, quæ intelligat, ſed ſua potentia.i. intellectus, qui denudatus a ſpecie concurrit paſsiue ad intellectionem, ſed poſt receptam ſpeciem, actiue, ſed de his in tertio.

Ad ſextum dicendum, quod anima intelligit ſe, & alias animas; Se, dum ſupra actum ſuum reflectitur, Alias, per ſuas operationes, & rōnes.

Ad ſeptimum, & octauum dicendum, quod anima dupliciter conſiderari poteſt. Primo vt res eſt, in ordine ad totum, cuius dicitur pars. Secundo vt quoddam totum ſcibile eſt, in ordine ad ſuum genus, differentias, operationes, & rationem formalem ſub qua, Primo modo conſideratur in libris de animalibus, Secundo in hac ſcientia, quæ ſe habet ſicut quoddam totum ſcibile, & ſi non ſit totū eſsētiale, vel integrale.

LECTIO II.

IN præsēti lectione examinabimus tres alias quæſtiones prohemiales. Primo ponendo argumenta, & fundamenta. Secūdo concluſionem, tertio reſponſiones ad argumenta.

QVAESTIO II.

Vtrum ſcientia de anima ſit vna.

QVæritur igitur primo. Vtrum hæc ſcientia ſit vna, vnitate ſpecifica. Videtur, quod non. Quia, diuerſarum concluſionum ſecūdum ſpeciem, diuerſæ ſunt ſcientiæ ſpecificæ. Sed hæc eſt de diuerſis concluſionibus ſecundū ſpeciem, ideſt de Anima vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua. Igitur.

Pro deciſione quæſtionis; Notandum, quod dupliciter aliqua poſſunt conſiderari in ſcientia; Primo vt entia ſunt, ſeu vt res ſunt, & ſic in his libris habemus ſcientiam de multis rebus, & genere, & ſpecie, & numero diſtinctis. Secundo vt omnia cadunt ſub vna ratione formali, ſub qua di- *Res conſiderantur, & vt res & vt ſcibiles.*

cuntur ſcibilia,& ſic vt ſcibilia ſunt, pertinent ad vnam ſcientiã,ſicut contingit in propoſito, quia omnia, quæ conſiderantur in hac ſcientia conſiderantur,quatenus referuntur ad Animam, tanquam ad principium ſuum,&c.

Concluſio probatur. Probatur igitur Concluſio. Illa ſciẽtia eſt vna ſpecie,quæ omnia conſiderat ſecundum vnam rationem formalem.Talis eſt hæc,vt prælibauimus,ergo &c.

Ad Argumentum ex fundamento patet ſolutio,&c.

QVAESTIO III.

Vtrum tractare de Anima, ſit munus Phyſici.

Videtur quod non. Quia,quod cadit ſub conſideratione Phyſici, vel eſt natura,vel ſecundum naturã, vel ens naturale:Sed Anima nullum horum eſt; Nam non eſt ens ſecundum naturam,quia non eſt operatio, vel affectio aliqua:Non eſt ens naturale, quia non eſt compoſita ſubſtantia;Non natura,quia nec intelligere, nec ſentire ſunt principia motus, ſicut eſt Natura, &c.

Secundo. Phyſicus agit de formis generabilib. & corruptibilibus. Sed Anima eſt forma ingenerabilis, & incorruptibilis,ergo &c.

Tertio. Phyſicus agit de his, quæ ſunt in materia immerſa; At Anima ſaltem intellectiua eſt ſeiũcta ob omni materia,igitur &c.

Quarto. Nec intelligere, nec intellectus videntur eſſe de conſideratione Phyſici, cum abſtrahant à materia. Ergo &c.

Opiniones. Ad Enucleandam hanc quæſtionem; Primo animaduertendum eſt, quod Philoſophi in tres diſtrahũtur partes; dum Themiſtius, & Theofraſtus dicũt, quod anima eſt ſpeculationis mathematicæ; Alij Metaphyſicę, alij Phyſicæ, & Auerroes, cui ſententiæ videtur annuere S. D. in ſecundo Phyſicorum, & in præſenti loco,&c.

Anima triplex. Secundo ad notandũ eſt,quod triplex eſt Anima. Prima dicitur vegetatiua, quæ ſolum reperitur in plantis, & eſt principium ſolum motus augmenti, & decrementi. Secunda dicitur ſenſitiua, quæ conſtituit animal, & eſt principium ſentiendi. Tertia dicitur intellectiua, quæ eſt principium intelligendi. Ac talis eſt ordo inter has formas, quod vbi eſt tertia, ibi eſt ſecunda, & prima, & vbi ſecunda,prima: Sed non è cõuerſo. Hic loquimur de Anima intellectiua, quia de primis nulli dubium eſt,cum hoc expreſſe doceat Ariſtot. 6. Metaph. tex. 2. & 1. de partibus animalium cap. 1. & quia concernunt materiam, & definiuntur cum materia. Anima vero intellectiua, cum non ſit coniuncta organo corporali, videtur abſtrahere a materia, & conſequenter non eſſe conſiderationis Philoſophi naturalis, vt videtur aperte docere Ariſt. 1. Phyſ. tex. 83. & 6. Metaph. tex. 2. & 1. de partibus animalium cap. 1.

Intellectiua ut act° & vt intellectiua. Tertio notandum tamen,quod de Anima intellectiua, dupliciter loqui poſſumus. Primo vt actus, & forma corporis eſt, i. vt eſt actus, quo corpus viuit, &c. Secundo vt intellectiua eſt. Primo modo eſt Phiſicę conſiderationis, cum ſit actus corporis. Secundo autem modo, cum intelligere ſit propria operatio Animę, nec dependeat a materia, vel corpore, habet aliqualem maiorem difficultatem. Hoc autem dico conſiderando animam, vt naturaliter intelligit ſic enim ſine Fantaſmate non intelligit,nam in raptu ſupranaturaliter

liter

liter ſuſpenditur dependentia a corpore, vt docet S. D. 2.2 q.175. art.5. & ideo in raptu alia eſt ratio.

Quomodo intelligat Quarto ergo notandum, quod intelligere, & velle bifariam ſpectari poſſunt. Primo vt fiunt auxilio ſenſuum, & phantaſmatum, quatenus intelligere noſtrum pro hoc ſtatu nõ eſt ſine adminiculo ſenſuum, & per cõuerſionem ad phantaſmata, nõ ſolum in acquiſitione, ſed ẽt in vſu, vt docet S.D. cum Ariſt. in 3.tex.39. Secundo, vt ſimpliciter dicitur intelligere, inquantum etiam conuenit ſubſtantijs ſeparatis, & eſt actio immanens. Primo modo conſideratio Animæ intellectiuæ ſpectat ad Philoſophũ naturalem, & vt coniuncta actu, & vt ſeparata eſt cũ aptitudine ad corpus, quia ſic conſideratur in ordine ad materiam, & vt quo. Secũdo vero modo ſpectat ad Metaphiſicum; vnde, & in nono de intelligere, & velle ſermonẽ facit Philoſophus. Hoc autem intellige vt ſeparata, ſe habet vt quod, & intelligit ad modum ſubſtantiarum ſeparatarum, cum infuſione ſpecierum, &c.

Concluſio probatur. Concluſio igitur eſt: Anima, vt forma corporis, eſt conſiderationis Philoſophi naturalis; Probatur. Omne id, quod habet ordinem ad corpus naturale, eſt conſiderationis naturalis. Talis eſt Anima, quæ eſt actus corporis naturalis &c. Igitur. Cõfirmatur ſecundo, quia anima eſt proprie natura, & pars compoſiti naturalis, ſcilicet hominis. Ad eandẽ autem ſcientiam ſpectat conſiderare totum, & partem, & ad naturalem verſari circa naturam.

Arg. ſoluuntur. Ad primum dicimus, quod eſt natura, vt forma eſt, non vt intellectiua eſt, &c.

Ad ſecundum dicimus, quod eſt falſa abſolute; nam, & de primo motore agit, & de Anima ipſa, quæ ſunt res incorruptibiles, &c.

Ad tertium ſatis dictum eſt in corpore, Similiter ad quartum, &c.

QVÆSTIO IIII.

Vtrum Anima ſit ſubiectum in his tribus libris, &c.

Videtur quod non. Nam; Illud eſt ſubiectum, cuius principia, & paſſiones quæruntur. Sed hic quæruntur paſſiones, & principia corporis animati; quia, (vt infra inquit Philoſophus.) Ridiculum eſſet dicere: Animam texere, vel filare, ergo &c.

Secundo. Hæc ſcientia ſi eſt naturalis, debet habere ſuum ſubiectum ſub ſubiecto ſcientiæ naturalis, vt ſic. Sed Anima non continetur ſub ente mobili, quia non eſt mobilis, ergo, &c.

Tertio. De ſubiecto præſupponitur, quid eſt. Sed quid eſt animæ non præſupponitur in ſecundo, igitur.

Circa hanc difficultatem Paulus Venetus fuit in ſententia corpus animatum in his libris eſſe ſubiectum. Sed eius rationes probant ſolum animæ non conuenire multa quæ ſubiecto attribuuntur vt quod, ſufficit autem vt animæ conueniant vt quo, quia talis eſt eius natura. Communis ergo ſentẽtia ab Alexandro, Philop. Simplicio, Themiſtio S. D. Alberto, Aegidio Ianduno, Caiet. Ferr. Toleto, &c. recepta eſt, quod anima ſit ſubiectum non ſolum in his tribus libris, ſed etiam in Paruis naturalibus. Ideo.

Paſſiones Animæ quõ ei attribuantur. Pro delucidatione quæſtionis, primo notandum eſt, quod paſſiones animæ dupliciter cõſiderari poſſunt. Primo vt ſunt ſuppoſiti operantis, & ſic attribuntur corpori, quia actiones ſunt ſuppoſitorum. Secundo, vt ſunt principij operationis, & ſic attribuun-

tribuuntur animæ, quia anima eſt principium omnium operationum corporis animati; Primo modo conſiderantur in libris de animalibus. Secundo autem modo in his libris.

Subiectũ et obiectũ idẽ ſũt realiter. Secundo notandum, quod ſubiectum, & obiectum ſunt idem ſecundum rem; ſed diſtinguuntur ſecundum rationem; nam ſubiectum dici tur quatenus ponitur ſub paſſione de eo demonſtrata, obiectum vero, vt terminus eſt cognitionis, & vtroque modo anima eſt hic ſubiectum; nam & de ea multæ paſſiones demõſtrantur infra. & eſt illa, quæ terminat cognitionem huius ſcientiæ.

Concluſio probatur. Concluſio igitur eſt: Anima eſt ſubiectum huius ſcientiæ. Probatur. Cui conueniunt conditiones ſubiecti, tale eſt ſubiectum. Aĩæ conueniũt, ergo. Probatur minor. Tres ſunt conditiones ſubiecti. Prima, quod ſit principale conſideratum in ſcientia, at in his libris Anima eſt principale conſideratum. Secunda, quod eius paſſiones quærantur, ſed paſſiones animæ conſiderantur in hac ſciẽtia. Tertia, quod omnia conſiderata in ſcientia ratione illius conſiderentur, ſicut contingit in propoſito, vt patet diſcurrenti per hanc ſcientiam, igitur, &c. Confirmatur, ex Ariſt. hic, vbi vocat hos libros hiſtoriam non corporis animati, ſed animæ, & lib. de ſenſu, & ſenſibilibus in principio aſſerit, hic de anima agi ſecundum ſe, & directe.

Arg. ſoluuntur. Ad primum negatur minor; conſideratur enim quatenus pendent ab anima tanquam a principio, vt texere, & filare, & ſi ſint ſuppoſiti operantis.

Ad ſecundum dicendum, quod, quæ conſiderantur in ſcientia naturali, vel conſiderantur vt entia mobilia, vel ſaltem, vt ſunt principia entis mobilis, ſicut eſt primus motor, & anima, & hoc ſufficit.

Ad tertium aliqui dicunt, quod de ſubiecto præſupponatur quid, ſtat dupliciter, vel quid nõis, ideſt ſignificatum nominis, vt in ſcientia de roſa, quid ſignificetur nomine roſæ, vel quid rei, ideſt definitio ſubiecti. Primum eſt verum. Secundum falſum, ſicut euenit in propoſito. Sed tamen melius dicitur, quod ſciẽtia ſecatur in duas partes; in parte principiorum, & in parte concluſionum, quæ proprie vocatur pars ſcientifica. In ſecunda parte præſupponitur, & non quæritur; in prima autem quæritur, quia quid ſubiecti eſt vnum de principijs, modo in parte principiorum, quæ incipit a primo textu, & terminatur ad 27. quæſiuit definitionem animæ, ſicut, & in primo Poſteriorum definitionem demonſtrationis.

LECTIO III.

Quæſtio V.

Vtrum hæc ſcientia ſit de numero bonorum honorabilium.

IN præſenti lectione aggredientes primum textũ Philoſophi neceſſarium erit videre, num hæc ſcientia ſit de numero bonorum honorabilium, in cuius quæſtionis explicatione opponemus argumenta probantia oppoſitum. Secundo fundamenta enunciantia veritatem. Tertio cõcluſionem intentam a Philoſopho, & quarto ſolutiones argumentorum.

Videtur igitur, quod hæc ſcientia non ſit de numero bonorum honorabilium. Nã in hoc diſtinguitur ſcientia ſpeculatiua a practica, quod ſpeculatiua eſt de numero bonorum honorabilium, practica laudabilium, igitur

igitur non omnis notitia erit de numero bonorum honorabilium, vt hic aſſerit Philoſophus.

Secundo probatur quod non ſit de numero bonorum. Bonum eſt in rebus, & verum in intellectu, ſicut omnis ſcientia ſpeculatiua. Cum igitur hæc ſit ſcientia ſpeculatiua, non erit de numero bonorũ, ſed verorũ.

Bonum triplex. Notandum eſt autem ad ſciendã veritatem, quod triplex eſt bonum. Quoddam vocatur bonum honeſtũ, quod quæritur propter ſe, & nõ propter aliud. Aliud eſt bonũ laudabile, quod quæritur proter ſe, & propter aliud. Aliud eſt bonum vtile, quod ſolum quæritur propter aliud. Scientia ſpeculatiua eſt bonum honeſtum, quia ſolum quæritur propter ſe; nam (authore Ariſtot. 1. Meth.) cum omnia eſſent adinuenta, quæ ſpectabant ad humanã vitam, ceperunt hoĩes Philoſophari; Mechanicæ autem ſcientiæ ſunt ſolum vtiles, quia quæruntur propter aliud, practicæ vero laudabiles, & honorabiles. Vnde.

Scientia practica ordinat ſcire ad opus. Secundo notandum, quod in ſciẽtia practica duo reperiuntur. Primũ eſt ſcire; nã oĩs ſcientia facit ſcire. Secundũ eſt ordinatio ſcire ad opus, nã ſcia ſpeculatiua ordinat intellectum ad ſcire ſolum, vt per ipſum perficiatur, ſed practica ordinat ſuũ ſcire ad opus; nam faber non ordinat ſuam ſcientiam Fabrilem ad hoc ſolum, vt ſciat hanc artem, ſed vt regulis huius artis reguletur circa opus ſuum. Reſpectu ergo primi, ſcilicet ſcire, ſcientia practica poteſt nuncupari honorabilis, reſpectu vero ſecundi vtilis, vnde ſcientia ſpeculatiua dicitur honorabilis ſimpliciter, quia ſe totam ordinat ad ſcire, practica vero ſecundum quid, quia non ſimpliciter ſe ordinat ad ſcire, ſed ad ſcire propter operandum.

Conclusio probatur. Quoad tertium Concluſio eſt: Omnis notitia inquãtum notitia, eſt de numero bonorum honorabiliũ. Probatur. Illa ſcientia eſt de numero bonorum honorabilium, quæ facit ſcire, vel ſimpliciter, vel ſecundũ quid: Omnis notitia, vt notitia, talis eſt; ergo, &c. Confirmatur ex Phil. quia ſcilicet omne ſcire eſt appetibile, & honorabile. Hæc autẽ ſcientia maxime facit ſcire, cum ſit certior alijs, & ex obiecto, & ex demoſtratione, vt patebit infra.

Arg. ſoluuntur. Ad primũ dicendum, quod ſciẽtia ſpeculatiua diſtinguitur a practica, quia eſt de numero bonorum honorabilium ſimpliciter, practica vero ſecundum quid, &c. Vel ſecundo dicendum, quod intentio Philoſophi fuit, loqui de ſcientijs, quatenus faciunt ſcire, vt ſic, & non hoc, vel illo modo, vnde omnis notitia vt ſic ẽt malorum, eſt honorabilis; quamuis operari mala ſit vituperabile.

Ad ſecundum dicendum, quod intellectus noſter dupliciter conſiderari poteſt. Primo vt eſt res quædam potentialis in genere entium, perfectibilis ſcientia in genere intelligibilium. Secundo vt eſt formaliter cognoſcitiuus, & diſcretiuus veri a falſo. Primo modo ſcientia vocatur bonum intellectus; quia ſicut materia perficitur per formam, ita & intellectus per ſcientiam. Secundo autem modo ſcientia dicitur habere rationem veri. Vel ſecundo dicendum, quod duplex eſt bonum. Primum dicitur vniuerſaliſſimum, & tranſcendens, & tale reperitur in rebus. Aliud vocatur tale bonum, & ſic ſcientia dicitur bonum intellectus. Vel tertio dicendum, quod bonum pro nunc idem ſonat, quod perfectum, & ſic ſcientia dicitur perfectio intellectus.

Animaduertite tamen, quod Iandunus inuehitur contra primam reſponſionem dupliciter. Primo quia

ſi ſcientia eſt in Anima, vt eſt quædam natura perfectibilis, igitur poterit eſſe in quacumque natura, quod tamen eſt falſum, quia non reperitur, nec in natura bouina, nec in equina.

Secundo. Scientia eſt in anima, vt eſt quoddam verum. Igitur quatenus cognoſcitiua eſt.

Ad primum, pudet reſpondere, quia non ponimus ſcientiam eſſe bonum intellectus, vt eſt quædam natura abſolute, ſed vt eſt talis natura, ſcilicet intellectualis, potentialis, in genere intelligibilium, perfectibilis ſcientia, tanquam bono ſuo.

Ad ſecundum negatur aſſumptũ, ſi conſideremus intellectum vt natura eſt. Nam aliud eſt dicere, quod ſcientia ſit in intellectu, ſicut in quadam re vera, & vt eius bonum. Et aliud, quod ſit in intellectu tanquã in cognoſcente veritatem. Primum pertinet ad intellectum, vt eſt in potentia ad omnem cognitionem, ſecũdum ſpectat ad cognitionem complexam. Vnde veritas conſiſtit proprie in ſecunda operatione intellectus.

LECTIO IIII.

Quæſtio VI.

Vtrum hæc ſcientia cæteras excedat, nobilitate ſubiecti, & præſtantia demonſtrationis.

Videtur, quod hæc ſcientia non ſit cæteris præſtantior, quoad certitudinem. Nam ſcientiæ Mathematicæ certiſſimæ ſunt, & in primo gradu certitudinis. Igitur iſta ſunt certiores.

Secundo, quoad nobilitatem. Primus motor eſt ſubiectum 8. Phyſ. & tamen eſt nobilior anima, ergo.

Tertio. Forma corporis cæleſtis magis actuat corpus cæleſte, quam anima corpus animatum. Igitur erit præſtãtior ſcientia de cælo, hac. &c.

Quarto. Scientia de toto eſt præſtãtior ſcientia de parte. Sed ſcientia corporis animati eſt ſcientia totius; hæc partis, quia anima eſt pars corporis animati, ergo.

Quinto. Scientia magis abſtractorum eſt præſtantior illa, quæ eſt de minus abſtractis. Talis eſt ſcientia octo librorum Phyſicorum, ergo. Probatur minor. Quia eſt de vniuerſalioribus.

Sexto. Quia videtur hæc ſcientia eſſe præſtantior Methaphyſica, quia viuere eſt nobilius eſſe. At hæc agit de vita, & viuere: Metaph. de eſſe, & ente, ergo.

Pro ſcienda hac veritate. Notandum primo ſecundũ Philoſophum in litera, quod vna ſcientia dicitur altera nobilior dupliciter. Primo nobilitate obiecti; quando eſt de nobiliori obiecto, vt ſcientia de Anima dicitur eſſe nobilior Mathematica, quæ agit de anima, tanquam de ſubiecto, quæ eſt excellentior quantitate, ſubiectum Mathematicæ, quia Anima eſt ſubſtantia, quantitas vero accidens. Secundo nobilitate certitudinis, quia v. procedit ex certiorib. principijs. Sed primo nobilitas ſequitur eſſe, ſecundario certitudinẽ, quia certitudo ſequitur eſſe, vnde illa ſcientia, quæ eſt de nobiliori ſubiecto, dicitur nobilior ſimpliciter, quæ autem de certiori demonſtratione, ſecundum quid. *Scientia eſt altera nobilior certitudine & obiecto.*

Secundo notandum, quod duplex eſt certitudo. Quædam quæ ſe tenet ex parte rei, quæ v. pendet ab ente magis in actu, & perfectiori. Quædam quæ ſe tenet reſpectu noſtri, quæ pendet ex minori abſtractione a materia, & a maiori ſenſatione, vnde Deus eſt maxime notus ſecundum ſe, & magis quam motus, non *Certitudo duplex.*

tamen

tamen reſpectu noſtri, quia magis elungatus eſt a ſenſibus noſtris.

Opiniones. Tertio ergo notandum, quod Doctores in multas diuiduntur claſſes, dũ quilibet illorum ponit diuerſos modos, quibus ſaluatur propoſitio Philoſophi, quod ſcientia de Anima cæteras excedat nobilitate ſubiecti, & præſtantia demonſtrationis. At ego in præſenti producam ſolum famoſiores modos.

In primis igitur S. D. (vt videtur annuere in textu) cum cæteris diſcipulis in præſenti dicunt, quod hæc ſcientia cæteras excedat, & quoad obiectum, & quoad certitudinem poteſt bifariam intelligi. Primo vniuerſaliter, reſpectu omnium ſcientiarum, comparando hanc ſcientiam, non ſolum ad Mathematicas ſcientias, verum etiam ad naturales omnes, & ad Methaphyſicam. Secundo comparando ſolum hanc ſcientiam naturalem, ad cæteras ſcientias naturales. Primo modo non eſt intelligenda propoſitio Philoſophi; ſed ſecundo modo, vt ſit ſenſus. Scientia de Anima inter omnes ſcientias naturales eſt nobilior, & quoad obiectum, & quoad certitudinem; nam comparatio fit reſpectu eorum, quę ſunt eiuſdem generis, vnde non eſt vagandũ comparando hanc ad Mathem. & Metaph.

Alij autem, inter quos eſt Burleus dicunt, quod hæc duo, ſcilicet nobilitas obiecti, & certitudinis poſſunt duobus modis intelligi. Primo coniunctim, ideſt loquendo de vtraque nobilitate ſimul. Secundo diſiunctim, loquendo diſtincte, & de nobilitate ſubiecti, & de nobilitate demõſtrationis. Tunc dicũt, quod hæc ſciẽtia oẽs excedit, ẽt diuinam, quia, & ſi ea inferior iudicetur, quoad certitudinem, ſecundum ſe, & quoad quid eſt, eſt tamen ea certior quoad an eſt animæ ſecundum S. D. de verit. q. 10. art. 8. ad 8. Preſtantior vero eſt Mathematicis omnibus, quo ad ſubiectum, quia eſt de re, quæ eſt ſubſtantia, Mathematica autem eſt de accidente, ideſt quantitate.

Alij autem, vt Albertus, cui aſſentire videtur S. D. cum pleriſque alijs; autumant, nobilitatem Animaſticæ ſcientiæ, quoad certitudinem poſſe intelligi dupliciter; Primo effectiue, quia videlicet ſcientia de Anima de intellectu agit, quo omnes aliæ ſcientiæ dignoſcuntur, vna dempta Metaph. quæ agit de intelligentijs, certioribus in cognoſcendo; Secundo formaliter, ideſt quod ſit de certiori demonſtratione; Hoc quidem ſecundum falſum eſt; nam cum Mathem. procedat per cauſam formalem, & per certiorem applicationem principiorum ad concluſiones; iure merito certior Animaſtica ſcientia cenſetur; Primo autem modo ſcientia de Anima, demonſtratione tamen a poſteriori omnibus præſtat, quoad an eſt; quia per operationes certo ſcimus animam eſſe.

Mihi autem in hac re videtur eſſe dicendum, ſcientiam de Anima omnes naturales, & Mathem. excedere quoad nobilitatem ſimpliciter, quæ pendet ex obiecto; non autem quoad nobilitatem ſecundum quid, quæ pendet ex certiori demonſtratione, & ſi vtramque videatur Philoſophus animæ attribuere; tamen de prima ſermonem primo, & ſimpliciter faciebat.

Concluſio igitur eſt, habens duas partes; Prima. Scientia de Anima excedit omnes alias ſcientias quoad nobilitatem obiecti, præter Metha. Secunda. Excedit etiam eas quoad certitudinem, ſed ſecundum quid. Probatur prima pars. Illa ſcientia eſt nobilior quoad obiectum, quæ eſt de obiecto magis in actu. Talis eſt hæc, *Concluſio probatur.*

cum ſit de Anima, quæ eſt forma, & ſubſtantia intellectualis, ergo. Probatur ſecunda pars. Illa ſcientia eſt certior ſecundum quid, quæ eſt de ſubiecto magis experimentato; Talis eſt hæc ſcientia; cum experiamur omnes nos animam habere, vnde Aug. Qui ſe habere animam non cognoſcit, neſcio an eam habeat. Ergo.

Arg. ſoluuntur. Ad primum primo dico, quod valet diſiunctim, & non coniunctim, ſicut loquimur modo. Secundo dicitur, quod argumentum non eſt ad propoſitum, quia ſolum loquimur de ſcientijs naturalibus. Tertio ſi aliquid valet tenet formaliter, & non effectiue. Quarto quoad certitudinem demonſtrationis, non autem experientiæ. Quinto & ſi experientiæ, quia quandoque figuræ mathe: deſcribuntur in puluere; dic quod ſunt certiores experientia deſumpta ab extrinſeco; non autem ab intrinſeco, qualis eſt animæ.

Ad ſecundum dicendum, quod primus motor poteſt dupliciter conſiderari; Primo quoad ſuam ſubſtantiam, & ſic eſt nobilior anima, quia eſt magis in actu. Secundo quoad motum, quatenus mouet in ratione ſcilicet motoris, & ſic anima eſt nobilior primo motore, quoad hanc rationem, quia viuere eſt nobilius, quam mouere. Anima autem hic conſideratur, quatenus dat vitam; primus autem motor in octauo Phyſicorum, quatenus dat motum.

Contra tamen hanc reſponſionem ſunt duæ inſtantiæ. Prima, quia Philoſophus in octauo inquit, quod talis motus eſt vita: igitur erit nobilior etiam quoad viuere.

Secundo, quia conſideratio alicuius, quatenus eſt immaterialis, incorruptibilis, virtutis infinitæ intenſiue, videtur eſſe nobilior, quam ratio viuendi, vt ſic. Talis autem conſideratio de primo motore habetur octauo Phyſicorum.

Ad primum dicendum, quod ille motus poteſt dupliciter conſiderari; Primo vt motus eſt præcise. Secundo vt habet rationem vitæ; primo modo conſideratur in octauo Phyſ. ſecundo reducitur ad hanc ſcientiam. Secundo reſpondetur, quod ibi non aſſerit, quod ille motus ſit vita, ſed quaſi vita.

Ad ſecũdum negatur aſſumptũ; vt ſtamus proprie in mouere, nã abſolute viuere eſt nobilius quam mouere, & ſi ſubſtantia mouentis ſit nobilior quandoque ſubſtantia animæ dantis vitam; ſicut argumentum probat.

Ad tertium dicendum, quod anima cæli, & noſtra poſſunt dupliciter conſiderari. Primo quoad eſſe, & ſic eſt nobilior anima cæli, anima noſtra, quia complet totum appetitum materiæ cæli, & non relinquit eam in potentiam ad aliam formam, non autem anima noſtra, vnde nos ſumus corruptibiles, cælum vero incorruptibile. Secũdo quoad viuere, & ſic anima noſtra eſt nobilior, quia dat eſſe, viuere, ſentire, & intelligere, Anima aũt cæli formaliter ſolum dat eſſe, ſecludendo tamen intelligentiam, quæ non eſt forma informans, ſed aſſiſtens.

Ad quartum dicendum, quod corpus poteſt dupliciter conſiderari. Primo, vt eſt quoddam totũ eſſentiale, reſultans ex partibus eſſentialibus. Secundo, vt eſt quoddam totũ quantitatiuum, ideſt, vt dicit trinam dimenſionem, & diſtinguitur contra animam. Primo modo eſt nobilior anima. Secundo, anima corpore, ſed de hac re conficiemus peculiarem quæſtionem. Secundo dicitur, quod nobilitas ſcientiæ non pendet ex re conſiderata tantum, ſed ex ratione formali, ſub qua conſideratur;

ratur; modo, cum hęc ratio ſit abſtractior in hac parte, quam in ſcientia corporis animati, ideo dicitur nobilior.

Ad quintum dicendum, quod vna ſcientia alteram excedit ſecundum ſe tripliciter. Primo, quia dicit quid, & quia. Secundo, quia pauciora includit, & eſt de principijs. Tertio, quia eſt de forma. Secundo modo ſcientia 8. librorum Phiſ. eſt iſta certior. Tertio, hæc illa, vnde ſe habent, ſicut excedens, & exceſſum.

Ad ſextum dicendum, quod falſum eſt, quod viuere ſit nobilius eſſe, vt ſic. Hoc tamen verum eſt inquantum viuere diſtinguitur contra eſſe, & quatenus etiam eſſe eſt vltima actualitas ipſius viuere. Secundo dicitur, quod etiam dato, quod viuere eſſet nobilius eſſe, cum tamen Metaph. agat de ſubſtantijs ſeparatis erit nobilior iſta.

LECTIO V.

IN præſenti lectione. Primo annotabimus aliqua ex textibus huius prohemij. Secundo tractabimus hanc quæſtionem: Vtrum hæc ſcientia ſit vtilis ad alias capeſcendas.

Auctor tria intendit in proemio. Quoad primum primo notandũ, quod quilibet author tria principaliter debet intendere in principio cuiuslibet ſcientiæ. Primũ, eſt reddere auditorem beneuolum. Secundũ, docilem. Tertiũ, attentũ. Primũ fit oſtẽdendo dignitatem ſcientiæ, inde Philoſophus aſſeuerabat: hanc ſcientiã eſſe de numero bonorum honorabilium, & quod cæteris erat nobilior. Secundum fit oſtendẽdo vtilitatem, & ideo ſubiũgebat, quod erat de numero vtilium. Tertium fit oſtendendo eius neceſſitatem, & ideo ſubintulit, quod eſt de numero difficillimorum.

Scientia de Anima vocatur hiſtoria. Secundo notandum, quod Ariſtoteles hanc ſcientiam vocat hiſtoriam cuius rei aſſignat cauſam S. D.: eo quia hic nõ exacte, & adamuſim agit de Anima ipſa, ſed per modum hiſtoriæ, & compendij. Sed hæc ſententia non placet Toleto, quia hiſtoriographi ſolent appellari homines ſcientes, & ſapientes, & ideo per hiſtoriam, Philoſophus intelligit ſciẽtiam, vel ſapientiam. Sed an hæc impugnatio recta ſit videatis, non enim video, qua ratione motus Ariſtoteles ſcientiam hanc vocauerit hiſtoriam, niſi quia facit ſcire per modũ compendij. At opinio D. Th. deducitur optima ratione, quia ſæpius Philoſophus in his libris promiſit, ſe tractare de Anima intellectiua peculiariter, & tamen apud nos non extant iſti codices.

Eſt vtilis ad naturam. Tertio notandum, quod Philoſophus inter cæteras vtilitates, ponit hanc. Scientiam eſſe vtilem ad naturam. D. Th. per naturam intelligit ſcientiam de natura, ideſt naturalem. Toletus vero per naturam, non ſcientiam naturalem, ſed naturam ſecundo Phiſicorum diffinitam putat intelligendam, quia in inanimatis, materia, & forma ſunt ſolum principia paſſiua, in animatis autem principium actiuum eſt Anima, quæ eſt forma. Sed quamuis hęc ſententia vera ſit quoad id, quod dicit, quod hæc ſcientia eſt vtilis ad naturæ cognitionem, quia tamen multũ reſtringit verba Philoſophi, ideo prior expoſitio verior eſt, tum primo quia loquebatur de ſcientijs moralibus (qui actus, & habitus morales præcipue ſubiectantur in Animę potentijs, vt annuit Ariſt. 1. Ethic. c. 3.) igitur ẽt & de ſcientia naturali, & non de contento in eadem ſcientia. Secundo, quia adhuc remaneret dubium, num vtilis eſſet ad totam ſcientiam, vel ſolum ad illam partem.

Conſtat

Conſtat autem, quod eſt vtilis ad totam ſcientiam.

Eſt cauſa animatorum tripliciter. Quarto notãdum ex Philoſopho, quod anima eſt principium, & cauſa animatorum in triplici genere cauſæ. Primo in genere cauſæ formalis, quia eſt forma dans eſſe formaliter rebus animatis. Secundo in genere cauſæ effectiuæ, quia eſt principium omnium motuum. Tertio in genere cauſæ finalis, quia ipſa ſe habet vt finis organizationis corporis, & ideo non ſolum eſt vtilis ad naturam 2. Phiſic. definitam, verum etiam ad cognitionem aliarum cauſarum, & earum, quæ ſunt propter illas cauſas.

QVÆSTIO VII.

Vtrum hæc ſcientia ſit vtilis ad alias ſcientias acquirendas.

Videtur quod non. Illud dicitur vtile, quod quæritur propter aliud, & non propter ſe. Sed hæc ſcientia non eſt practica, quæ quæritur propter aliud, ſed ſpeculatiua, quæ quæritur propter ſe, ergo.

Secundo. Nec eſt vtilis propter principia, (vt aſſerit Commentator) quia principia ſunt per ſe nota, & ab alio non acquirunt ſuam claritatem.

Sed vt huius quæſtionis dilucidationem habeamus. Primo neceſſarium eſt ponere fundamenta, deinde concluſionem. Vltimo reſponſiones ad ergumenta.

Vtile duplex. Quoad primum. Primo notandũ eſt, quod vtile duplex eſt. Quoddam ordinatum ad aliud, quaſi in eius commoditatem, vt gladius ſic dicitur vtilis militi, & equus ſeſſori. Secundo ad aliud, non tamen ad hoc paſſiue ordinatum ab alio, ſed actiue ſe ordinans, & regens, dirigenſq. alia, vt Rex dicitur vtilis Reip. imperando, regendo, & dirigendo. Vnde primum vocatur vtile ſeruile. Secundum regulatiuum. Vnde primum vtile reperitur in ſcientijs Mechanicis. Secundum in ſpeculatiuis, ſicut eſt hæc, quæ adiuuat, & dirigit alias ſcientias, & ideo dicitur vtilis.

Scientia de anima alijs, eſt vtilis. Secundo notandum, quod hæc ſcientia dicatur vtilis reſpectu aliarum, bifariam poteſt intelligi. Primo quoad imperfectam eorum cognitionem, vel perfectam in ſuo genere. Vel ſecundo quoad perfectã cognitionem ſimpliciter, & ſic eſt intelligendus Philoſophus, quia nihil intelligibile eſt perfecte, niſi cognoſcatur eius principium, ſcilicet intellectus, de quo in hac parte agitur.

Conclnſio probatur. Quoad ſecundum concluſio eſt. Hæc ſcientia eſt vtilis ad omnes ſcientias. Probatur. Omnis ſcientia, vel eſt ſpeculatiua, vel practica. Si ſpeculatiua, vel realis, vel rationalis. Si realis, vel Metaph. vel Mathemat. vel Naturalis. Sed ad omnes iſtas eſt neceſſaria.

Ad Rationalem, ad hoc vt ſciamus quomodo ens rationis fabricetur ab intellectu.

Ad Metaph. quia agit de intelligere, &c. quæ etiam conſiderantur in Metaphiſica.

Ad Naturalem, ad hoc, vt ſciamus diſcernere inter animata, & inanimata.

Ad Morales, quia agit de lumine intellectus, quo actus humani dignoſcuntur.

Arg. ſoluuntur. Ad primum reſpondetur, quod maior valet de vtilitate ſeruili, nos loquimur de vtilitate imper[illegible].

Ad ſecundum. reſpondebat Iand. quod prima principia, vt ſpeculabilia ſunt poſſunt demonſtrari. At qm̃ ſemper Philoſophus dixit, prima principia eſſe indemonſtrabilia,

quoquo

quoquo modo, ideo melius dicetur, quod prima principia habeant notitiam ab hac ſcientia ſtat dupliciter. Primo a terminis huius ſcientiæ, & hoc falſum eſt, quia vel ſunt principia, vel concluſiones deductæ ex principijs. Secundo effectiue, ideſt ab intellectu, de quo eſt ſermo in hac ſcientia, & hoc verum eſt, & hoc probat eius vtilitatem ad omnes alias ſcientias.

LECTIO VI.

Quæſtio VIII.

IN præſenti actu breuibus vnicam quæſtionem tangam, & perſoluam, v. An hæc ſcientia ſit de numero difficillimorum.

Videtur, quod hæc ſcientia non ſit de numero difficillimorum, quia. Illa ſcientia, quæ eſt certiſſima, non eſt de numero difficillimorum. Talis eſt hæc, per Philoſophum hic, ergo.

Secundo. Scientia de materia eſt difficilior, ergo. Probatur antecedens, quia materia eſt magis elungata ab actu.

Tertio. Quod per ſuperabundantiam dicitur, de vno ſolo dicitur. Metaph. per ſuperabundantiam dicitur difficillima, ergo non hæc.

Difficultas cognoſcendi oritur ex parte rei, & noſtri.

In explicatione quæſtionis ſciendum eſt. Primo, quod difficultas cognoſcendi oritur ex duplici capite, (teſte Ariſtotele ſecundo Metaph.) Primo ex parte rei, quia eſt elungata ab actu, vt eſt materia. Secundo ex parte intellectus noſtri, quia, & ſi talis res ſecundum ſe ſit maxime cognoſcibilis, non tamen reſpectu noſtri, quia elungatur a ſenſibus noſtris, vt ſunt intelligentiæ, Deus, & etiam Anima noſtra, quæ, & ſi ſit in actu, non tamen cognoſcitur, niſi per operationes. Ideo hæc ſcientia vocatur difficillima.

Anima intellectiua non dependet a materia.

Secundum notandum, quod triplex eſt Anima, ſcilicet vegetatiua, & ſenſitiua, quæ vt ſic educuntur de potentia materiæ, & non ſunt ſeparatę a materia. Tertia dicitur Intellectiua, quæ neque dependet a corpore, neque eſt immerſa materiæ. Difficultas non oritur ex parte animę vegetatiuæ, & ſenſitiuæ; cum concernant materiam, & cadant ſub ſenſibus. Sed eſt ex parte Animæ intellectiuæ, quæ cum ſit in corpore, non tamen dependet a corpore.

Cognoſcitur quoad quid eſt.

Tertio notandum, quod hic loquimur de perfecta cognitione, quo ad quid eſt Animæ intellectiuæ, & non de imperfecta, quoad an eſt, qa hæc facilis eſt, & in promptu, quia experimur nos intelligere.

Cum difficultate intenſiue, & extenſiue.

Quarto notandum, quod difficultas cognoſcendi aliquam rem, quandoque eſt intenſiua, quia ſcilicet eſſentia ſua eſt difficillimæ cognitionis. Et quandoque extenſiua, quia plures accidunt difficultates circa illam rem, & vtrũque ſeruatur in propoſito, quia eſſentia Intellectiuæ animæ difficilis eſt cognitione, & plures emergunt difficultates circa hanc animam intellectiuam, quas enumerat hic Philoſophus.

Scientia de anima eſt de difficilibus.

Quinto notandum, quod non dixit hic Philoſophus, quod inter difficillimas ſcientias hæc ſit difficilior, ſed quod eſt de numero difficillimarum, ideſt habet, & ipſa ſuum locum inter ſcientias difficiles.

Concluſio probatur.

Quoad cõcluſionem Philoſophus eam ponit, vocando hanc ſcientiam difficilem, quæ quidem elicitiue poteſt ſic probari ex Philoſopho. Illa ſcientia eſt difficilis, cuius quod quid eſt cum difficultate ſcitur, & circa quam adſunt plures difficultates. Talis eſt hæc, ergo. Probatur minor. Sed ſciendum prius eſt pro probatione

tione minoris, quod Anima dupliciter conſiderari poteſt. Primo quo ad ſuam eſſentiam. Secundo quoad ſuas operationes. Si conſideretur, quoad diffinitionem, prima naſcitur difficultas, quoad modum definiendi, quia ignoramus, vel ſaltem cum difficultate cognoſcimus, num ſit vna via inueſtigandi quod quid eſt, & hæc ſit compoſitiua, vel diuiſiua. Sed vlterius tripliciter poteſt conſiderari, quoad ea, quæ ſpectãt ad diffinitionem. Primo quantum ad ſubſtantiam eius. Secundo quoad partes. Tertio quoad ea, quæ cadunt in eius diffinitione. Si conſideretur primo modo, quoad ſubſtantiam, mouentur 8. dubitationes. Prima ſi Anima eſt ſubſtãtia, vel accidens. Sc̃da dato, q̃d ſit ſubſtãtia num ſit actus, vel potẽtia. Tertia dato, quod ſit actus, & forma; num ſit ſimplex, vel cõpoſita. Quarta dato quod ſit ſimplex: num ſit ſeparabilis, vel inſeparabilis, & vos legite hic textum, & videbitis omnes has difficultates.

Arg. ſoluuntur. Ad primum reſpondetur ad maiorem, quod valet ſi eſt certiſſima ſecundũ ſe, non aũt reſpectu noſtri, ſicut eſt hæc. Secundo ad minorẽ, q̃d reſpectu noſtri eſt certiſſima quoad an eſt, non quoad quid eſt. Tertio, & ſi quoad quid eſt, non tamen perfecte, ſed imperfecte.

Ad ſecundum dicendum, quod difficultas cognoſcendi materiam eſt ex parte rei, hæc ex parte noſtri. Secundo quod non dixit, quod ſit difficilior cæteris, ſed quod connumeretur inter difficiles, & per hoc patet.

Ad tertium quid ſit reſpondendum.

LECTIO VII.

IN præſenti lectione breuiter examinabimus tres quæſtiunculas, ponendo fundamenta, concluſiones, & reſponſiones ad argumenta.

QVAESTIO IX.

Vtrum ſit vna via inueſtigandi quod quid eſt.

VIdetur quod non. Omnis ſcientia habet proprium modum diffiniendi; nam aliter definit Phiſicus, aliter Mathematicus, aliter Metaphiſicus, ergo non erit vnus communis modus inueſtigandi, & definiendi.

Secundo. Quandoque Philoſophus, vtitur via diuiſiua, aliquando compoſitiua, ergo.

Primo notandum in dilucidatione quæſtionis, quod, quod quid eſt poteſt duobus modis conſiderari. Primo in communi, prout conſtat ex genere, & differentia. Secundo in particulari, pro definitione huius, vel illius. Primo modo reperitur vnus modus definiendi, quia omnis definitio conſtat ex genere, & differentiã. Secundo modo non eſt vnus modus definiendi. Sed quælibet ſcientia, ſicut gaudet proprijs principijs, ita, & proprio genere, & differentijs proprijs; vnde aliter definit Mathematicus, aliter Phiſicus, aliter Metaphiſicus, & p hoc patet ad primũ. Nec tamen hoc intelligatis, quod detur quodquid eſt commune. Sed conſideratum in communi. *Quodquid eſt dupliciter conſideratur.*

Secundo notandum, quod duplex eſt modus venandi, quodquid eſt in particulari. Primus per modum diuiſionis, v. g. volo inueſtigare definitionem hoĩs. Primo diſtinguo ſubſtantiã in corporeã, & incorporeã, deinde corporeã in animatã, & innanimatam; deinde animatã in ſenſitiuã, & non ſenſitiuam; deinde ſenſitiuã in rationalem, & irrationalem, & deinde, vtor ſecundo modo inueſtigandi *Dupliciter venatur.*

ſtigandi definitionem, ſcilicet per compoſitionem dicendo: homo eſt ſubſtantia animata, ſenſitiua, & rationalis.

Præcipue compoſitione. Tertio notandum, quod quis Philoſophus in ſcdo Poſteriorũ videaẽ ſolũ approbare modum compoſitionis, hoc tamen dupliciter intelligi poteſt. Primo vt omnino excludat modum diuiſiuum. Secundo vt neget, quod ſit immediatum principiũ definitionis. Primum eſt falſum; nã non poſſumus componere niſi prius diuidamus. Secundum tamen verum eſt, quia, & ſi diuiſio concurrat, non eſt tamen cauſa notificandi rem niſi per compoſitionem, quia per cõpoſitionem propria de definito affirmamus, & contraria negamus.

Concluſio probatur. Concluſio eſt Optima via quærendi quodquid eſt, eſt compoſitiua. Probatur. Illa eſt optima via, quæ facit cognoſcere proprium genus, & propriam differentiam. Talis eſt via compoſitiua, quia cum re definita componimus proprium genus, & vltimam differentiam, ergo.

Arg. ſoluuntur. Ad primum iam reſponſum eſt in primo notabili.

Ad ſecundum ſimiliter diximus, quod diuiſio ordinatur ad compoſitionem, & ideo compoſitio eſt immediatior.

QVÆSTIO X.

Vtrum vniuerſale, aut nihil ſit, aut poſterius ſit.

Videtur quod non. Nam Deus, & intelligentiæ vniuerſalia quædam ſunt, tamen maxime entia ſunt, ergo.

Secundo. Illud eſt prius, a quo nõ conuertitur ſubſiſtendi conſequentia. Sed ab vniuerſali ad minus vniuerſale, non conuertitur conſequentia; non enim valet, eſt animal, ergo eſt homo. Sed bene, eſt homo, ergo animal, igitur.

Vniuerſale quadruplex. Primo igitur notandum, quod vniuerſale quadrupliciter ſumitur. Primo in cauſando, pro cauſa, vel cauſis vniuerſalibus, vt ſunt; Deus, intelligentiæ, & cęlum, quæ habent actionem ſupra oĩa generabilia, & corruptibilia. Scdo in eſſendo, pro natura vniuerſali in plurib. reperibili, verbi gratia, pro natura ſenſitiua, quæ reperitur in omnibus animalibus. Tertio in repreſentando, pro ſpecie intelligibili vniuerſaliter repræſentante, verbi gratia pro ſpecie lapidis, vt ſic. Quarto in prędicãdo, pro natura ſubſtrata ſecundæ intentioni, & pro genere, vel ſpecie, vel alio prædicabili, & de hoc vniuerſali ſolummodo hic loquimur.

Eſt quid poſterius. Secundo notandum, quod Commẽtator exponit propoſitionem Philoſophi de vniuerſali Platonico, cũ aut nihil ſit, tanquam quoddam ficticium, & chimericum, aut poſterius ſit; cum ſcientia noſtra originẽ trahat a particularibus, & non a natura illa communi Platonica, quæ eſt poſterior ſingularibus, nam ſcientia, (vt inquit Commentator) eſt rerum particularium.

Scitur. Tertio tamen notandum, quod hæc propoſitio Cõmentatoris, v. qđ ſcientia ſit rerum particularium poteſt bifariam intelligi. Primo vt ſit ſenſus, quod ſit rerum particulariũ, v.g. Petri, Antonij, Brunelli. Secundo vt ſit rerum, & non vniuerſalitatum, ideſt ſcientia, eſt rerum exiſtentium in particularibus, non tamen vt includunt materiam, ſed vt ſtant ſub vniuerſalitate, tanquam ſub conditione ſine qua non, & hic ſenſus verus eſt, & intentus.

Fit ab intellectu. Quarto notandum circa alteram propoſitionem Commentatoris, v. quod intellectus, eſt ille, qui facit

vniuerſalitatem in rebus, quod hoc bifariã põt intelligi. Primo per ſe, vt intelligamus intellectum eſſe productiuũ vniuerſalitatis, & hoc falſum eſt, nã omnis cauſa realis, producit effectum realem, vniuerſalitas autem non eſt effectus realis, ſed ſecunda intentio. Secundo conſequutiue, ideſt ad naturam intellectam, ſequitur vniuerſalitas, nam cum intellectus intelligit, verbi gratia, naturam hominis, ſine conditionibus materialibus, & indiuiduantibus, ſequitur, quod ipſam intelligat vniuerſaliter, & in hoc ſenſu intelligenda eſt præſens propoſitio.

Quomodo Quinto notandum, quod aliter S. D. interpretatur propoſitionem Philoſophi. Duo (inquit) ſunt conſideranda in natura vniuerſali. Primum eſt natura ſubtracta vniuerſalitati, verbi gratia, natura animalis. Secundum eſt ipſa vniuerſalitas, quę eſt ſecunda intentio. Dum igitur affirmat Philoſophus, quod vniuerſale, aut nihil eſt, aut poſterius eſt, loquitur de vniuerſalitate ipſa, ideſt de ſecunda intentione, quæ cum ſit ens fabricatum ab intellectu, aut nullum eſſe habet, niſi rationis, vel poſterior eſt rebus ipſis, natura tamen aliquid eſt, & prior, ſecunda intentione.

Arg. ſoluuntur. Ad primum iam ſatis dictum eſt in annotationibus.

Ad ſecũdum ſimiliter, quia prius a quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia, eſt prius in eſſendo.

QVÆSTIO XI.

Vtrum accidentia magnam partem conferant ad cognoſcendum quodquid eſt.

Videtur quod non. Quia ſubſtantia eſt prior accidente, tẽpore, natura, & diffinitione. Igitur non dependet ab accidentibus. Probatur; quia prius non dependet a poſteriori.

Secundo. Eadem ſunt principia eſſendi, & cognoſcendi. At accidens non eſt principium eſſendi, ſed ſubſtantia, ergo nec cognoſcendi.

Tertio. Quodquid eſt, eſt principium cognoſcendi accidens. Igitur non accidens quodquid eſt.

Quarto. Imperfectius non producit perfectius. Accidens eſt imperfectius ſubſtantia. Igitur non producet cognitionem ſubſtantiæ.

Primo igitur notandum, quod duplex eſt cognitio. Quædam confuſa, & vniuerſalis, quæ ſolum facit cognoſcere rem in vniuerſali. Quædã eſt diſtincta, quæ habetur per proprium genus, & proprias differentias. Accidentia proficiunt ad priorem cognitionem, cum ſint priora, & cadant ſub ſenſibus noſtris, nõ tamẽ ad ſecundam, quia talis dependet ex proprio genere ſubſtantiæ, & ex proprijs differentijs. *Cognitio confuſa, & diſtincta.*

Secundo notandũ, quod accidentia adiuuent cognitionem ſubſtantiæ poteſt dupliciter intelligi. Primo ex parte ipſius ſubſtantiæ, & hoc, falſum eſt, nam ſubſtantia ſecundum ſe, ſicut eſt prior accidẽtibus natura, ita, & cognitione. Secundo ex parte noſtri, & hoc verum eſt, nam illa, quæ primo cadunt ſub ſenſibus noſtris ſunt accidentia ſenſibilia, ex quibus deuenimus in cognitionem ſubſtantiæ. *Accidentia iuuant cognitionem ſubſtantialẽ, ex parte noſtra.*

Secundo principaliter ponitur talis concluſio: Accidentia magnam partem conferunt ad cognoſcendum quodquid eſt ſubſtantiæ. Probatur. Illa, quæ magis ſunt ſenſata, prius cauſant cognitionem, quam minus ſenſata. Sed accidentia magis ſunt ſenſata, quam ſubſtantia, vt cuilibet intelligenti patet, ergo. *Concluſio probatur.*

Ad primum dicitur. Primo ad propo-

Arg. ſol-uuntur. propoſitionem Philoſophi, quod valet de cognitione ex parte rei, non ex parte noſtri; ſicut modo loquimur. Secundo de cognitione diſtincta, & non confuſa.

Ad ſecundum reſpondetur ad maiorē, quod principia eſſendi in actu, (vt excludamus materiā) ſunt principia etiam cognoſcendi, ſed non econuerſo, ſicut eſt accidens. Secundo vera eſt propoſitio ex parte rei; quod principia eſſendi ſunt etiam principia cognoſcendi, non autem ex parte noſtri, ſicut contingit in propoſito.

Ad tertium dicendum, quod, quodquideſt, eſt principium cognoſcendi accidens ſecundum ſe, reſpectu noſtri, econuerſo, accidens eſt cauſa cognoſcendi quodquideſt.

Ad quartum ſimiliter reſpondetur.

Omittimus in hoc primo libro tractare, nū intelligere ſit propria operatio intellectus, vel compoſiti, quia de hac re in tertio agemus, & ideo hæc ſufficiant pro his, quæ ſpectant ad hunc primum librum de Anima. Notato hoc ſolū Ariſt. aſſerere Dialecticum, idest Topicum definire per formā, & vane, quia procedit ſolum ex vniuerſalibus, & remotis principijs, quæ non ſcientiam, ſed tātum opinionem gignunt, Phyſicū vero, ait per materiam definire, quia ſi definiat etiam per alias cauſas, tamen eas ordinat ad materiam.

Finis primi Libri.

SECVNDI DE ANIMA.

LECTIO PRIMA.

S. D. etiam prima.

IN præſenti lectione tria obſeruabimus. Primo literaliter explicabimus quatuor, primos textus. Secundo circa ipſos aliqua annotabimus. Tertio mouebimus circa ipſos aliqua dubia.

Quoad primum. In his textibus primo Philoſophus ponit ſuam intentionem. Secundo aliquas diuiſiones, concludendo vltimate definitionem Animæ. Inquit ergo, quod exordiendum eſt a principio, & tentandum demonſtrare, quid ſit Anima, & eius communiſſima ratio.

Prima autem diuiſio a Philoſopho aſſignata eſt, quod ens diuiditur in decem genera, inter quæ eſt ſubſtantia, hanc enim explicite nominauit, quia ad propoſitum ſuum faciebat.

Secunda diuiſio ſubſtantiæ eſt. Quod ſubſtantia diuiditur in materiam, formam, & compoſitum; ſed materia non eſt hoc aliquid, nec ſubſtantia niſi in potentia. Forma eſt actus, & ſpecies. At compoſitum eſt hoc aliquid, & quoddam conſtitutum ex his, ſcilicet ex materia, ſcilicet, & forma.

Tertia diuiſio eſt. Quod forma, vel actus duplex eſt. Primus, ideſt eſſe rei, & ſecundus, ideſt eius operatio, vt ſcientia eſt actus primus intellectus, quia facit, quod ſit in actu ſciens; conſiderare vero eſt actus ſecundus, quia ponit intellectum in actuali operatione ſcientiæ, ſcilicet intelligere, & conſiderare.

Quarta diuiſio eſt. Quod ſubſtantia duplex eſt, ſ. corporea, & incorporea; ſed ſubſtantia corporea maxime videtur eſſe ſubſtantia.

Quinta diuiſio eſt corporũ. Quia quædam habent vitam, vt quæ habent motum augmenti, & decremẽti, ſicut ſunt plantæ, bruta, & homines, quædam vero non habent vitam, ſed ſolum eſſe, vt lapides, & ſimilia.

Quoad ſecundum principale. Primo notandum venit, quid nam intellexerit Philoſophus in illis verbis. (Iterum autem tanquam ex principio) quo loci aſſerit ſe velle tradere communem rationem Animę. Aliqui ergo interpretantur mentem Philoſophi, dicentes, quod hoc dixit, quia nullus Philoſophorum antiquorum, quorum dicta protulit in primo, aliquam animæ rectam diffinitionem dederant. S. autem Tho. inquit, Ariſtotelem inſinuaſſe reſponſionem ad quęſtionem vnam motam in primo. Inquirebat enim ibi, an prius de anima, vel de potentijs eius eſſet agendum, hic autem reſpõdet, quod prius de anima agendum eſt, ſecundo de potentijs, ſed de Anima tractandum eſt prius per communem rationem, & vtraque expoſitio ſtare poteſt. *Ariſt. explicatio.*

Secundo notandum, quod aliqua diffini-

Diffinitio dicitur cõmunis dupliciter. diffinitio dicatur communis, poteſt dupliciter intelligi. Primo reſpectu definientium, quia ſcilicet datur per communia, & extrinſeca. Secundo reſpectu rei diffinitæ, quia v. res definita eſt vniuerſalis. Hæc definitio vocatur communis non reſpectu definientium, datur enim per propria, & intrinſeca animæ, ſcilicet per eſſe actum primum corporis. At vocatur communis, reſpectu rei definitæ, quia hic definitur anima, quatenus dicitur, de vegetatiua, de ſenſitiua, & de intellectiua, omnibus enim his conuenit præſens definitio. Sed putarem ego dicendum. Ariſt. vocaſſe hanc communem definitionem, quia etiam datur per communia, ſed intrinſeca. Prius quidem definit animam per eſſe actum corporis, at nõ explicat, quæ nam demanent ab hoc actu, hoc autem explicat in ſecunda definitione dicens: quod dat eſſe, viuere, ſentire, & intelligere, & vlterius, multa ſe promiſit traditurum de anima, quæ vſque modo ad manus noſtras non peruenerunt, & ideo vocat hæc communia.

Notandũ ex textu. Tertio notandum circa ſecundam diuiſionem, quod tria digna notatione ex ea habemus. Primum, quod materia non eſt hoc aliquid, idest ens exiſtens in actu. Secundum, qđ hoc aliquid poteſt dupliciter ſumi. Primo pro ente exiſtente in actu, & ſic nulla eſt difficultas, quod anima ſit hoc aliquid, cum ſit forma, & actus. Secundo, vt per hoc aliquid intelligimus ens per ſe ſubſiſtens. At quia hoc aliquid ſolum verificatur de anima intellectiua, quę poteſt per ſe ſubſiſtere, hoc aliquid autem hic cum attribuatur omni formæ, & animæ, putarem primum intelligendũ. Tertium eſt, quod hoc aliquid proprie ſolũ conuenit rei cõpletæ in ſpecie, & ideo ſtricte ſolũ verificatur de prima ſubſtantia per ſe ſubſiſtente.

Quarto notandum circa primam diuiſionem, ſcilicet quod duplex eſt actus, primus, & ſecundus. *Actus duplex 1. & 2.* Quidam enim dicunt, quod hæc eſt diuiſio rerum, vt primus actus dicatur eſſe forma ſubſtantialis, ſecundus operatio, & forma accidentalis. Longe melius tamen aliqui autumant hanc eſſe diuiſionem vnius rei per diuerſas rationes formales, quia eadẽ forma, & anima habet vtrumque, quatenus enim dat eſſe dicitur actus primus, & quatenus dat operationem dicitur actus ſecundus, & merito hæc expoſitio eſt melior, qa nõ multiplicat entia ſine neceſſitate.

Quinto notanda ſunt tria circa quartam, & quintam diuiſionem. Primum, quod horum verborum (Subſtantiæ autem maxime videntur eſſe corpora, & horum Phyſica) ſunt duæ expoſitiones. Prima S. Thomæ, & Thomiſtarum dicentium; *Explicatio dictorum in textu.* Philoſophum implicite inſinuaſſe duas diuiſiones, ſcilicet. Subſtantia, quædam eſt corporea, quædam incorporea. Corporea, quædam Phiſica, quædam non. Secunda expoſitio fuit Themiſtij, Filoponi, & Toleti negantium, ibi Philoſophum inſinuaſſe nouas diuiſiones, ſed explicuiſſe quænam maxime dicatur ſubſtantia dicendo, quod ſubſtantia dicitur de materia, forma, & compoſito, ſed inter hæc, maxime videntur eſſe ſubſtantiæ corpora Phyſica, & hoc quidem conatur probare Toletus, quia ſi hæc diuiſio non eſſet, proprio loco non fuiſſet poſita, quia prius diuiditur ſubſtãtia in corpoream, & incorpoream, antequam diuidatur in materiam, formam, & compoſitum. Sed hi mihi maxime videntur aberraſſe; nam cum talis diuiſio eſſet neceſſaria, quia vna eius pars ponitur in definitione animæ; nulla ratione videtur Philoſophus potuiſſe eam tacuiſſe, cum nec cæte-

ras tacuerit. Nec ratio Toleti vrget, quia cum talis diuiſio ex profeſſo non fuerit aſſignata, & explicata, cum eſſet notiſſima, multum noluit laborare circa ipſam, nec omnino eam ſub ſilentio inuoluere.

Corpora ſunt in triplici differentia.

Secundum notandum circa eaſdem diuiſiones, quod corpora ſunt in triplici differentia. Quædam ſunt corpora naturalia, & Phyſica, quæ habent rationem ſubſtantiæ, tum ex materia; tum ex forma. Quædam vero ſunt corpora artificialia, quæ habent rationem ſubſtantiæ reſpectu materiæ; accidentis vero reſpectu formæ. Nam lignum ex quo fit imago Mercurij, eſt ſubſtantia, & res naturalis, imago vero eſt forma accidentalis, & artificialis. Anima dicitur actus corporis Phyſici, ad hoc vt ſciamus, quod eſt forma ſubſtantialis. Quædam vero ſunt corpora Mathem. quæ ſolum ſunt accidẽtia, quia in eis ſolum conſideratur figura, vt patet in ſphera.

Tertio notandum circa eaſdem, quod in eodem textu Philoſophus inquit, quod corpora naturalia ſunt aliorum principia corporũ. Corpora igitur naturalia multipliciter artificialium inueniuntur principia. Primo in genere cauſæ materialis, quia fiunt ex materia naturali. Secundo in genere cauſæ efficientis; quia fiunt ab artifice viuente qui eſt corpus naturale. Tertio in genere cauſæ finalis, quia nos ſumus finis omnium artificialium, Mathem. vero conſiderata quatenus non abſtrahunt a materia ſenſibili. Primo depẽdent a corporib. naturalibus in gñe cãę materialis, q̃a nõ collocãtur, niſi ĩ materia ſenſibili. Scdo in gñe cauſæ finalis, quia accidentia ſunt propter ſubſtantiam corporalem. Tertio in genere cauſæ effectiuæ per reſultantiam, ſed hæc fere nulla ſunt.

QVÆSTIO I.

Vtrum ſubſtantia ſufficienter diuidatur in materiam, formam, & compoſitum.

Videtur quod non. Omnis bona diuiſio fit per membra oppoſita. Sed hæc non eſt per membra oppoſita; quia materia, & forma compoſitum conſtituunt, ergo.

Secundo. Principia generis non continentur ſub genere. Sed materia, & forma ſunt principia ſubſtantiæ; igitur non continentur ſub ſubſtantia.

Tertio. Philoſophus in v. Metaphiſ. affirmat materiam non eſſe quid, ideſt ſubſtantiam, ergo.

Quarto. Subſtantia per ſe ſubſiſtit; Anima non per ſe ſubſiſtit, ergo. Maior eſt Ariſtotelis in prædicamentis. Minor probatur, quia non eſt quid completum, ergo.

Quinto. Subſtantia ſubſtat accidentibus. Anima non, quia accidentia inſunt compoſitæ ſubſtantiæ, ergo.

Sexto. Anima eſt in ſubiecto, ideſt in corpore. At ſubſtantia non, ergo.

Secundo. Dubitatur, quia Ariſtoteles, ſeptimo Metaphyſ. text. 7. addit vniuerſale, dicendo; quod ſubſtantia diuiditur in materiam, formam, compoſitum, & vniuerſale.

Tertio. Dubitatur, quia Philoſophus videtur innuere, quod anima non ſit hoc aliquid, ſed quo aliquid eſt, ideſt faciens materiam eſſe actu. Hoc tamen videtur eſſe contrarium S. D. 1. p. q. 75. art. 2. vbi aſſerit: Animam rationalem per ſe ſubſiſtere, & ſuum eſſe communicare corpori.

Pro horum dilucidatione. Primo apponemus neceſſaria fundamenta,

ta. Deinde cõcluſionem probatam. Vltimo ſolutiones argumentorum.

Subſtantia ſumitur vniuerſaliter et pro materiali.

Quoad primum. Primo notandum eſt, quod ſubſtantia dupliciter capi poteſt. Primo vniuerſaliter, pro ſubſtantia vt verificatur de corporea, & incorporea, de materiali, & immateriali. Secundo pro ſubſtã tia ſolum materiali, & ſic ſolum ſumitur in præſenti, quia ipſa eſt, quæ diuiditur in materiam formam, & compoſitum. Et conſulto Ariſtoteles de hac preciſe egit, quia ſolum facit ad propoſitum ſuum, ad ſciendũ v. quomodo Anima ſit forma corporis Phyſici.

Diuiditur analogice ĩ materiã, formam, & compoſitũ

Secundo notandum, quod præſens diuiſio non eſt generis in ſuas ſpecies, cùm materia, & forma non ſint ſpecies, nec directè collocentur in prædicamento, ſed eſt diuiſio analogi in ſua analogata. Triplex autem eſt analogia. Prima vocatur inæqualitatis, quando ratio vnius, logice equaliter a duobus participatur, non tamen Phyſice. Vt habere trinam dimenſionem, dicitur Logice, ideſt ſecundum intentionem de corporibus ſuperioribus, & inferioribus, non tamen ſecundum eſſe, & Phyſice, quia trina dimenſio nobilius eſſe habet in ſuperioribus, quam in inferioribus. Alia vocatur analogia attributionis, quæ formaliter, & intrinſece in vno ſolo analogato ſaluatur, in alijs vero ſolum denominatione extrinſeca. Alia eſt analogia proportionalitatis, cuius ratio in vtroq; analogato ſaluatur proportionaliter. Hęc diuiſio eſt analogię attributionis, q̃ eſſe hoc aliquid verificatur primo, & principaliter de cõpoſito, de alijs vero ſolum in obliquo.

Diuiditur p modos.

Tertio notandum, quod ſubſtantia particularis dupliciter cõſiderari poteſt. Primo vt particularis eſt, verbi gratia forma vt eſt talis forma, materia, vt talis materia. Secũdo vt præſeferunt modum peculiarẽ, quo mediante, materia prędicatur de omnibus habentibus materiam, & forma de omnibus habentibus formã. Primo modo non eſt intelligenda hæc diuiſio, ſed ſecundo modo, quia intelligimus ſubſtantiam eſſe diuiſam in modos generales exiſtendi ſic, vel ſic. Hoc eſt etiam, quod docet S. D. 1. p. q. 29. art. 1. dicendo, quod quamuis ſingulare non ſit ſcibile, vel definibile, tamen id quod pertinet ad communem rationem ſingulariũ eſt & definibile, & ſcibile, & hoc itidem lepide docet Caiet. in prædicamentis, capite de ſubſtantia.

Quoad ſecundum concluſio eſt: Anima eſt ſubſtantia. Probatur Dans eſſe ſubſtantiale eſt ſubſtantia: Anima dat eſſe ſubſtantiale, ergo. Hæc omnia palam fient in ſequentibus. Per hanc autem rationem, excluſam intelligamus opinionem antiquorum dicentium, animam eſſe harmoniam, ideſt proportionẽ quandam qualitatum, ſeu vt Galenus dixit temperamentum quoddam primarum qualitatum. Hæc enim accidentia ſunt, & non ſubſtantia.

Concluſio probatur.

Arg. ſoluuntur.

Ad primum. Primo abſolute negamus maiorẽ. Secundo reſpondetur, quod duplex eſt diuiſio pro nũc. Quædam generis in ſpecies, & hæc fit per membra oppoſita, quia genus diuiditur per differentias oppoſitas. Quædam eſt, analogi in ſuos modos, ſicut iſta, quæ non datur per membra oppoſita.

Ad ſecundum dicendum ad maiorem, quod contineri ſub genere ſtat dupliciter. Primo directè, in recta linea prædicamentali. Secundo reductiue, ſeu a latere. Modo principia generis non continentur ſub genere, primo modo, ſed ſecundo, ſicut euenit in propoſito; nam materia, & forma non continentur ſub

genere, niſi, vt principia ſpeciei, ver bi gratia hominis.

Ad tertium dicendum, quod Philoſophus intelligebat materiam non eſſe ſubſtantiā, nec quid in actu, ſed vtique in potentia.

Ad quartum negatur maior abſolute, quia anima intellectiua per ſe ſubſiſtit. Secundo reſpondetur ad minorem, quod anima intellectiua per ſe ſubſiſtit, & ſi non complete, vnde etiam ſeparata habet ſemper naturalem inclinationem ad corpus. Tertio reſpondetur vniuerſaliter de omni forma, quod per ſe ſubſiſtere ſtat dupliciter. Primo vt dicit quid completum in ſpecie, & ſic non eſt neceſſarium, quod omnis ſubſtantia per ſe ſubſiſtat. Secundo vt diſtinguitur contra alteri inhærere, & ſic omnis ſubſtantia ſubſiſtit, vnde & ſi anima ſit in corpore, non eſt tanquā accidens in ſubiecto; ſed ſicut forma in materia.

Ad quintum negatur maior abſolute. Prima enim ratio ſubſtantiæ eſt alteri non inhærere. Secundo dicitur, quod talis ratio eſt ratio ſubſtantiæ completæ, & non incompletæ, ſicut eſt anima. Tertio dicitur, quod anima ſubſtat accidentibus ſpiritualibus, ſcilicet virtutibus, & vitijs. Quarto dicitur, quod per ſe ſubſiſtere duo dicere poteſt. Primū eſt independentia ab alio in ratione actus, & ſic aīa per ſe ſubſiſtit, quia non dependet a corpore, vt ab actu. Secundum eſt, habere eſſe completum, & ſic tantum compoſitum per ſe ſubſiſtit.

Ad ſextum, dictum iam eſt, quod forma non eſt in ſubiecto, ſicut accidens, ſed ſicut forma. Et ſi melius poſſit dici, quod forma non eſt in ſubiecto, ſed in materia, nā ſubiectū ſignificat ens exiſtens in actu, materia vero dicit puram potentiam.

Ad ſecundum principale dicendum, quod illa diuiſio non fuit Ariſtotelis, ſed Platonis, & ideo ab ipſo labefactata multis argumentis.

Ad tertium principale dicendum, quod duplex eſt eſſe, ſcilicet eſſentiæ & exiſtentiæ. Anima poteſt eſſe hoc aliquid quoad eſſe exiſtentiæ, ideſt poteſt per ſe ſubſiſtere, vnde hoc eſſe communicat compoſito, non tamen quoad eſſe eſſentiæ, quia tale eſſe importat complementum in ſpecie, modo Anima ſeparata non habet eſſe eſſentiæ niſi incōplete, quia complete hoc habet in compoſito. Habeas autem pro excluſione opinionis Platonis in Alcibiade, vt refert S. D. ſecundo contra gentes cap. 57. & opinionis Simplicij in hoc ſecundo text. 7. Philop. text. 11 &c. ſcilicet, quod anima non ſit forma informans, dans eſſe exiſtētię corpori, ſed tantum ſit fōrma aſſiſtens dans ei motum, habeas in quā, ipſam eſſe verum actum corporis vnumque compoſitum ſubſtantiale cum eo conſtituere. Quod non ſolum conuenit animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, verum etiam intellectiuæ. At quod conueniat ei inquātum intellectiua eſt, bifariam poteſt intelligi. Primo ſpecificatiue, ideſt quod il la aīa, quæ eſt intellectiua ſit actus, & forma corporis, vt eius actus, & forma ſubſtantialis, & hoc verum eſt, & definitū in Concilio Viennenſi. Secundo reduplicatiue, ideſt, vt eſt intellectiua, & ratione intellectus, & hoc non eſt verū vt docuit Caiet. 1. p. q. 76. artic. 1. & Ferrar. 1. contra gentes cap. 58. ſic enim eleuatur ſupra corpus.

Q V AE S T I O II.

Vtrum Anima ſit actus primus corporis Phyſici organici, potentia vitam habentis.

VIdetur quod non. Id quod aduenit enti in actu, non eſt actus pri-

Anima primus: aduenit enti in actu, ideſt materiæ diſpoſitæ, ergo.

Secundo. Bona diffinitio debet cõuenire cuilibet contento ſub diffinitio, At hæc nam conuenit cuilibet animæ, ergo. Probatur minor, quia nõ conuenit animę nutritiuæ, quæ ſemper nutrit.

Tertio. Anima cęli, (ſi cælum eſt animatum) ſemper eſt in actu ſecundo. i. in mouere; ergo.

Quarto. Quod non ſit actus corporis, Probatur; Adueniens materiæ nudæ non eſt actus corporis, ſed materiæ exiſtentis ſub forma corporeitatis; Sed anima aduenit materiæ nudæ, per S. D. ergo.

Quinto. Quod non ſit actus corporis organici; Probatur. Dãs eſſe organicũ nõ eſt actus corporis organici. Sed anima dat organizationẽ, cum nullã formã pſupponat in ſubiecto; igitur.

Sexto. Quod habet vitam in potentia, non eſt actu animatum; Sed anima dat eſſe animatum; ergo non erit actus exiſtentis in potentia.

Septimo. Diffinitio datur per nobiliorem actum; Sed actus ſecundus eſt nobilior primo, cum primus includat potentiam; ſecundus operationem; igitur debebat eam Ariſt. diffinire dicendo, quod eſt actus ſecũdus.

Pro explicatione huius quęſtionis. Primo ponemus multa fundamẽta. Secundo concluſionem cum probationibus ſingularum particularum. Tertio ſolutiones argumentorum.

Actus aEnat. Quoad primum primo notandum eſt, quod actus eo dicitur actus, quatenus facit rem exiſtere in actu; vnde actus, & forma idem ſunt realiter; ſicut potentia, & materia, quare forma dicitur actus, quatenus correſpondet potentiæ materię; forma vero, quatenus correſpondet eidẽ materiæ; vnde anima dicitur actus corporis; quia facit exiſtere materiã corporis in actu.

Secundo notandum, quod duplex eſt actus. ſ. primus, & ſecundus. Primus actus importat eſſe ſubſtantiale. Secundus accidentale. i. operationẽ. *Anima eſt actus primus.* Anima igitur dicitur actus primus; quia cum ſe habeat vt forma ſubſtantialis, dat eſſe ſubſtantiale; & ſic eſſe ſe habet vt primum principium, & ſi non vt proximum actus ſecundi, & oĩum operationũ, vt videbimus infra.

Tertio notandum, quod anima quandoq; actus, quandoq; forma, quandoq; anima ipſa nuncupatur. *Et forma* hæc. n, & ſi idem ſint, & eidem conueniant realiter, diſtinguuntur tamen formaliter, Nã anima dicitur actus, quatenus id qđ erat in potentia facit exiſtere in actu, Dicitur forma, quatenus aduenit materiæ nudæ. Dr̃ anima quatenus iam ſupponit materiam diſpoſitam, ad eſſe animatum, & tamen diſpoſitiones corrumpuntur in aduentu formæ, vt infra videbimus.

Quarto notandum, ſicut iam preliba uimus, quod triplex eſt corpus; Naturale, quod habet rationem ſubſtantię, ex parte materię, & formæ, & hoc *Corpus triplex.* vocatur corpus phyſicũ organicum, q̃ habet partes diuerſas vt infra. Aliud eſt artificiale, aliud Mathematicum; ſicut iam documus, Dixit itaq; philoſophus, quod anima eſt actus corporis phyſici, ad hoc, vt ſciremus, quod eſt forma ſubſtantialis, dans eſſe ſubſtãtiale materiæ. Itaque per corpus phyſicum intelligit Ariſt. non materiam organizatam, vt animam excludit, ſed compoſitũ ex materia, & anima, vnde ly corporis phyſici, non denotat. ſubiectum animæ, ſed illud quod ab ea efficitur per vnionem, & ita docet 1. p. q. 76. S. D. i. S. art. 4. ad primum Themiſtius. Simplicius Philoponus Caiet. hic, & plures alij & eſt expreſſa in Ariſt. tex. 10. & 8.

Quinto notandum circa ly actus corporis phyſici, organici, quod duplex eſt corpus; Quoddam organicum, quod habet diuerſitatem orga- *Quoddã organicũ & quoddam non*

norum, ſecundum ſitum, figurã, & diſpoſitionem. Quę plura organa requiruntur, propter multiplicitatem operationum exiſtentium in illo corpore. Quoddam eſt corpus inorganicũ, non habens tot diuerſitates partium. ſicut, ignis, & lapis, quia ſolũ iſta corpora ordinata ſunt ad vnam operationem; vnde meriro adiunxit Philoſophus, quod anima eſt actus corporis organici, ad hoc vt palam eſſet, qd. eſt actus, corporis habẽtis plures partes, et potentias Organum autem duo dicit. Primũ tamquam diſpoſitionẽ. ſ. certam quantitatem, certum temperamentum primarũ qualitatum, certam denſitatem, & raritatem, & certã figuram. Secundum eſt forma. i. potentia vitalis, cuius actus eſt operatio per organum exercita.

Anima eſt in potẽtia ad actum ſecũdum. Vltimo notandum circa hæc verba: Potentia vitam habentis; quod dupliciter ſumi poſſunt; Primo prout ſignificant potentiam ad actum primum; Secundo ad ſecundum, quomodo autem hic ſumantur videbimus in fine quæſtionis.

Quoad ſecundum principale ponitur talis concluſio: Recte fuit deffinita anima a Philoſopho per eſſe actum primum corporis, phyſici, organici, potentia vitam habentis. Probatur itaq; primo, quod ſit actus. *Concluſio probatur.*

Faciens rem, exiſtere in actu, eſt actus. Anima eſt talis, ergo.

Secundo. Quod ſit actus primus. Dans eſſe eſſentiale, eſt actus primus. Anima eſt huiuſmodi, ergo.

Tertio. Qd ſit actus corporis Phyſici. Anima aduenit materiæ diſpoſitæ, ad corpus phyſicum; Igitur erit actus corporis phyſici.

Quarto. Organici. Quia eſt actus corporis, habentis plures partes.

Arg. ſoluuntur. Ad primum dicimus ad minorẽ, quod aduenire materiæ diſpoſitę ſtat dupliciter. Primo vt intelligamus in eius aduentu remanere illas diſpoſitiones. Secundo vt dicatur aduenire materiæ iam diſpoſitæ, quæ tamẽ diſpoſitiones corrumpuntur in eius aduentu. Secundum primum ſenſum procedit argumentum; ſed nos intelligimus concluſionem in ſecundo ſenſu. Nec hoc mirum apparet ſpeculanti, mutationes inſtantaneas; qualis eſt generatio ſubſtãtialis; nam in eodem inſtanti in quo ſol illuminat aerem; tenebræ cedunt.

Ad ſecundum reſpondendo, omittam multas inutiles reſponſiones; & ſolum illuſtrium philoſophorum conſentaneas adducam. Prima igitur reſponſio Caietani eſt, quod anima nutritiua, dupliciter conſiderari poteſt. Primo in genere, vt anima eſt. Secundo vt talis eſt. ſ. nutritiua. i. vt eſt coniuncta qualitatibus actiuis, & paſſiuis. Primo modo conſiderata poteſt dici actus primus non repugnanter; quia non repugnat animæ nutritiuæ, vt anima eſt, quod ſit in actu primo, quia ſequeretur, quod omnis anima eſſet actus ſecundus. Sed contra hanc reſponſionem inſurgit Dominicus Bannes, qui aſſerit numquam ei placuiſſe talem diſtinctionem; eo, quia ſic etiam poſſemus dicere, quod aſinus eſſet animal rationale, non repugnanter, quatenus eſt animal. Sed fallitur profecto, quia comparat ſpeciem ad ſpeciem; nos ſpeciem comparamus ad genus; non. n. animal vt ſic, eſt rationale; ſicut anima, vt ſic eſt actus primus. Secundo rñdetur, quæ reſpõſio in idem fere redit, quod anima nutritiua, poſitiue eſt ſemper in actu ſecũdo; non aũt negatiue, & nõ repugnanter. Tertio dicitur; quod tres sũt operationes Animæ vegetatiuę; nutrire, augere, & generare; vnde & ſi ſemper non ſit in actu ſecundo quoad augmentum, & generationem, eſt tamen quoad nutritionem; ſed hoc non ſufficit, vt vegetatiua anima dicatur actus ſecundus. Quarto libet

bet dicere, quod nutritiua non ſemper nutrit:dum ad nutritionem tendit, quia datur aliquod inſtās, in quo non auget; cum motus augmenti per Ariſtotelem in 8. phyſic. non ſit continuus.

Ad tertium facit prima reſponſio, data ſecundo argumento.

Ad quartum dicendum, quod anima dupliciter conſiderari poteſt Primo vt anima eſt. Secundo vt dicitur forma. Primo modo dicitur eſſe actus corporis, ad hoc, vt intelligamus; quod aduenit materiæ iam diſpoſitæ, nō ad quodcumq; eſſe; ſicut facit forma; ſed ad eſſe corporis animati; quæ tamē diſpoſitiones corrumpuntur in aduentu animę. Secundo modo dicitur actus materiæ, quia vt forma materię correſpondet; & in hoc ſecundo ſenſu aſſumpſit ſuā propoſitionē S. D.

Ad quintum dicimus ad maiorē; quod dare eſſe organicum ſtat dupliciter. Primo formaliter; et hoc eſſe habet corpus poſt aduentum animę. Secundo diſpoſitiue, quia anima aduenit materiæ diſpoſitæ ad organizationem; In primo ſenſu procedit argumentū, nos loqmur in ſecundo ſenſu.

Ita dicimus ad Galenum, quod vita animalis depēdet a contemperamēto non vt a forma, ſed vt a diſpoſitione ea ſequente, & cum ea ſimultanea, & ita ab hac dependent diuerſæ paſſiones animæ non ſpecificæ, ſed indiuiduales, vt docet. S. D. 2. contra Gentes cap. 64.

Ad ſextum iam ſatis dictum eſt.

Ad ſeptimum tres ſunt reſponſiones. Prima eſt Caietani, quod actus primus, & ſecundus poſſunt duobus modis conſiderari. Primo materialiter, vt res ſunt in genere entitatis & ſic. primus eſt nobilior ſecundo, cum primus ſit ſubſtantia; ſecundus accidēs. Secūdo formaliter in rōne actus; & ſic ſecundus eſt p̄ſtantior primo, qa habet rationem completiui, & vltimæ actualitatis. Secundo reſpondetur cum Ricardo in 4. d. 49. ar. 1. q. 4. Soto ibidem, art. 3. & Medina. 1. 2. q. 3. artic. 2. quod comparatio fit ſolum reſpectu eorum, quę ſunt eiuſdem generis. Valet vtriq; quod actus ſecundus eſt nobilior primo illius generis, ſicut operatio habitu acquiſito, vel potentia, vt ordinatur ad operationem tamquam ad eius actualitatem, nō tamen reſpectu actus primi alterius generis, de genere. ſ. ſubſtantię, ſicut contingit in propoſito. Tertio reſpondetur, quod, ſecūdus eſt nobilior primo, ſi primum includat, non autem præciſe, quia primus dat eſſe ſubſtantiale; ſecundus dat eſſe accidentale.

Quarto dicitur, quod actus in ratione actus bifariam conſiderari poteſt. Primo vt dicit actuare, & ſic nobilior eſt. Primus ſecundo, quia actuat ſubſtantialiter, & ſecundus accidentaliter. Secundo vt dicit vltimum actualitatis, & ſic eſt nobilior ſecūdus primo, quia intelligitur eſſe in potentia ad ſecundum, & ita voluit dicere Caiet. vt ex doctrina eius patet.

Ad pleniorem autem euidentiam ſecundi, tertij, & ſexti argumenti, recenſenda ſunt duo dubia Caiet. in pręſenti loco. Primum eſt, quomodo anima dicatur actus primus, ad differentiam formarum elementorum, quę ſēper ſunt in actu ſecūdo; Aut. n. dicitur actus primus, quia præſentibus omnib. & concurrentibus ad eius operationem poteſt ſuſpendere ſuam actionem. Aut quia ceſſat ab operatione, non pręſentibus omnibus requiſitis ad eius operationem, Si ſecūdum, hoc non eſt ſingulare in anima; quia etiam graue impeditum, deorſum nō deſcendit; nec leue ſurſum aſcendit, Si primum, hoc nō eſt proprium, niſi operationibus voluntarijs; non autē operationibus vegetatiuę, & ſenſitiuæ animæ; quæ computantur inter agentia naturalia, quæ ſolum agunt

ad præſentiam ſui obiecti, ſi nō ſunt impoſita.

Secundum dubium eſt, Quomodo anima diffiniatur per corpus organicum; Nam diffinitio datur per priora, & non per poſteriora; Eſſe organicum eſt quid poſterius anima; cum eius effectus ſit, quia ipſamet eſt, quæ dat eſſe organicum.

Anima poteſt ceſſare ab actuali operatione.

Pro ſolutione primę quęſtionis primo notandum eſt, quod dupliciter contingit formam actualiter non operari. Primo ex defectu alicuius principij, abſoluti neceſſarij ad operationē, & ex defectu alicuius reſpectiui conſequentis; v. g approximationis. Secūdo ex conditione formæ, quia etiam deductis omnibus impedimentis, adhuc poteſt operari, & ceſſare ab operatione. Primo modo ceſſant formæ naturales. Secundo anima, vt patet in ſomno, quia ipſa ſibimet parat otiū, & operationem.

Requiſita ad operationem.

Secundo notandum, quod requiſita ad operationem ſunt duplicia. ſ. abſoluta. i. virtutes, ſpecies obiectorum, & receptiuum operationum; & reſpectiua. i. debita approximatio actualis, & coniunctio cum anima operante per virtutes. Prima habentur actu. Secunda poteſtate, .i. in actu primo, non ſecundo.

Ad primum.

Ad argumentum ergo dico, quod accidit, quia præſentib. abſolutis omnibus poteſt eſſe in potētia, ad actum ſecundum, quia & ſi dat eſſe; dat tamen eſſe cum potentia, ad actum ſecūdum, v. g. quia intellectus meus, & ſi ſit in actu primo. i. habeat apud ſe ſpeciem lapidis; non tamen hæc ſpecies coniungitur intellectui meo, vt ſemper conſiderem lapidem; quia, vel dormio, vel alteri rei intendo. Secundo reſpondetur, quod germanus ſenſus Philoſophi eſt quod anima ceſſat quandoq; a propria operatione; vnde in quolibet inſtanti, nec intellectiua intelligit, nec ſenſitiua ſentit; nec vegetatiua nutrit, auget, & generat, ſicut diximus.

Ad ſecundum.

Ad ſecundum reſpondendo notandum eſt, quod forma quandoq; diffinitur per ſubiectum informe, ideſt per ſubiectum nullam habens additionem, & quandoq; per ſubiectum formatum, .i. per additionem ſuſceptiui, vt dum anima diffinitur per corpus organicum, quia corpus organicum eſt ſuſceptiuum animæ. Primo modo ſubiectum diffinitur per priora. Secundo p poſteriora, quæ tamen ſunt priora reſpectu noſtri; dum caremus proprijs rationib. & differentijs.

Ad argumentum igitur puto dicēdum primo, quod organizatio data ſit ab anima in eodemmet inſtanti, in quo anima aduenit. Secundo dicitur, quòd organizatio in genere cauſę materialis. i. diſpoſitio ad organizationē eſt prior ipſa anima ordine generationis, non tamen in genere cauſæ formalis ordine perfectionis, quia formaliter corpus organicum non eſt organicum actualiter, niſi poſt aduentum animę, & hęc ſufficiant p hoc dubio.

Collige tamē ſupradictā definitionem animæ eſſe eſſentialem, vt eſſentiale diſtinguitur contra accidentale, nam datur p id quod ei cōuenit eſſentialiter, ideſt per actuare corpus. Non tamē dicitur ei eſſentialis, p vt eſſentiale diſtinguitur contra deſcriptiuum, quia non datur per priora, & notiora natura, nam corpus per quod definitur, ſit organicum formaliter actualiter per animam.

LECTIO IIII. ET V.

Quæſtio tertia.

Vtrum dentur plures formæ in compoſito.

IN explicatione huius perdifficilis qſtionis quatuor erunt agenda. Primo ponentur diuerſorum ſententiæ, cum ſuis fundamentis. Secundo adduce-

ducetur opinio vera,cum ſuis rationibus.Tertio adijciemus opinionē noſtram.Quarto ſoluemus omnia argumenta aduerſariorum,quæ videntur infringere ſententiam S.D.& noſtrā.

Quoad primum ſciēdum eſt,quod hęc quæſtio poteſt ſub multiplici titulo diſputari.Primo. An detur aliqua diſpoſitio in materia,quæ non corrūpatur in aduentu vltimæ formæ. Secundo An detur forma corporeitatis materiæ coæterna.Tertio Vtrum dentur plures formæ diſtinctæ in compoſito.v.g. in homine,anima ſenſitiua, vegetatiua,& intellectiua remaneant diſtinctę.Quarto. An partes principales exiſtētes in corpore, vt caput,Cor, epar.&c.hēant diſtinctas formas partiales;& his omnibus modis breuibus hanc quæſtionem dilucidabimus,ſuperflua reſecādo, & neceſſaria ſolum apponendo.

Titulus explicatur.

Prima igitur ſentētia quorundam Commentiſtarū fuit;quod diſpoſitiones præuię non corrumpuntur in aduentu vltimæ formæ;ſed vnaqueq; illarum manet; et hoc quidem. Primo ſic probant.

Opiniones.

Forma non recipitur niſi in materia diſpoſita. Ergo priores diſpoſitiones non corrumpuntur,Probatur ſequela;quia materia ſic remaneret indiſpoſita, ſicut prius.

Secundo teſte Philoſopho 2.de generatione, et corruptione, elementa ſymbolica citius tranſmutantur; Et Commentator reddit rationem; quia v.g. ſi aer qui eſt humidus,& calidus, fiat ignis,corrumpitur ſolum humiditas;& remanet ſiccitas; ergo non corrumpuntur omnia exiſtentia ſub priori forma.

Secunda ſententia de forma corporeitatis fuit Auicennæ primo libro ſuæ ſufficientiæ tenentis, quod materia habet formam corporeitatis coæternam.i.trinam dimenſionem, quæ ſemper remanent in materia,& ſi varientur ſecundum rei diſpoſitionem, ſicut ſi digitis com primam ceram, variantur quidem dimenſiones; remanent tamē,quia cera eſt ſemper ſub aliquib. dimenſionibus; & hanc ſuam chimericam opinionem hiſce fundamentis confirmat.

Primo.Omnis prędicatio eſt per aliquam formam;Hęc eſt eſſentialis prędicatio: homo eſt corpus; ergo p formam corporeitatis,Probatur, quia, cum anima intellectiua ſit incorporea,non poteſt facere,quod homo dicatur corpus.

Secundo. Homo dicitur compoſitus ex anima,& corpore; Quęro modo quid nā per corpus intelligamus, non materiam ſolum, quia ſic etiam elementa ſimplicia dicerentur cōpoſita,ex corpore,& forma, quod obſo num eſt, Neq; per corpus intelligimus formam cum materia, quia ſic non contradiſtingueretur formæ,Igitur per corpus intelligimus materiā exiſtentem ſub forma corporeitatis.

Tertio.Omne quantum eſt corporeum,Sed forma nō aduenit niſi materiæ quantæ.Igitur exiſtenti ſub forma corporeitatis.

Tertia opinio fuit Scoti, & diſcipulorum, duo dicentium. Primum, quod forma corporeitatis remanet poſt aduentum vltimæ formæ, & in hoc concordat cum Auicenna.Secundum, quod hæc forma non eſt materiæ coæterna,ſed fit ab agente diſponente ad vltimam formam. Addunt tertium dictum,quod in homine v.g. ſunt plures animę diſtinctæ.ſ. uegetatiua,ſenſitiua, & intellectiua, & hoc probant multipliciter.

Primo. Dum animal moritur,remanet ſub forma corporeitatis, Quæro(inquit Scotus) Num ſit prior forma corporeitatis,vel alia, Si eadem,ergo non data ab anima, quia ceſſante cauſa,ceſſat effectus. Si alia,hoc videtur impoſſibile.ſ. quod vnus effectus poſſit produci a pluribus cauſis,Videmus autem, quod,& ſi homo moriatur

tur igne, ferro, vel ſuſpenſione, remanet ſemper eadem forma corporeitatis.

Secundo. Accidentia conſequentia determinatam formam, ſi remanent, videtur, & forma illa remanere, At nos videmus eadem accidentia remanere in viuo, & mortuo. v.g. Color, figura, diſpoſitio. ergo.

Tertio. Si adueniente anima cæteræ diſpoſitiones, & formæ corrumperentur, ſequeretur, quod in vno, & eodem met inſtanti, & priores corrumperentur, & vltima produceretur in materia, Hoc falſum, ergo. Probo minorem inquit Iandunus quatrupliciter.

Primo. Quia motus eſſet ſine termino Hoc eſt contra Ariſtotelem, ergo. Probo maiorem, quia illæ diſpoſitiones per vos dicuntur corruptæ ante introductionem formæ, quę eſt terminus harum diſpoſitionum.

Secundo. Quia aut corrumperentur per ſe, aut per accidens, Non per ſe, quia non a ſuo contrario, Non per accidens, quia omne, quod corrumpitur, per ſe eſt corruptibile, per Ariſtotelem in 10. Metaph. ergo.

Tertio. Si corrumperentur, vtiq. in inſtanti per vos, At hoc eſt impoſſibile, & probatur. Primo, quia eo modo res corrumpitur, quo generatur, Generatur in tempore, ergo & corrumpitur.

Secundo. Quia, de eodem in eodē inſtanti verificarentur duo contradictoria. ſ. eſſe, & non eſſe.

Tertio. Quia omnis corruptio ſupponit alterationem præuiam ad corruptionem, Talis non datur, cum omnis prior alteratio ſit ad generationē.

Quarto principaliter, quia fruſtra eſſent introductæ, cum vltima forma per vos adueniat materiæ nudæ.

Quarta opinio fuit illorum qui affirmauerunt ſingulas partes corporis habere proprias formas, Hanc tenuit Com. 5. Phy. tex. 59. & 12. Metaphy. tex. 2. & 17. Niphus. 1. de generat. tex. 78. &c. & hoc multis vijs probant.

Primo. Diuerſæ operationes, proueniunt a diuerſis formis, Sed in compoſito ſunt diuerſæ operationes pro vnaquaq. partium, ergo. Maior probatur, quia impoſſibile eſt, quod vna forma ſit principium contrariarum operationum, Videmus autem in cōpoſito, quod vna pars agit ad corruptionem alterius.

Secundo. Quia abſciſa carne, & iterum vnita parti a qua fuerat abſciſa, aut vnitur per priorem formam, aut per nouam, & propriam, Non primum, quia daretur regreſſus a priuatione ad habitum, ergo ſecundum, quod quidem etiam dicimus de cæteris partibus. ſ. oſſibus, ſanguine, neruis.

Vltima ſententia eſt S. D. in. 2. d. 18. q. 1. art. 2. 1. p. q. 76. art. 2. cum Caietano, Ferr. 2. contra Gentes, cap. 58. & Comm. de ſubſtātia orbis. c. primo, quod in compoſito ſubſtantiali datur vnica forma, omnes primas corrumpens. v.g. Primo, homo viuit vita vegetatiua, deinde ſenſitiua, vltimo Intellectiua; dum aduenit anima intellectiua, cæterę deſinunt Intellige tamen quod vita embrionis hominis non eſt data ab anima plantæ, et bruti, & deinde hominis, ſed quod materia diſponatur ab agente, vt prius viuat vita plātæ, deinde animalis & tandem hominis, vnde non ſunt animæ terminātes, ſed diſponētes duę primę.

Quoad ſecundum igitur principale, notandum eſt. Primo, quod hæc eſt differentia inter formam ſubſtantialem, & accidentalem, quod forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter, & nullum actum ſupponit in materia, vnde dicitur aduenire materię nudę, accidentalis vero aduenit ſubiecto exiſtenti in actu, vnde dicitur ſolum dare eſſe ſecundum quid. *Forma ſubſtātialis eat eſſe ſimpliciter.*

Secun-

Secundo notandum, quod natura abhorret ſuperfluum, vnde fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora, & æque bene, At nos videmus, quod vna forma eminens pôt omnia illa dare, quæ dāt formæ inferiores, & ideo tollimus multiplicitatem formarū, quia imperfectum continetur in perfecto, ſicut trigonum, in tetragonum, vt ſol illuminat aerem, ſicut aurora illuminabat, & magis.

Natura abhorret ſuperflua.

Tertio notandum, quod in generatione reperitur duplex genus formarum, Quædam n. ſunt prçuiç, quç ſunt diſpoſitiones, ad vltimam formam, Quædam vero ſunt vltimç, Interhas vero talis eſt ordo, quod prçuiç introducuntur non propter ſe, ſed propter vltimam formam, & ideo cū functæ ſint officio ſuo non habent permanere, vltima autem cum ſe habeat vt terminus exiſtit, & permanet, quia complementum rei ſemper manet.

Forma præuia et vltima.

Quarto vlterius notandum, quod etiam duplex eſt genus formarum, Quædam n. ita ſunt determinatç, & limitatæ, quod non poſſunt eſſe principia, niſi vnius operationis, vt patet in leui, quod eſt principiū ſolum mouendi ſurſū, & in graui deorſum, Quçdam vero ſunt formç eminentes, quæ ex ſua eminentia poſſunt eſſe principia diuerſarum operationum, ſicut patet in Anima intellectiua, quç eſt principium, & vegetandi, & ſentiendi, & intelligendi, & hoc quidem fore neceſſarium putamus, ſi recte inſpiciamus differentiam inter has formas, & maiorem nobilitatem in ſecundis.

Limitatæ et eminentes.

Eminentes continent inferiores.

Quinto notandum, quod omnia prædicata, rationes, & operationes cōtinentur in ſuperiori forma, ſed hoc poteſt intelligi dupliciter Primo formaliter, & præciſe, vt intellectiua anima dicatur vegetare, & ſentire. Vel ſecundo eminenter, vt dicatur dare, ſentire, & vegetare, ac ſi eſſet & vegetatiua, & ſenſitiua formaliter, & hoc quidem intelligendum eſt.

Quoad tertium principale. ſ. quoad opinionem noſtram, puto in hac re tale fundamentum eſſe neceſſariū, ſ. bifariã nos poſſe intelligere, quod præuiæ diſpoſitiones, & priores formæ corrumpantur. Primo vt intelligamus, ita illas corrumpi, vt omnino tollantur, & anihilentur. Secundo vt dicantur corrumpi, non corruptione propriè dicta, ſed perfectiua. i. quia trahuntur ad nobilius eſſe, & hoc ſecundo modo arbitror ſenſiſſe S. D. quod præuiæ formç corrumpantur, Nam v.g. anima vegetatiua dabat vegetare, at dū ſenſitiua aduenit, dat q. dē vegetare, non vt vegetatiua prçciſe eſt, ſed vt idem eſt cum ſenſitiua, ad cuius eſſe eleuata eſt, & eadem ſenſitiua conſequenter ſic dat vegetare.

Præuiæ diſpoſitiones corrūpūtur per ſectiue.

Quoad quartum igitur principale ex officina Thomiſtica elicitur talis Concluſio: Vna tantum forma ſubſtãtialis reperitur in compoſito, Probatur primo. In hoc differunt motus, & generatio (authore Ariſtotele in qnto phyſic. quod motus aduenit enti exiſtenti in actu, generatio vero enti in potentia. i. eſt de non eſſe ſimpliciter. i. de ente exiſtente in pura potentia, ad eſſe ſimpliciter. i. vltimç formç, Sed generatio ſe tenet ſolum penes vltimam formam, igitur reperit materiam in pura potentia.

Cōcluſio.

Reſpondēt aduerſarij, quod ly ſimpliciter ſtat pro perfecto eſſe, vt ſit ſēſus. Generatio eſt de nō eſſe perfecto, ad eſſe perfectum, vnde non eſt omnino a pura potentia ad eſſe, ſed in ad tale eſſe. i. ab eſſe imperfecto, ad eſſe perfectum.

Sed hæc reſponſio omnino aliena eſt a ſenſu Ariſtotelis, & a veritate, Primo, quia etiam ſubiectum motus eſt de eſſe imperfecto, ad eſſe perfectum, ſicut patet, dum paries trãſit de

primo

primo gradu albedinis v. g. ad quintum, ergo nulla eſſet differentia inter motum, & generationem.

Secundo. Quia Ariſtoteles ſemper locutus eſt de ly ſimpliciter in actu exercito, dicendo, id quod generatur fit, & non dixit, fit tale. Maximum autem diſcrimen eſt inter ly ſimpliciter ſumptum in actu ſignato, & in actu exercito, nam in actu exercito idem ſonat, quod abſq. aliquo adiectiuo, in actu ſignato cum aliquo adiectiuo, ſicut aliud eſt dicere: domus fit, & aliud, domus fit talis. i. decora, ſed vt diximus, & patet cuilibet nō cæcutienti, Ariſtoteles ly ſimpliciter ſemper ſumpſit in actu exercito.

Tertio. Per aduerſarios ſubiectum generationis non mouetur, quia non habet eſſe vltimatum, ergo habens eſſe vltimatum, mouetur, Hoc autem quantum obſonum ſit, nullus vir ſapiens eſt, qui ignoret, ergo ſubiectum generationis non tranſit de eſſe incōpleto ad completum, ergo trāſit a pura potentia ad actum.

Quarto. Subiectū generationis nō eſt in loco, per Ariſtotelem ibidem; At qd libetens corporeum exiſtens eſt in loco, ergo ſubiectum generationis non exiſtit.

Quinto. Ens imperfectum tendens ad eſſe perfectum, mouetur ſaltem per accidens, At ſubiectum generationis per Ariſtotelem ibidem non mouetur neq; per ſe, neq; per accidēs, ergo.

Sexto. Negatio per Ariſtotelem in Topicis cōfundit terminum ſequentē mobiliter diſtributiuum, valet igitur, ſi ibidem dixit Ariſtoteles, quod ſubiectum generationis caret eſſe, caret omni eſſe.

Secundo principaliter. Si anima intellectiua v. g. non eſſet idem cum ſenſitiua, nō eſſet corporis forma, At hoc eſt contra Cōcilium Vien. & Lat. ſeſſione octaua, ergo. Probatur aſſumptum. Anima intellectiua quoad potētiam intellectiuam non eſt corporis forma, ergo erit vt idē eſt cū ſenſitiua. Cōfirmatur, quia ſic nō daret eſſe corporeū & ſic non eſſet actus corporis.

Tertio. Si darentur plures formæ in compoſito, quarum quælibet gauderet propria operatione non mutuo ſe impedirent, quia quælibet tēderet ad proprium opus, Sed nos experimur, quod formæ in compoſito ſe impediunt, quia v. g. ſpeculatio impedit nutrimentum, & digeſtionem, ergo proueniunt ab vna forma, dante ſimul diuerſas operationes.

Quarto. Sic homo eſſet triplex indiuiduum, quia quælibet forma conſtituit vnum eſſe, & vnam ſpeciem athomam, & ſic homo eſſet planta, eſſet animal, & homo.

Quinto quæro de anima ſenſitiua Chriſti, aut deſinit cū Chriſto in morte, aut māſit. Non deſinit, quia ſcriptū eſt, non dabis ſanctū tuū videre corruptionem, Nō manſit in ſepulcro, quia tunc corpus Chriſti non erat ſenſitiuum, nec etiam deſcendit ad inferos, quia ſolum vna anima deſcendit, igitur oportet fateri, quod eadem fuerit cum intellectiua.

Sexto. Probatur auctoritate Philoſophi, nam in primo Platonem reprehēdit, eo qa poſuit plures aīas in cōpoſito, vnāq; dicit eſſe aīam rōnalē, eſſe vero plures aias in virtute, & potētia.

Item textu. 66. affirmat ab vna anima prouenire intelligere, amare, iraſci.

Item lib. ſecundo textu 31. expreſſe aſſerit: Vegetatiuum in ſenſitiuo, & vtrunq; in intellectiuo contineri, ſicut trigonum in tetragono.

Vltimo probatur auctoritatibus ſacrorum Conciliorum, & ſanctorum patrum, Nam habentur hæc verba formalia in 8. Synodo generali actu decimo, Apparet quoſdam huius tēporis, in tātum impietatis deueniſſe, vt duas in homine animas impudenter domagtizent, quos omnes, & ſimilia ſentientes, cum vetus, & nouum teſtamētum, & omnes Eccleſiæ patres,

vnam

vnam animam rationalem in homine aſſeuerent, ſancta, & uniuerſalis Synodus anemathizat, Nec valet dicere, quod Synodus anemathizet ponentes duas animas rationales, & non duas abſolute, vnam ſenſitiuam, alteram intellectiuam. Primo, quia nullus reperitur, qui poſuerit duas animas ratione vtetes, ſed bene vnam ſenſitiuam, alteram intellectiuam. Secundo, quia aſſerit. S. Synodus eos reprobare, ſicut eos reprobant patres, D. autem Auguſt. non reprobat ponētes duas animas rationales, nam to. ſuper Geneſim ad literam, refert hanc ſententiam fuiſſe Manicheorum, aſſeretium duas animas in homine, Et hoc quidem capite 12. attribuit cuidam Didimo hæretico, & Philoni Iudeo. Item idem D. Auguſt. capite. 15. de Eccleſiaſticis dogmatibus dicit, nō eſſe duas animas in homine, vnam animalem, qua animatur corpus, alteram rationalem, ratione miniſtrantem, ſed quod vna, & eadem anima animat corpus, & ſeipſam ſua ratione intelligit. Item hoc habet Damaſcenus ſecundo libro de fide Ortodoxa c. 2. Greg. Niſſenus lib. 2. de creatione hominis cap. 15. Hugo Vict. lib. de ſpiritu, & anima, Lactantius lib. 2. de ira Dei cap 11. & de eccleſiaſticis dogm. cap. 13. &c.

Quoad vltimum. Antequam reſpōdeamus argumentis aduerſariorum, operę pretium erit, vt quædam alia argumenta tangamus, non tacta ab aduerſarijs, quę videntur impugnare concluſionem noſtram.

Primo igitur adeſt authoritas Ariſtotelis ſecundo de generatione, capite tertio, vbi inquit, quod homo primo viuit vita plantę, deinde animalis, tertio hominis.

Secundo. Vbi ſunt operationes diuerſarum formarum, ibi oportet adeſſe diuerſas formas, At v.g. in homine ſunt operationes animę vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & intellectiuæ, ergo & hæ formæ.

Tertio. Contrariæ operationes ab vna anima non poſſunt prouenire. In homine datur contrariæ operationes, .ſ. ſenſus, & intellectus, ergo.

Quarto. Anima rationalis non educitur de potentia materiæ, aliæ vtiq; Igitur nequeūt in vnam ſubſtantiam conuenire.

Quinto. Corruptibile, & incorruptibile non poſſunt in vnam ſubſtantiam conuenire, Anima rationalis eſt incorruptibilis, aliæ corruptibiles, ergo.

Ad primum dicendum, quod verum eſt aſſumptum, falſum tamē eſt quod dum homo viuit vita intellectiua, viuat etiam vita plantæ, data ab illa anima, nam tunc habetur ab anima intellectiua, quæ virtualiter gerit vices præcedentium formarum.

Ad ſecundum reſpondemus ad maiorem, quod vbi ſunt diuerſæ operationes diuerſarum formarū, neceſſe eſt adeſſe diuerſas formas formaliter, vel eminenter, & virtualiter, Modo ad minorem, Anima intellectiua v.g. in homine vna exiſtēs gerit vices omnium aliarum formarum, ac ſi ibi adeſſent, & hoc ex ſua excellentia, & virtute.

Ad tertium ad maiorem. Conceditur quidem maior in forma limitata ad vnam operationem, non autem in eminenti, quæ ratione diuerſorum poteſt producere diuerſas operationes, ſicut anima intellectiua, vt ſenſitiua eſt agit cum ſenſu, & vt intellectiua, cum intellectu.

Ad quartum dicendum, quod aliter loquendum eſt de animabus, dum educuntur de potentia materiæ .i. de vegetatiua, & ſenſitiua, & aliter dum vnum fiunt cum anima intellectiua, Nam primo modo habent rationem educti de potentia materiæ corruptibilis, generabilis.

Secũdo autem modo minime, quia acquirunt eſſe vltimæ formę, quę nec educitur de potentia materiæ, vnde & vegetatiua, & ſenſitiua anima vt idem ſunt cum intellectiua non educuntur de potentia materiæ; nec ſunt generabiles, & corruptibiles, & per hoc patet etiam ad quintum.

Modo accedamus ad ſolutionem rationum primæ opinionis. Ad primũ negãtur ſequela, & ad probationem reſpõdetur, quod illę diſpoſitiones fruſtra non ſunt introductæ, quia non ſunt introductæ ad hunc finem, vt remaneant cum vltima forma, ſed ad hoc, vt primum nõ eſſe earum, ſit primum eſſe ſubſequentis formæ, Vel ſecundo melius dicitur, quod fruſtra nõ ſunt introductæ, quia proprie non corrumpuntur, ſed eleuantur ad nobilius eſſe, vt iam prælibauimus.

Ad ſecundum dicendum, quod facilior tranſmutatio non pendet ex remanẽtia alicuius qualitatis, ſed ex eo, quia inter ſymbolica non eſt tanta repugnantia, & contrarietas, ſicut inter non ſymbolica.

Ad primum ſecundæ opinionis dicimus, quod homo dicitur corpus, per animam intellectiuam, quæ & ſi non ſit corporea formaliter, eſt tamen virtualiter, vt iam explicuimus.

Ad ſecundum dicimus, quod per corpus intelligimus, eſſe corporeum, datum ab anima intellectiua, ut virtualiter eſt corporea, quæ vt ſic diſtinguitur a ſeipſa, quatenus dat eſſe intellectiuum.

Ad tertium dicimus, quod forma aduenit materię quantæ, ſed illa quantitas tunc deſtruitur, & alia ſuccedit, data ab illa forma, quæ iam aduenit.

Ad argumenta Scoti, Ad primum reſpondetur quod eſt alia forma. Et ad improbationem dicitur, quod quædam ſunt formæ, quæ ſe habent ut termini actionum, & iſtæ non producuntur, niſi a determinato agente, Quędã uero ſe habent ut uiæ ad ultimam reſolutionem, & corruptionem, & iſtæ poſſunt produci a pluribus agentibus, & hoc probat ſolum argumentum. Secundo reſpondetur, quod cum corruptio habeat rationem mali poteſt produci ex pluribus defectibus, generatio uero, cum habeat rationem boni reſultat ex una, & integra cauſa. Tertio reſpondetur, quod omnes illę cauſę reducuntur ad unam, .ſ. ad unum elementorum.

Ad ſecundum negatur, quod remaneant eadem accidentia, ſenſus.n. in hoc decipitur.

Ad tertium dicimus, quod corrumpuntur in inſtanti, Et ad primam improbationem reſpondetur, quod motus dupliciter conſiderari poteſt, Primo ut motus, & ſic gaudet termino. Secundo ut uia ad terminum, ſicut cõtingit in propoſito, nam præuiæ diſpoſitiones, habent rationem uiæ ad ultimam formam, & ideo neceſſarium eſt, quod corrumpantur in eodem inſtanti, ne coacti ſimus concedere inſtans eſſe immediatum inſtanti.

Ad ſecundum dicimus, quod corrumpuntur per accidens, & ad authoritatem Philoſophi reſpondemus, qđ per ſe poteſt dupliciter capi. Primo ut diſtinguitur contra per aliud. Secũdo ut diſtinguitur contra per accidẽs. Primo modo dicimus, quod corrumpuntur per accidens, i. per aliud, quod tamen poteſt habere rationem per ſe, et ſi non primo. Secundo reſpondetur, quod ſenſus uerborum Philoſophi talis eſt, Vt omne dicatur corrumpi per ſe, eo modo, quo ſibi conuenit, ut corruptibile per ſe, per ſe corrumpatur, corruptibile per accidens, per accidẽs. Vel tertio dicendum, quod non proprie corrumpuntur, ſed trahuntur ad nobilius eſſe.

Ad tertium dicendum, quod corrũpuntur in inſtanti, Ad improbationẽ ſimiliter dicitur, quod ualet de his, quæ

quç generatur, & corrumpuntur per ſe, modo illæ diſpoſitiones corrumpuntur per accidens.

Ad aliam rationẽ dr̃, quod valeret vtiq; ſi intelligeremus præuias illas diſpoſitiones remanere in eodemmet inſtanti, at hoc non dicimus, ſed quod primum non eſſe præcedentium formarum, eſt primũ eſſe vltimæ formæ.

Ad tertium dicimus, quod pręcedit alteratio, ſed per accidens.

Ad vltimum iam reſponſum eſt.

Ad primam rationem quartæ opinionis iam dictum eſt, quod diuerſæ operationes contrariæ poſſunt prouenire ab vna forma inadęquata, & excedente, virtualiter habente plures, et contrarias operationes. Quando autem. S.D. in 4.d.49.q.4.a.5. dixit partes indiuidui vt, caput, & manus ſpecie differe, non intelligas ſpecie eſsentiali, ſed accidentali.i. figura, temperamento, & actione, ita ſe explicuit 1.p.q.76.art 5.ad tertium. Nã partes ſunt materiales, & non formales.

Ad ſecundum dicimus, quod eſt alia caro, ſed vnitur per priorem formam, nec inde datur regreſſus, cum non ſit eadem caro, ſed alia.

Duo autem pro complemento huius quæſtionis collige. Primũ, quod in corruptione forma cadaueris generatur a corrumpente conſequẽter, quia neceſſitate materiæ ad tale corruptiuum, ſequitur talis forma, vt docuit, Cap. in 2.d.16.q.vnica, artic. 3.& Conimb.2.de generatione ca.4.q.20.ar. 3.vnde hæc forma dicitur intenta per ſe ab agente, intentione actionis quæ talem formam inducit, & ſi forſan nõ intentione agentis, de hoc non cogitãtis. Vnde excludenda eſt opinio Suarez diſp.18.ſect.2.ſuæ Metaph. n. 27. ſ. quod forma cadaueris per ſe producatur a cauſis vniuerſalibus. Nam cauſę vniuerſales agunt modis proximis, & particularibus, quia a cauſa vniuerſali per ſe non eſt niſi effectus vniuerſalis. Secundum eſt, quod formæ cadaueris in diuerſis ſubiectis inductę, ſi ſint ab eodem agente, & eadẽ actione formaliter erunt eiuſdem ſpeciei, quamuis ſint in diuerſis ſubiectis ſpecie olim diſtinctis, vt docet Caiet. materialiter tamẽ, & ratione noſtri dicuntur diſtingui per ſubiecta in quib. diuerſæ formæ fuerunt, ſed in hoc ſenſus decipitur, quia facta eſt reſolutio ad cadaueris formam.

LECTIO VI.

CVm iã in vniuerſum de vnione, & vnitate formæ ſubſtantialis in compoſito diſputauerimus, reliquum erit ad exactiorem doctrinã, vt illa ſummarie adducamus, quæ adducuntur a S.D. in 1.p.q.76.ar. tertio, et quarto. Nam cum ea, quæ de anima diſertiſſime traduntur ab Angelico noſtro pręceptore non ſint in conſuetudine, vt a lectoribus Sacræ Theol. legãtur, ſatagendum erit lectoribus Philoſophiæ, ne omnino ſic ſicco pede hæc pertranſeant, ſi adamuſſim hæc non explicant, Ideo multa adijciam in his libris, deſumpta ex S. D. in 1.p.q. de Anima, ea perluſtrando, vt fore neceſſarium putabo.

QVÆSTIO IV.

Vtrum in homine dentur plures formæ per eſſentiam differentes, ſcilicet vegetatiua, ſenſitiua, & Intellectiua.

VIdetur quod ſic, Nam corruptibili, & incorruptibili, nihil eſt cõmune. Anima ſenſitiua, & vegetatiua ſunt formæ corruptibiles, & intellectiua incorruptibilis, ergo.

Secundo. Nec valet reſpondere, quod anima vegetatiua, et ſenſitiua in homine ſunt incorruptibiles, quia vniuntur animæ incorruptibili, ſ. intellectiuæ, quia ſenſitiua. v.g. non eſſet eiuſdem ſpeciei cum ea, quæ reperitur in leone, & boue. cum illæ ſint corrupti-

ruptibiles; Hoc eſt abſurdum, cum ſit ſenſitiua, ſicut & illa, ergo.

Tertio. Supponens aliud, vt materiale, diſtinguitur ab illo. Sed anima intellectiua ſupponit ſenſitiuam, tanquam quoddam materiale, quia ſenſitiuum ſe habet vt genus, intellectiuū ſe habet vt ſpecies, ergo.

Quarto. Corpus humanum eſt mouens, & motum, Igitur diuiditur in partem mouentem, & partem motā. Anima eſt pars mouens, Igitur materia ſub alia forma erit pars mota.

Quinto. Illa forma, quę immediate vnitur materiæ primę eſt forma imperfectiſsima, quia ad perfectionem aſcenditur per gradus, Sed anima intellectiua eſt forma nobiliſſima, Igitur.

Sexto. Habemus ex D. Paulo, Qđ caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, Sed vna anima non poteſt ſibi eſſe contraria ergo.

Septimo. Aut intellectiua anima alias continet eminenter, vel formaliter, Non ſecundum, quia anima intellectiua non dicitur vegetare, nec ſentire formaliter, ſed corpus, Non primū, quia ſol eminenter dicitur, ignis, aer, & aqua, & tamen nō dicitur terreus, aqueus, & igneus.

Octauo. Duo agentia diſparata, habent diuerſos terminos ſuarum actionum, Deus, & homo ſunt agentia diſparata, & Deus producit animam intellectiuam, ergo aliud agens alias animas diſparatas.

Nono. Corpus Chriſti in triduo fuit verum corpus Chriſti, & non per Animam intellectiuam, quia ad inferos deſcenderat, ergo per propriam formam corporeitatis.

Decimo. A forma inextenſa incorporea non poteſt eſſe, extenſum, et corporeū prouenire, quia nihil dat, quod non habet. Sed anima intellectiua eſt inextenſa, & incorporea, ergo.

Pro ſcrutatione huius veritatis, opportunum erit primo iacere quædam fundamenta, deinde ſtabilienda erit concluſio, vltimo argumenta diluenda.

Quoad primum, primo notandum eſt ad maiorem dilucidationem dictorum, & dicendorum, quod circa hanc quæſtionem multæ extitere opiniones. Prima fuit Manichæorum dicentium, In homine duas animas eſſe, vnam a bono Deo creatam, quæ hominem trahebat ſemper ad bonum. Secundam a carne genitam, quæ hominem ſemper trahebat ad malum.

Secunda opinio fuit Platonis, affirmantis pluras animas in homine, non ſolum diſtinctas ſecundum eorū naturas, verum etiam ſecundum loca, vnde eis attribuebat diuerſa ſedilia, dum nutritiuam ponebat in hepate, concupiſcibilem in corde, intellectiuam in cerebro, Quæ opinio veritati eſſet conſentanea, ſi anima vniretur corpori vt motrix, quia in diuerſis partibus produceret diuerſas operationes pro eorum naturis, hoc tamen falſum eſt, vt probabimus in tertio. *Opiniones.*

Tertia, ſententia communis Scoto in 2.d[illegible] q. vnica & in 4.d.11. q.2.& ſuis [illegible]lis fuit, quod in homine reperir[illegible] diuerſæ formæ, ſed quomodo r[illegible] diuerſæ animæ, neſcio videre, cū præter vegetatiuam, & ſenſitiuā non dentur aliæ formę in homine, priores intellectiua.

Vltima ſententia S. D. 1. p. locis citatis, & 2. contra Gentes ca. 58. eſt, quod in homine vnica eſt forma, & vnica anima, quæ eſt intellectiua.

Hanc ſequuntur Albertus Magnus tract. 2. de homine, c. 1. Alenſis 2. p. q. 62. memb. 2. Aug. de ſpiritu, & anima cap. 9. Hieronymus in epiſt. ad Heluidium q. 2. Greg. Magnus hom. 12. in Ezechielem &c.

Secundo notandum ad rimādam, cognoſcendamue compoſitionem animæ cum corpore, quod duplex eſt compoſitio, Quædam phyſica, quę eſt

par-

Compoſitio duplex Phyſica et Metaphyſica. partium cum ſuo toto, & ideo componentia ſe habent vt partes, quæ nõ prędicantur in recto de ſuo toto, non .n. dicimus, quod materia, vel forma ſint homo. Alia vocatur Metaphyſica, ex eſſe, & eſſentia, & in hac prædicatione, eſſentia ſe habet vt totum, eſſe vero vt modus determinans eſſentiã, vt ſit completa, & exiſtat; & talis prædicatur in recto, vnde recte dicimus, quod anima ſit actus in recto, quia anima ſe habet, vt eſsẽtia, actus, vt eſſe.

Cõtinere ſtat tripliciter. Tertio ſciendum, quod vna res alteram dicatur continere; tripliciter ſtat. Primo formaliter, & præciſe, vt forma dicitur continere materiã formaliter, quia ei dat eſſe formale. Secũdo eminenter, virtualiter tamẽ, & nõ formaliter, ſicut ſol dicitur continere caliditatem, & ſiccitatem, non quia ipſe formaliter ſit calidus, vel ſiccus, ſed quia hos effectus producit; Sed hæc duplex eſt, Quædam ſpectans ad cauſam effectiuam, quæ attenditur penes aliquam perfectionẽ exiſtẽtem in cauſa, & hæc vocatur continentia virtualis cauſalis. Alia vocatur eminentia formalis, quæ non eſt per aliquam perfectionem talem, & formalem, ſed quia vltima differentia gerit vices formarum inferiorum, ac ſi eſſet illas formas, quo pacto intellectiua anima dicitur cõtinere vegetatiuam, & ſenſitiuam. ac ſi eſſet, & vegetatiua, & ſenſitiua; & hæc erit tertia continentia, quæ vocatur continentia eminens, formalis, & virtualis.

Forma unitur materia nuda, ſed iam diſpoſita. Quarto adnotandum venit, quod forma dicatur vniri materiæ primæ nudæ, poteſt dupliciter intelligi. Primo quoad propinquitatem. i. vt vniatur materiæ iam diſpoſitæ, quę diſpoſitiones ad eius aduentum corrumpũtur, vnde dicatur materia nuda in ordine ad formam aduenientem, & hoc non importat imperfectionem. Secũdo quoad gradum, vt intelligamus animam intellectiuam vniri materiæ, vt primo eius gradui, & hoc quidẽ falſum eſt, conuenit. n. animæ vegetatiuæ, & imperfectionem ſignificat.

Concluſio probatur. Quoad ſecundum. Concluſio eſt; Vna forma, & vna anima, quæ eſt intellectiua, ponitur in homine. Quę cõcluſio, cum iam ſatis in præcedenti quæſtione fuerit probata, nouas non cõgregabo rationes, Si quis enim eas cupit, legat S.D. 1.p. locis citatis, & ibidem Caietanum, Et ſecundum cõtra gentes. cap. 58. & ibidem Ferrarienſem.

Ad primum conceditur reſponſio ibi data.

Arg. ſoluuntur. Ad ſecundum impugnans reſponſionem, primo dicimus, quod corruptio attenditur penes corpus, in quo formaliter ſunt operationes vegetatiuę, & ſenſitiuæ animæ, ratione cuius conuenit cum brutis. Secundo dicitur, quod non eſt inconueniens concedere, animam ſenſitiuam in homine nõ eſſe eiuſdem rationis, cum anima ſenſitiua exiſtente in leone, quia tracta eſt ad nobilius eſſe, eſt tamen eadem virtualiter, vt explicuimus. Tertio dicite, qđ corruptibile, & incorruptibile diſtinguntur genere phyſico, nõ logico, ſicut loquimur modo. Quarto. reſpondetur, quod anima ſenſitiua in leone eſt formaliter, vt eius vltima forma, in homine vero eminẽter, & virtualiter. i. vt contenta in anima intellectiua vnde diſtinguuntur.

Ad tertium primo dicitur, quod fit tranſitus a ratione ad rem, nã genus, & differentia non diſtinguuntur, niſi ſecundum rationem. Cõtrarij autem dicunt, quod iſtæ animæ diſtinguuntur ſecundum rem. Secundo dicitur, quod vegetatiua anima poteſt habere rationem materiæ, vt habet eſſe ab anima intellectiua, quæ erit tãquam forma, nec tamen ſequitur, quod diſtinguantur, quia eadem anima intellectiua, vt ſenſitiua dicitur habere rationẽ materiæ, vt intellectiua formæ.

Tertio

Tertio. Dicatis, quod genus nō eſt proprie materia, nec differentia forma, ſed dicūtur habere rationem horum, quia ſicut materia determinatur per differentiam, ita genus per differentiam, & ideo non licet in tam remota ſimilitudine fundamentum ponere.

Ad quartum dicendum, quod mouens eſt anima, quæ non immediate mouet, ſed mediante potentia motiua, quæ ſita eſt in corde, vnde motū eſt corpus, ſed ſicut non habet, quod moueatur niſi ab anima, ita vt nec ſit niſi ab ipſa.

Ad quintum iam reſponſum eſt in quarto notabili.

Ad ſextum dicimus, quod anima prout dat eſſe diuerſis partibus, diuerſa operatur, quia ſua actio modificatur in illis partibus, ideo in ſenſu habet operationem cōuenientem ſenſui, repugnantem menti. In mente operationem ei conuenientem, repugnantem ſenſui, quod quidem liquidecōſpicimus in ſole, qui indurat lutum, & liquefacit ceram, pro natura recipientium.

Ad ſeptimum dicimus, quod continet eminenter formaliter, ſed cauſaliter, vnde, & ſi non ſentiat, & vegetet, tamen dat formaliter, & vegetare, & ſentire, ac ſi eſſet, & uegetatiua, & ſenſitiua, & hoc ſufficit, Nam etiā ſol nec eſt ſiccus, nec calidus formaliter inhęrenter, cauſaliter ſic.

Ad octauum negamus maiorem in agentibus ſubordinatis, tendentibus ad unum terminum, ſicut Deus, & homo in propoſito, unde homo agit ad vnionem animę, prębendo diſpoſitiones ſufficientes, Deus uero producit animam intellectiuam.

Ad nonum dicēdum, quod corpus Chriſti in triduo materialiter fuit idē exiſtenter, quia permanebat ſub forma cadaueris tranſeuntis ſecundū S. D. 3. p. q. 50. ar. 5. & ut materia animę Chriſti, non tamen formaliter dando eſſe animatum, quia tale eſſe proueniebat ab anima, quæ inferiores partes terræ petierat.

Vnde fuit idem numero ſuppoſitū uiuum & mortuum, ſed non eodē modo, quia non ſub eadem forma. Vide Ruuium lib. 2. de Anima tract. de modo &c. q. 6.

Ad ultimum dicendum, quod anima, & ſi non ſit extenſa, & corporea formaliter, eſt tamen uirtualiter, ideſt ut quo, et ſi non ut quod, et hoc eſt eſſe, quod dat, & habet.

LECTIO VII.

IN præſenti lectione examinabo quaſdam quæſtiones, pertinētes ad ea, quæ iam fuerunt dicta, & ad totalem intelligentiam primæ lectionis S. D. & dictorum Ariſtotelis.

QVAESTIO V.

Vtrum anima uniatur corpori per ſe, & immediate.

VIdetur quod non. Per Auguſtinum 3. ſuper Geneſim ad litteram, ubi inquit, quod anima per lucem, & aerem, quæ ſunt ſimiliora ſpiritui adminiſtrat, Sed aer, & ignis ſūt corpora, Igitur unitur mediante corpore.

Secundo. Id, quo ſoluto ſoluitur unio unitorum, uidetur eſſe medium inter ea, Sed ſublato ſpiritu, qui eſt corpus ſubtile, ſoluitur anima a corpore, igitur ſpiritus erit medium.

Tertio, Quę multum diſtāt, non uniūtur, niſi per aliquod medium, Sed Anima, & corpus multum diſtant, cū anima ſit incorruptibilis, corpus uero corruptibile, Igitur uidetur neceſſaria quædam lux cæleſtis, quę hęc conciliet.

Quarto. Aſſignans Philoſophus rationem, cur ex anima, & corpore fiat vnum,

vnum, inquit inde prouenire, quia forma, ſeu actus eſt id quod propriè eſt, Sed hæc ratio videtur falſa, quia eius eſt eſſe cuius eſt fieri, Sed compoſiti eſt fieri per Ariſtotelem 7. Metaph. ergo & eſſe.

Quinto. Ex hac ratione non habemus, niſi, quod ex materia, & forma fit vnum, ſicut ex cæra, & figura, Sed ex cera & figura nō fit niſi vnū per accidens, igitur & ex materia, & forma.

Pro reſolutione huius quæſtionis. Primo ponemus quędam fundamenta. Secundo concluſionem probandam, Tertio ſolutiones argumētorū.

Opiniones. Quoad primum primo eſt notandum, quod fuit opinio Platonicorū, putantium animam rationalem habere corpus ſibi naturaliter vnitum, incorruptibile, quo mediante vniebatur corpori corruptibili. Vocauit tamen Plato in Thimęo animam, numerum ſe mouentem, volendo inferre eam ſemper fere operari diuerſis operationibus. Animam quoque rationalem vocauit circulum, quia reflectit ſe ſuper ſuas operationes.

Alij putauerunt, quod anima vniatur corpori mediante luce, quam dicebant eſſe corpus, & quintam eſſentiā, vnde ponebant tres cælos, & tres animas ab eis profluere.

A luce cæli ſyderei dicebant prouenire animam vegetatiuam, A luce cęli criſtallini ſenſitiuam. A luce empyrei Intellectiuam. Sed hæc omnia fictitia ſunt, & vana, Haberēt vtiq; aliquam apparētiam, ſi eſſemus illorum ſententiæ, qui tenebant, Animam corpori vniri, vt motor, nam motor mouet mediantibus medijs, ſed quia nos cum Ariſtotele tenemus, quod anima vnitur corpori, vt forma materię, ideo omnia iſta reijcienda ſunt.

Anima intellectiua eſt quo et quod. Secundo notandum, quod forma poteſt dupliciter conſiderari, Primo abſolute, vt forma eſt. Secundo vt eſt talis, educta. ſ. de potentia materiæ. Primo modo permiſſiue aliqua forma. ſ. anima intellectiua non ſolum ſe habet, vt quo corpus ſubſiſtit, verum ēt, vt quod, quia gaudet propria ſubſiſtentia, qua poteſt ſubſiſtere abſque corpore, & ideo ei primo conuenit eſſe, antequam corpori, cui illud cōmunicat. In formis autem eductis de potentia materiæ dubium eſt, quomodo eis primo conueniat eſſe.

Eſſe nominaliter primo connenit animæ. Tertio igitur notandum, quod eſſe per ſe alicui conuenire, poteſt dupliciter intelligi Primo nominaliter, in quantum ſignificat eſſe eſſentiæ, & diſtinguitur contra eſſe per accidens. Secundo participialiter, vt ſignificat exiſtentiam. Primo modo omni formæ conuenit eſſe per ſe; quia quamuis ſit in ſubiecto, non tamen eſt in eo ſubiectiue, vt accidentia ſunt in ſubiecto, vt iam declarauimus, At ſecundo modo, cum ſolum vnum detur eſſe in cōpoſito, quo ſubſiſtunt, & forma, & compoſitum, videndum eſt cui primo per ſe conueniat.

Compoſito ut quod operatur. Quarto notandum, quod eſſe per ſe alicui primo conuenire ſtat dupliciter. Primo, vt idem ſonat, quod non per aliud ſuſceptiuum abſolute Secundo, vt idem ſignificat, quod non per aliud ſuſceptiuum ſuppoſitale, operans. Primo modo conuenit formæ primo, quia ipſa eſt primum ſuſceptiuum eſſe. Secundo tamen modo conuenit compoſito, quia compoſitum eſt illud, quod primo, & per ſe operatur, & ei conuenit operari, et eſſe per ſe complete.

Scoti opinio. Quinto animaduertendum eſt S. D. diſcriminari a Scoto, dum ipſe tenet, quod vnum eſt eſſe exiſtentiæ materiæ, formæ, & compoſiti. Scotus vero in 4. diſt. 43. q. 1. art. primo aſſeuerat, quod forma gaudet proprio eſſe, ita & compoſitum, vnde ſubinfert, eſſe per ſe ſtare duobus modis. Primo vt idem ſignificat, quod extra cauſam ſuā. Secundo vt idem importat, quod ſimpli-

ſimpliciter,& perfectè, vnde. primo modo ſecundum ipſum, materia, forma, & compoſitum habent diuerſa eſſe, Secundo autem modo ſolum cōpoſitum habet eſſe, forma vero participatiue. Quæ opinio, & ſi non videatur multum ad propoſitum facere, ad vbertatem tamen breuiter rationes eius ponam, & reprobabo.

Prima ratio eſt. Quodlibet ens gaudet proprio eſſe, Anima eſt ens, compoſitum ens, igitur gaudent proprijs eſſe.

Secunda S. Th. 4. diſt. 43. q. 1. ait, animā nobiliorem ſtatum, et eſſe, habere in corpore, quam extra, Igitur nunc habet aliud eſſe, & tunc aliud.

Tertia. Ea, quæ habent idem eſſe, ſunt ęque perfecta, Sed anima non habet eſſe ita perfectum ſicut compoſitum. Igitur habent diuerſa eſſe.

Quarta. Eſſe compoſiti eſt corruptibile, Animæ incorruptibile, ergo.

Sed hæc opinio longe diſcedit a veritate, quia cum anima ſit actus, & forma, conſequenter habebit eſſe per ſe, Sed nec eſt hic locus diſputandi de hac re cum Scoto.

Ad primum ergo negatur aſſumptum, quia verum ſolum eſt de eſſe eſſentię, quia forma ſe habet vt pars, cōpoſitum vt totum, ſortiuntur tamen vnum commune eſſe exiſtentię.

Ad ſecundum dicendum, quod aliud eſt loqui de eſſe animæ, & aliud de ſtatu animæ, qui ſtatus cōſequitur eſſe. Verum eſt vtiq; quod anima conſequitur perfectiorem modum eſſendi in corpore, quam extra; non tamen diuerſum eſſe. Quomodo autem ſit verum hoc: animaduertendum eſt, quod anima habeat nobilius eſſe in corpore, quam extra, poteſt duobus modis intelligi. Primo, quoad eſſe eſſentiæ, ſeu ſpecificum, & hoc verum eſt, quia in corpore habet eſſe completum compoſiti, & ſeparata ſe habet vt pars. Secundo, quoad eſſe exiſtentiæ, & hoc dupliciter. Primo quatenus forma eſt, & vt dat eſſe compoſito, & hoc modo etiā verum eſt, quod habet nobilius eſſe in corpore, quia ſe habet, vt cauſa formalis dans eſſe animatum. Secundo poteſt intelligi quatenus intellectiua eſt, & hoc modo eſt præſtantior ſeparata, quia non indiget conuerſione ad phantaſmata, ſed intelligit per modum ſubſtantiarum ſeparatarum. At quia eſſe eſſentiæ eſt nobilius ſimpliciter, ſtatus vero ſecundum quid, ideo abſolute dicimus, quod habet nobilius eſſe in corpore.

Ad tertium reſpondetur ad minorem, ſicut iam dictum eſt, quod valet de eſſe eſſentiæ, non tamen exiſtētiæ: qđ vnū eſt, & idem, & ęque perfectū.

Ad quartum dicendum, quod eſſe compoſiti dupliciter conſiderari poteſt. Primo, vt eſt eſſe commune corpori, & animæ, & tale non corrumpitur, quia remanet in anima ſeparata cum ordine, & inclinatione ad corpus. Secundo vt eſt eſſe compoſiti, & tale eſt corruptibile, quia ſoluitur vnitorum vnio, vnde dicendum, quod eſſe exiſtentiæ compoſiti remanet in anima ſeparata, non tamen reduplicatiue, vt eſt eſſe completum cōpoſiti.

Sexto, & vltimo notandum foret, quomodo eſſe conſequatur formam, non neceſſitate abſoluta, ſed phyſica, & quomodo compoſitum ſit præſtantius forma, ſed hęc ſuis locis patebūt.

Quoad ſecundum ergo principale ponitur talis concluſio: Anima vnitur materiæ per ſe, & immediate. Probatur, quia vnitur materiæ nudæ, vt iam determinauimus. Secūdo. A quo res habet eſſe, habet & vnitatem, Sed ab vna forma, habet eſſe immediate, igitur & vnitatem. Maior eſt Ariſtotelis in 4. Metaph. Minor fuit probata in præcedentibus. *Concluſio probatur.*

Ad primum principale dicendum eſt ad authoritatem D. Auguſt. quod loquebatur de anima, non quatenus *Arg. ſoluuntur.*

for-

forma, ſed quatenus mouet, & tunc verũ eſt, quod partes poſteriores per ſubtiliores mouet, .ſ. mediante ſpiritu, quia eſt primum medium in mouendo.

Ad ſecundum dicendum, ad minorem; quod ſublato ſpiritu tollitur anima non per ſe, ſed per accidens, quia materia tunc remanet indiſpoſita.

Ad tertium dicendum, quod multum diſtare ſtat dupliciter. Primo ſecundum naturam: Secundo ſecundũ proportionem materiæ, & formæ, quæ multum diſtant. Primo modo diſtantia, non vniuntur niſi per aliquod medium. Secundo tamen modo poſſunt vniri immediate, ſi materia fiat diſpoſita ad formam.

Ad quartum dicendum, ſicut iam diximus, quod eſſe eſt ſuppoſiti, vt propetantis, & vt quod ſimpliciter, formæ autem eſt eſſe formaliter, & vt principij operationum.

Ad quintum dicendum, quod propoſitio Philoſophi fundatur ſupra ſimilitudinem proportionalem, vnde ſicut ex forma artificiali, & materia naturali fit vnum immediate artificiale, ita ex materia, & forma naturali, fit vnum immediate naturale.

Sed adhuc nõ quieſcit intellectus, propter conditionalem Commentatoris, quod ſi materia, & forma in cõpoſito exiſterent actu, non fieret vnũ, niſi per ligamentum. Contra ex cera, & figura exiſtentibus in actu fit vnum, & non tamen ſolum per contactum, & ligamentum.

Ad dubiũ dicẽdũ, qđ aliud eſt loqui de materia vt materia eſt, & cõſequẽter, vt pura potentia, & aliud de re, quæ vocatur materia, quæ poteſt eſſe in actu, vt materia naturalis exiſtens ſub forma ceræ, quæ dicitur eſſe materia reſpectu formæ impreſſæ eſt res in actu. Auerroes loquebatur de materia, vt materia eſt, quod ſi eſſet in actu, non fieret vnum, niſi per ligamẽtum. Secundo reſpondetur, quod materia ceræ in ordine ad figuram habet rationem, non rei, ſed potentiæ, & ideo argumentum non ſequitur.

Sed hic remanet altera difficultas examinanda. ſ. An animæ rationales ſint æqualis perfectionis ſubſtantialis, vel vna ſit perfectior altera. Et qui dẽ quod ſint ęqualis perfectionis quoad ſpeciem ab omnibus cõceſſum eſt, cum anima intellectiua ſit ſpecies atthoma, neque aliquid eſſentiale ſecũdum ſuam naturam vna poſſit habere, quod ab alia remoueatur. Difficultas ergo eſt de perfectione indiuiduali, quam animæ adipiſcuntur ex meliori, ac nobiliori diſpoſitione, & organizatione indiuiduali, quæ propter hæc maior perfectio dicetur non ſpecifica, & eſſentialis, ſed indiuidualis & modaliter ſubſtantialis, quia intelligitur natura ſpecifica per quoſdam modos perfectiores, & minus perfectos ex organizatione diuerſa determinari, ad indiuidua.

An animæ ſint perfectiores una altera.

Circa iſtam igitur difficultatem inuenio duas opiniones. Prima eſt negatiua, quoniã negat vnam animam eſſe altera perfectiorem indiuidualiter, Hanc ſequuntur Durãdus in 2. d. 32. q. 3. Soncinas 8. Metaph. q. 26. Soto c. de ſubſtantia in ſua logica. q. 2. ad 9. Fonſeca. 5. Metaph. cap. 26. q. 16. ſect. 2. Et Toletus 3. de Anima. q. 18 aſſerens opinionem oppoſitam eſſe temerariam, & periculoſam in fide, probatur autem hæc opinio.

Opiniones.

Primo. Nam Ariſt. 3. Metaph. text. 11. habet inter indiuidua eiuſdem ſpeciei non eſſe prioritatem naturæ. Sed hæc conſiſtit in maiori, & minori perfectione, Ergo. Item cap. de ſubſtantia dicit. Subſtantiam non ſuſcipere magis & minus, & ſequitur etiam de prima ſubſtantia.

Secundo. Hoc videtur ſentire. S. D. 2. 2. q. 5. art. 4. ad tertium, vbi docet intellectum primorum principiorum

per quem.ſ.cognoſcimus prima principia eſſe æqualem in omnibus hominibus, & in nullo eſſe perfectiorem. At perfectio humanæ naturæ prouenit ab anima rationali. Item 3.p.q.65. art. 4. ad tertium, aſſerit capacitatem naturalium in hominibus non eſse ex diuerſitate mentis, cum homines ſint eiuſdem ſpeciei, & in forma conueniant, vnde eſt ex diuerſitate diſpoſitionum corporis.

Tertio. Sic vnus homo eſſet perfectior altero, ſubſtantialiter, contra Ariſt.in prædicamentis.

Quarto. Sic vnus homo haberet perfectiorem intellectum, & voluntatem altero. Ergo eſſet magis intellectiuus, & liber altero, cum potentiæ animæ ipſam conſequantur ſecundum ſuam naturam. Hoc autem inconueniens cenſetur, quia alter non eſset omnino intellectiuus, nec liber.

Secũda opinio tenet, animas rõe p. fectioris differẽtię indiuidualis ẽe ſubſtãtialiter, modaliter magis, minuſue perfectas, & ita vna, altera habere perfectiorem intellectum, & voluntatẽ, & in cæteris animabus habere perfectiores potentias ſenſitiuas, & vegetatiuas. Hanc defendunt. S.D.1.p.q.85. art.7.& ibidem cum eo Caiet.& Bannes. Ferr.1.cõtra Gentes cap.13. Iauellus 8. Metaph.q.6. Magiſter ſent.in 2. d.17.& cum eo ibidem. D.Bonauentura, Ægidius, & Richardus, Vide Ruuium 2.de Anima tract. de pluralitate formarum.q.3.

Nobiliori formæ datur nobilior diſpoſitio.

Secundo igitur venit notandum, quod iuxta naturam, & diſpoſitionem materiæ ſequitur melior, & nobilior informatio, vnde nobiliori formę prę paratur nobilior diſpoſitio, vt inter diſpoſitum ad formam, & ipſam formã informantem detur pro quanto poſſibile eſt maior proportio, & æqualitas, Cum igitur conſpiciamus in operatione animæ magnam diuerſitatẽ, nã vt docet. S.D. 1. p. q. 85. art.7. vnus homo perfectius intelligit idem obiectum alio, ideo arguimus hoc ex duplici capite prouenire, vt idem D. Th. ibi affirmat. Primo propter inferiores potentias.i. ſenſus internos, & externos melius diſpoſitos, & præparatos ad inſeruiendum intellectui. Secundo propter meliorem intellectũ, & meliorem animam, quia nobilitas operationis teſtatur naturam operantis. Sed.

Per ſe.

Tertio notandum, quod diſpoſitiones in materia repertæ ſunt in duplici differentia. Nam quædam per ſe primo reſpiciunt formam, vnde eis per ſe proportionãtur. Aliç vero accidẽtaliter eam intuentur, quia fere extrinſicæ ſunt ad informationem, vt ſunt illç, quæ potius ſunt in impedimentum perfectę informationis, quam in complementum, ſequuntur enim materiam male affectam, & non intentionem agentis,. intendentis perfecte aptare materiam ad formam. Forma quidem primas conſequitur, & iuxta illarum naturam corpus informat, nõ. vero iuxta conditionem ſecundarum cõiungitur materiæ, immo per eas impeditur ne ſuam perfectionem exerceat, vt patet in amentibus a natiuitate, quorum anima eſt apta ad diſcurrendum.

Subiectiue.

Quarto notandum eſt, quod cum diuerſitas indiuidualis ſubſtantialis non ſit ſecundum maiorem, vel minorem perfectionem naturæ ſpecificæ, ideo vna anima non dicitur altera perfectior ſecundum ſpeciem, ita vt Animæ iſtæ ſint diuerſæ ſpeciei, vnde diſtinguuntur tantum numero per ordinem ad corpus quod informant, & ſecundum hanc rationem dicuntur perfectiores, & minus perfectę.i. non in natura ſpecifica, ſed in modo informandi, & operandi, prout non incongruit, quod ratio ſpeciei reperiatur in ſuis indiuiduis ſecundum eſse indiuiduale magis, et minus perfectũ.

Ideo

Ideo eſto cautus, ne concedas arguẽtibus in fauorem primæ opinionis, animas differre ineſſe magis, & minus perfectò abſolutè, (tale eſt enim eſſe ſpeciei) ſed dicas eas differre in eſſe magis, & minus perfecto, vel eiuſdem perfectionis in multis animabus, ſed indiuiduale, .i. ſecundum eſſe modale, & ſubiectiuum.

Quoad ſecũdum ergo in fauorem ſecundæ opinionis pono talem concluſionem. Animæ indiuidualiter poſſunt eſſe perfectiores, & minus perfectæ, vel æqualiter perfectæ ſubſtantialiter.

Probatur primo per facultatem Pariſienſem, in quoddam articulo ſic dicentem. Si quis dicit omnes animas ab origine eſſe æquales, errat, quoniã alias, anima Chriſti non eſſet perfectior quam anima Iudæ.

Secundo probatur. Operatio oſtendit naturam operantis. Sed videmus in animatis, vnum multo altius, & nobilius operari. Ergo per nobiliorem formam .i. animam, quæ eſt principiũ operationum in animatis.

Tertio. Inter formam, & ſubiectũ debet eſſe proportio. At videmus vnũ corpus altero perfectius, ergo.

Ad primum ad maiorem dicimus duplicem eſſe prioritatẽ naturę. Prima dicitur ſimpliciter .i. naturæ, & eſſentiæ, & hanc negat Ariſt. inter indiuidua, cum ſint eiuſdem ſpeciei. Secũda dicitur ſecundum quid .i. ſecũdum diuerſos modos contrahendi ſpeciem ad indiuidua, per magis, & minus nobile eſſe indiuiduale, & de hac non loquitur, ſed bene nos. Et ita primo modo ſubſtantia non ſuſcipit magis, & minus.

Ad ſecundũ ſimiliter dicitur, quod S. D. vt patet ex verbis eius, loquitur de perfectione, & capacitate ſecũdum ſpeciem .i. ſecundum eſſentiam.

Ad tertium dicitur, quod vnus homo eſt perfectior altero ſubſtãtialiter ſecundum quid, non ſimpliciter.

Ad quartũ ſimiliter dicitur, quod falſum eſt aſſumptum, quia eſſe magis intellectiuum, & liberum ſtat dupliciter. Primo ſecundum eſſentiam, et ſic eſt falſum. Secundo ſecundum modũ indiuidualem, & ſic quamuis omnes homines ſint intellectiui, tamen vnus melius intelligit alio, & ita pariter, & ſi omnes ſint liberi, vnus tamen alio facilius, & firmius ſe applicat ad operandum. Si quis autem quærat vnde vna anima habet, quod ſit nobilior altera. Reſpondetur, ab agente prouenire effectiue, & a materia præparata ſubiectiue, & materialiter, ab eſſentia vero radicaliter, quia quamuis ſecundum ſe ſit indiuiſibilis, ſecundum ſpeciem, habet tamen quod poſſit nobiliori modo, & ignobiliori contrahi ab indiuiduis, non ſecundum intenſionẽ qualificatiuam, ſed ſecum modum indiuidualem pertinentem ad idẽ prædicamentum, ad quod animæ eſſentia pertinet .i. ad prædicamentum ſubſtantiæ.

LECTIO VIII.

S. D. Secunda.

Philoſophus in textu 8. 9. 10. et 11. duo principaliter facit. Primo explicat diffinitionem datam Animæ. Secũdo deducit duo corollaria. Nos igitur in pręſenti duo principaliter habebimus. Primo quæ textualiter dicũtur a Philoſopho. Secundo quaſdam dubitationes, cum ſuis ſolutionibus.

Quoad primum, Philoſophus ponit talem concluſionem in initio textus octaui, quam duplici ratione probat. Concluſio eſt, Anima eſt ſubſtantia, & quod quid erat eſſe, corporis animati.

Prima ratio hoc probans talis eſt: Sicut ſe haberet forma artificialis, ſi eſſet naturalis, ita modo ſe habet for-

ma ipſa naturalis, reſpectu ſuæ materiæ. Sed forma artificialis dolabræ ſi eſſet naturalis, id cauſaret, quod ea remota, dolabra amplius nō eſſet dolabra, Igitur a ſimili remota anima nō remanet corpus niſi æquiuoce.

Secunda ratio. Sicut ſe habet pars animalis reſpectu eiuſdem, ita ſe habet anima reſpectu corporis animati; Sed ſi oculus eſſet animal, & viſus anima, remoto viſu, non remaneret oculus, niſi æquiuoce; Igitur remota anima non remanet corpus, niſi ęquiuoce.

Docet vlterius Philoſophus: animā dare eſſe ſubſtātiale corpori, & actum primum, relinquens tamen ipſum in potentia ad actum ſecundum, & ad eſſe accidentale.

Secundum principale, quod deducit Philoſophus reducitur ad duo corrollaria. Primum. Quod anima, quatenus corporis actus non eſt ſeparabilis a corpore, ſecundum tamen aliquas partes eſt ſeparabilis ſ. ſecundum partem intellectiuam; & ſecundum aliquas non. ſ. ſecundum vegetatiuam, & ſenſitiuam.

Secundum corrollarium eſt, Quod nondum eſt manifeſtum, vtrum anima vniatur corpori, ſicut motor vnitur mobili. Dubia

Quoad ſecundum principale. Primum dubium accidit circa proceſsū primæ rationis; Nam prius non notificatur ex poſteriori, Sed forma artificialis eſt poſterior naturali, Igitur ab ea non erat notificnda.

Secundo dubitatur circa id, quod implicite intēdit Philoſophus, ſ. quod eo quia forma dolabrę eſt artificialis, & non naturalis, ideo remota forma dolabrę, adhuc remanet dolabra. Con. Quia ſenſu liquet, quod remota forma dolabræ nō remanet dolabra, ſed ſolum ferrum, ergo.

Tertio probatur, quod anima non ſit actus corporis in potentia exiſtentis, ſed in actu. Corpus animatum includit principium vitæ in actu. ſ. animam, Igitur erit actus corporis animati, in actu.

Quartum dubium accidit circa primum correlariū, pro quarto infert, quod ſunt quædam partes ſeparatæ a corpore; Aut per partes ſeparabiles intelligit animam intellectiuam. Aut non intelligit animam, ſed aliquam eius partem; Si primum, reſtringit definitionem animæ ad animam vegetatiuam, & ſenſitiuam; Si ſecundum, nō videtur quomodo anima intellectiua poſſit eſſe actus corporis, & aliqua eius pars non.

Quintum dubium emergit contra ſecundum corrollarium. ſ. quod nondum ſit manifeſtum ex præhabitis, quod anima vniatur corpori, vt forma, & non vt motor. Contra.

Primo, quia in textu ſecundo a ſe ſuerabat non eſſe quęrendam cauſam, cur ex anima, et corpore fieret vnum, quia anima eſt actus corporis, Igitur notum eſt, quod ei vnitur, vt forma, & non vt motor.

Secundo, In textu octauo affirmabat: animam eſſe ſubſtantiam corporis animati; At conſtat nautam non eſſe ſubſtantiam nauis, ſed bene formam materiæ.

Item textu 11. dicebat, quaſdam partes eſſe inſeparabiles a corpore. At liquidum eſt nautam poſſe ſeparari a naui.

Ad primum dubium non eſt difficile reſpondere, dicendo, quod maior eſt vera ſecundum ſe, non reſpectu noſtri, ſicut eſt in propoſito, nam forma accidentalis, cum ſit magis ſenſata, facilius etiam cognoſcitur.

Pro dilucidatione ſecundi ſupponenda ſunt duo. Primum quod duplex eſt forma. ſ. ſubſtantialis, quę dat eſſe ſubſtantiale, vt anima, & forma accidentalis, quæ dat eſſe accidētale, vt forma Cæſaris lapidi, in quo eſt.

Se cun-

Secundum quod materia eſt pars quidditatis rei, & non tota quidditas dependet a forma, vt voluit, Commẽtator; vt diſputabimus in Metaph.

Ad argumentum ergo reſpondet Auerroes per tres propoſitiones. Prima, quod dolabra eſt quoddam compoſitum ex materia, .ſ. ex ferro, & ex forma dolabræ, ſeu ſecuris.

Secunda, quod hæc eſt differentia inter ſignificatum nominis formæ artificialis, & naturalis, quod compoſitum artificiale, primo ſignificat materiam, quia eſt ſubſtantia, ſecundo formam, quia eſt accidens; Econuerſo vero reperitur in compoſito ſubſtantiali, nam primo ſignificat formam, quæ eſt actus ſubſtantialis, ſecundo materiam, quæ eſt in potentia ad ſubſtantiam in actu. Tertia implicite ſubiuncta eſt, quod æquiuocatio pendet a principali ſignificato, Voluit.n.dicere Philoſophus, quod hęc eſt differentia inter compoſitum ſubſtantiale, & artificiale, quod remota forma artificiali, adhuc remanet principale, ſ. materia, remota autem forma naturali, ruit principale ſignificatum.

Sed hęc expoſitio apud nos non eſt vera, primo quia docet, quod forma naturalis ſit tota quidditas rei.

Secundo quia in textu latino non habemus, quod artificiale, primo ſignificet materiam, immo ratio eſt in oppoſitum, nam ſcamnum non ſignificat lignum, ſed formam ſcamni, & dolabra nõ ſignificat ferrum; ſed formam dolabræ.

Reſpondet igitur. Dominus Caietanus, quod diſcrimen conſiſtit inter ſignificatum, & eſſe, ſicut inter materiale, & formale; Nam nomine albi formaliter intelligimus albedinẽ, materialiter vero, & ſecundum eſſe, ſubſtantiã ſub albedine. Sic in propoſito, remota forma dolabræ, remouetur formalier ſignificatum formale dolabræ, quia amplius non eſt dolabra, niſi æquiuoce, materialiter tamen, & ſecundum eſſe remanet dolabra, quia remanet eius ſubſtantia, cum forma illa eſſet accidentalis, remota autem anima, non remanet ſubſtantia aliqua prior, niſi æquiuoce.

Vnde tertio reſpondendum eſt, quod remota forma accidentali, adhuc remanet ſubiectum, quia forma accidentalis non eſt ſubſtantia rei, ſed accidens, Remota autem anima, quæ eſt forma ſubſtantialis, non remanet ſubiectum niſi æquiuoce, quia eſt ſubſtantia, & hæc eſt reſponſio textualis.

Ad tertium reſpondendo, neceſſe eſt ponere quædam fundamenta Primum quod vita dupliciter ſumitur. Primo ꝓ actu primo.ſ. pro eſſe, Secũdo pro actu ſecundo. ſ. pro operatione; vnde exiſtens ſub actu primo adhuc poteſt eſse in potentia ad actum ſecundum.ſ. ad operationem.

Secundum, quod duplex eſt potentia, Quædam ſeiuncta ab omni actu, quæ eſt potentia ad actum primum, & ſecundum, Quædam vero, quæ eſt permixta actui, & potentia ſolum reſpectu operationis, Tũc mihi videtur dicendum, quod germanus ſenſus verborum Philoſophi, hic eſt: quod anima dat eſſe corpori animato, relinquens tamen ipſum in potentia ad operationem, quod ſignificat ly exiſtentis in potentia.

Ad quartum dubium deſcendẽdo, inuenio Philoſophos diſtractos in duas claſses, Nam Auerroes cum ſuis aſseclis, non multum inſudant circa hanc partem, quia tenent animam Intellectiuam non eſse formam corporis, vt videbimus ĩ tertio. S. autem D. cum ſuis diſcipulis tenet, quod anima intellectiua eſt forma corporis, vnde diſtinguit partes in duplici ſerie, quia quædam partes vocantur ſubiectiuæ; Animæ.ſ. vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua, & hę ſunt illę partes ſecundũ Philoſophum, quę ſunt inſeparabiles

a cor-

a corpore, Quædam vero ſunt partes poteſtatiuæ, ſ. Potentiæ, ut velle, & intelligere, & has partes vocat Ariſto teles ſeparabiles, &c. Quomodo autē ſit verum, quod anima intellectiua, ut forma ſit inſeparabilis, & ut intellecti ua ſeparabilis; videndum erit in tertio; ne contingat idem ſępius inutiliter repetere. Pro nunc illud deduc ex ſecunda definitione animę. Cum dicatur eſſe quo viuimus, ſentimus, & etiam intelligimus primò.

Ad quintum dubium reſpondent Auerroiſtæ, quod quædam ſunt animæ immerſæ materiæ, quæ non poſſunt ſeparari a materia, quia ſunt eius actus; ſicut eſt anima vegetatiua, & ſenſitiua; Quædam vero eſt anima, ſ. intellectiua, de qua dubium eſt; num ſit ſeparabilis a corpore, an nō; & hoc eſt, quod dicebat Philoſophus; quod nondum eſt manifeſtum, ſi anima intellectiua cōiungatur corpori, vt nauta naui; vel, vt forma materiæ.

Sed hæc expoſitio rudis eſt; nam definitio animæ iam aſſignata ſi conuenit animæ intellectiuæ, profecto erit & ipſa actus corporis; eo modo, quo, & anima vegetatiua, & ſenſitiua.

Secūdo, quia ſermo Philoſophi formalis eſt, & vniuerſalis; non enim dixit, quod aliqua anima ſit forma corporis; vel aliqua eius pars, & aliqua non: Sed quod anima, vt anima eſt actus corporis.

Ideo ſecundo reſpondēt alij, quod eſſe actum corporis ſtat dupliciter. Primo, vt forma dicitur actus materiæ, Secundo, vt motor dicitur actus mobilis; nam & motus dicitur actus exiſtentis in potentia; Tunc dicunt, quod authoritates inductæ probant, quod aliquo modo eſt notum, quod anima eſt actus, non tamen ſic, vt forma dicitur actus materię; vnde ad primum dicunt, quod ex nauta, & naui fit vnum; ſicut ex potentia mobili, & actu mouente.

Sed quamuis auctoritas tantorum viuorum apud me maxima ſit: videtur tamen mihi talis reſponſio non plene ſatisfacere: quia dicebat Philoſophus, qd anima eſt actus primus. Actus autē primus formaliter ſignificat eſſe, & non motum, ſeu operationem.

Ideo dicerem, quod duo illa Correlaria ſe habent ſicut antecedens, & conſequens: nam, ut ſuperius præli bauimus ex intentione etiam Caietani: anima poteſt dupliciter conſiderari: Primo ut forma, & ſic manifeſtum eſt, quod eſt actus corporis, & hoc probāt rationes inductæ: Secundo ut eſt intellectiua: & in hoc eſt dubium, quomodo intelligere, & potentia animæ intellectiuæ non ſit actus corporis, & ipſa ſit actus corporis.

Addas ſecundam reſponſionem; quod maxima differentia eſt inter eſſe manifeſtum ex rationibus proprijs, & inter eſſe manifeſtum ex quibuſdā ſuppoſitis, & rationibus communib. Philoſophus quidem ſupponit, quod forma ſubſtantialis ſit actus: ſed non ſupponit perfectè hoc eſſe probatum, quia in tertio exactiorem doctrinam erat traditurus: & hæc reſponſio quadrat literæ S. Tho.

LECTIO IX.

S. D. Tertia.

IN textu duodecimo incipit Philoſophus inueſtigare ſecundam diffinitionem animæ; nos vero ſequentes ipſum tria in pręſentiarum agemus; Primo dilucidabimus textus Philoſophi a duodecimo, vſque ad decimumnonum: Secundo quædam circa ipſos annotabimus, vltimo proponemus quædam dubia, & diſſoluemus.

Quo ad primum ex his teſtibus eliciuntur aliquæ concluſiones. Prima, quod ex notioribus nobis animæ, aſcēdamus ad ea, quæ ſunt notiora ſecundum

A notiori bus nobis, quærimus eſſe anima. dum naturam eiuſdemmet Animæ. Probatur dupliciter. Primo, quia talis eſt modus procedendi; quem docuit idem Philoſophus in primo Phyſicorum. Secundo, quia ſunt aliquæ diffinitiones, quę important cauſam; & iſtę ſunt explicandæ per effectus; ſicut eſt iſta ſecunda animæ.

Animatū differt ab inani mato. Secunda Concluſio eſt, Animatum differt ab inanimato, i. carente anima: quia animatum habet in ſe principiū intrinſecum vitę: inanimatum vero minime, & hæc patet.

Viuendi modi quatuor. Tertia. Quadruplex eſt modus viuendi; Primus eſt eorum viuentium quæ viuunt per principium intellectiuum, vt homines, Secundus eſt viuentium per ſenſus, vt animalia omnia, Tertius eſt eorum, quæ habent vlterius motum localem, vt animalia p. fecta, Quartus eſt eorum quæ ſolum augentur, nutriuntur. &c. Probatur hæc concluſio, quia quædam ſolum habent motum augmenti, & decrementi, ut ſunt plantæ, & iſta conſtituunt primum gradū ordine generationis, & quartum ordine perfectionis, quædam vero vlterius habent ſenſum: ſed non motum localē: vt ſunt oſtreæ, & Conchilia, & iſta conſtituunt ſecundum. Quędam vero alterius cum ſenſu habent motum localem, vt ſunt animalia omnia perfecta, & iſta conſtituunt tertium: Quædam vero inſuper habent intellectum, vt homines, & iſta conſtituunt quartum, qui dicitur primus ſecundum perfectionem ut ſupra.

Planta habēt animam. Quarta concluſio eſt, Plantæ habēt habent in ſe animam. Hanc concluſionem probat tali ratione: illud, quod in ſe habet principium motus ad diuerſas poſitiones, in ſe animam habet. Plantæ habent motum ad diuerſas poſitiones: ergo in ſe habent animam. Minor nota. Maiorem probat: eo propter, quod in hoc differt natura ab anima, quod natura mouet ſolum ad vnam poſitionem; anima vero ad plures. De cæteris gradibus probat, quia habent in ſe principium ſui proprij motus.

Vegetatiuam alijs priorem. Quinta concluſio eſt, Gradus viuētium vita vegetatiua, eſt prior cęteris gradibus. Probatur. Ille gradus eſt prior: qui alios non ſupponit: ſed ſupponitur ab alijs: Talis eſt gradus vegetatius: nam plantæ ſolum viuunt anima vegetatiua, alia vero viuētia, quę cæteris gradibus viuunt, ſupponunt animam vegetatiuam.

Animalia omnia habent tactum. Vltima concluſio eſt, Animalia omnia viuunt per ſenſum tactus. Probatque tali Inductione: quia quædā animalia non habent motum progreſſiuum localem: vt oſtreæ: & tamen habent ſenſum tactus. De gradibus autem viuentium dicit fore agendum in ſequentibus.

Philoſophus procedit dupliciter. Quoad ſecundum principale: Primo notandum eſt circa ordinem procedendi: quod duplex eſt ſ. a priori, & a poſteriori, A priori procedimus tūc, cum per cauſam, vel per notiora natura procedimus: A poſteriori, quando per cauſam remotam, vel ex effectib. demonſtrationem conficimus. Anima autem habet rationem cauſæ: quia eſt actus, & forma, & eſt de notioribus ſecundum naturam: ideo per effectus nobis notiores deuenimus in eius cognitionem: & hoc eſt quod intendit Philoſophus in prima concluſione.

Gradus uiuendi quo modo conſiderandi. Secundo notandum circa enumeratos gradus viuentium: quod de ipſis bifariam loqui poſſumus: Primo ut ſunt gradus viuentium: Secundo vt important diuerſos gradus viuendi: Si de ipſis primo modo loquamur: ſolum quatuor ſunt. ſ. Vegetatiuum, Senſitiuum. Secundum locum, motiuum, & Intellectiuum, cum nō detur aliquod viuens: quod ſub his non contineatur, vt ſuperius explicuimus. Si vero ſecūdo modo loquamur, quinq; ſunt modi viuendi. i. quinque operationes animæ:

mæ;quia vlterius additur appetitiuũ; ſed diligenter notato:quod non eſt diuerſus gradus viuendi.: ſed diuerſa operatio viuentis.

Motus localis duplex, perfectus, & imperfectus. Tertio notandum,quod duplex eſt motus localis: Quidam perfectus,qui, & progreſſiuus dicitur, & eſt de loco ad locum: Alius vero eſt imperfectus: ut cõtrictionis, & dilatationis. A uiuentibus ſecundi gradus,non excludimus motum localem imperfectum: ſicut apparet in lumacis, oſtreis: vermibus.&c.quæ potius dicuntur reptare,& ſe dilatare;quam moueri;ſed excludimus ſolum motum perfectum.

Anima mouet ad plures poſitiones. Quarto notandum circa quartã concluſionem. ſ. quod natura mouet ſolum ad vnam poſitionem, Anima vero ad plures, Quod natura pro nũc dupliciter ſumitur. Primo vt diſtinguitur contra animam: ſeu animatũ: & ſic vera eſt propoſitio Philoſophi, Secundo vt talis natura eſt:& ſic non eſt vera abſolute,quia anima ipſa forma eſt, & natura;& tamen mouet ad diuerſas poſitiones.

Vegetatiua ẽ prior via generationis. Quinto notandum circa quintam concluſionem:quod gradus Vegetatiuus ſit prior aliis ſtat dupliciter. Primo generatione,& hoc verũ eſt.eſt n. ſuppoſitus non ſupponens: Secundo præſtãtia,& dignitate: & hoc eſt falſum:nam Primus eſt intellectiuus. Secundus ſecundum locum motiuus: Tertius ſenſitiuus: Vltimus vegetatiuus:talis eſt autem ordo naturæ: ut priora via generationis, ſint poſteriora via perfectionis.

Per ipſam ineſt vita omnibus mortalibus. Sexto notandum quod aſſerit Philoſophus in textu: omnibus viuentibus ineſſe vitam,propter vitam ſenſitiuam:nõ abſolute:ſed ſolum in mortalibus: Cur igitur hanc conditionẽ adiunxerit, aliqui dicunt: quod hoc fecit:quia eſt talis ſentẽtiæ:quod corpora cęleſtia ſint animata:& tamen nec augeantur, nec ſentiant: cum in eis non detur aliqua paſſio. Alij vero dicunt hoc dixiſſe, quia duplex eſt vita:Quędam propria, quæ eſt à forma dante eſſe formaliter: Quædam vero eſt impropria: qua eſt a motore dante eſſe effectiue. At quia ipſe cognouit,quod intelligentiæ orbes mouentes non ſunt animæ informantes, & conſequenter dantes eſſe vegetatiuum,& ſenſitiuum,ſed ſolum aſſiſtentes: ideo appoſuit illam excluſiuam. Quarum autem harum opinionum verior ſit, in Methaphiſ. videbimus.

Quoad tertium principale. Primũ dubium accidit circa textum duodecimum,in quo vř duo dicere, quæ expreſſe videntur pugnare adinuicem: Primum dictum eſt, quod ex certis, incerta pueſtiganda ſunt. Secundum qđ venanda ex deſtinctio propter qđ Animæ. Arguere ex incertis naturæ, nobis vero certiorib.eſt arguere a poſteriori: hoc facit Philoſophus,ergo.

Secundum dubium eſt; quia anima vegetatiua videtur ſolum habere motum.ſ. vegetationis, & augmenti: ſicut & natura.

Ad primum dubium pro nunc non eſt opus reſpondere: in ſequentibus quidem oſtendemus,num ſecunda definitio animę primã concludat a priori, vel a poſteriori.

Ad ſecundum reſpondẽdo, neceſſe eſt prius aliqua pręlibare,

Primum igitur notãdum eſt,quod agentia ſunt in triplici dĩa: Quædam .n. pure naturaliter agunt; ſicut ſunt omnia inanimata. ut ignis, qui ſurſum mouetur, & terra deorſum: Quædam vero ſunt agentia animata, quæ mouentur ab anima; ut plantæ, & animalia omnia, Quædam vero ſunt agentia libera, vt homines, qui agunt volũtate,& intellectu: Differentia autem inter iſta agentia talis eſt: Quod agentia libera habent triplicẽ indeterminationẽ; Prima eſt in actione: quia habent imperium ſui *Agentia ſunt in triplici differentia.*

actus,

actus, & poſſunt velle, & non velle. Secunda reſpectu obiecti, quia poſsũt velle hanc rem, & aliam ei oppoſitam. Tertio reſpectu effectus, quia poſſunt facere vtrumque oppoſitum, vt Medicus, qui poteſt inducere ſanitatem, & mortem. Natura vero eſt determinata. Primo reſpectu operationis; quia vnico modo ſolum operatur, Secundo reſpectu obiecti; quia vnum ſolum reſpicit; Tertio reſpectu effectus proprij, quia non poteſt ſuum oppoſitum. Anima vero medio modo ſe habet, participat .n. rationem naturæ, & agentis a propoſito, quia dupliciter conſiderari poteſt. Primo quoad res, quas facit, & ſic participat rationem agentis a propoſito, quia non ſolum ad vnam poſitionem mouet, verum ad diuerſas, & contrarias, Secundo quoad modum operandi, & ſic participat rationem naturæ, quia ſemper eodem modo operatur; nam aranea ſemper facit telam, vbi maior eſt copia muſcarum; & hirundo, vbi eſt difficilior acceſſus.

Natura eſt determinata ad vnũ, quomodo.

Secundo tñ notandũ, quod hęc propoſitio. Natura eſt determinata ad vnum, non eſt vera abſolute; niſi quibuſdam conditionibus appoſitis; Prima, quod intelligatur eſſe determinata ad vnum, ita vt non poſſit producere contrarios effectus; & ſi diuerſos; nam ly vnum non ſumitur, prout diſtinguitur ab vno, ſpecie, vel genere; ſed vt determinatur ad vnum contrariorum. Patet itaque, ꝙ ignis producit caliditatem, ſiccitatem, combuſtionem &c. non tamen caliditatem, & frigiditatem, vel ſiccitatem, & humiditatem; Secunda eſt, quod non poſſit producere contrarios effectus per ſe, & ſi per accidens, vt ignis indurat lutum, & liquefacit ceram, ꝙ non prouenit ex ipſo igne, ſed ex natura ſuſcipientium eius actionem; vnde patet, quid ſit dicendum ad argm̃.

LECTIO X. & XI.

S. Tho. 4. &c.

POſtquam Philoſophus in ſuperioribus palam fecit, quod Anima eſt principium viuentis, nunc oſtendere conatur quomodo diuerſa principia vitæ ordinem habeant ad inuicem, & inter ſe. In his igitur explicandis, & enucleandis duas lectiones conficiemus, tria aperiendo. Primũ quæ dicuntur a Philoſopho. Secundum annotationes circa eius dicta. Tertium difficultates circa ſecundam Animæ diffinitionem.

In primis igitur quoad primũ ſciendum, quod Philoſophus duas quæſtiones proponit. Prima verum vegetatiuum, ſenſitiuum, ſecundum locũ motiuum, & intellectiuum ſint diuerſæ animæ, vel diuerſæ partes.

Secunda quæſtio eſt, Vtrum dato, quod ſint partes, ſint ſeparabiles loco, & ſubiecto, ſeu ſolum ſecundum rationem. Et vt ſciatur radix harum difficultatum annotãdum venit; quod vegetatiuum, ſicut & ſenſitiuum dupliciter conſiderari poſſunt, Primo præciſe, vt vegetatiuum ſolum eſt, & ſic eſt anima dans eſſe vegetabilibus, Secundo vt cõtinetur in ſenſitiuo, & ſenſitiuum in intellectiuo & ſic dicuntur partes, quia non dantur plures formæ in compoſito.

Formæ quędam ſeparabiles, & quædam inſeparabiles

Secundo igitur reſpondet his quæſtionibus, & primo ſecundæ, deinde primæ. Reſpõdẽdo itaq; primę quæſtioni diſtinguit formas inſeparabiles, & in ſeparabiles; In quibuſdam .n. dicit non eſſe dubium, quin ſint ſeparabiles ſubiecto, & hoc probat tali ratione: Sicut ſe habet Anima educta de potentia materiæ in arboribus; ita ſe habet, & in animalibus imperfectis, vt in Lacertis &c. Sed rami abſciſſi ab arboribus ita viuunt, ſi plantentur; vel inſerantur; ſicut antequã

ſimpliciter,& perfecte, vnde. primo modo ſecundum ipſum, materia, forma, & compoſitum habent diuerſa eſſe, Secundo autem modo ſolum cõpoſitum habet eſſe, forma vero participatiue. Quæ opinio, & ſi non videatur multum ad propoſitum facere, ad vbertatem tamen breuiter rationes eius ponam, & reprobabo.

Prima ratio eſt. Quodlibet ens gaudet proprio eſſe, Anima eſt ens, compoſitum ens, igitur gaudent proprijs eſse.

Secunda S.Th.4.diſt. 43. q. 1. ait, animã nobiliorem ſtatum, et eſſe, habere in corpore, quam extra, Igitur nunc habet aliud eſſe, & tunc aliud.

Tertia. Ea, quæ habent idem eſse, ſunt ęque perfecta, Sed anima non habet eſse ita perfectum ſicut compoſitum. Igitur habent diuerſa eſse.

Quarta. Eſse compoſiti eſt corruptibile, Animæ incorruptibile, ergo.

Sed hæc opinio longe diſcedit a veritate, quia cum anima ſit actus, & forma, conſequenter habebit eſse per ſe, Sed nec eſt hic locus diſputandi de hac re cum Scoto.

Ad primum ergo negatur aſſumptum, quia verum ſolum eſt de eſse eſſentię, quia forma ſe habet vt pars, cõpoſitum vt totum, ſortiuntur tamen vnum commune eſse exiſtentię.

Ad ſecundum dicendum, quod aliud eſt loqui de eſse animæ, & aliud de ſtatu animæ, qui ſtatus cõſequitur eſse. Verum eſt vtiq; quod anima conſequitur perfectiorem modum eſsendi in corpore, quam extra; non tamen diuerſum eſse. Quomodo autem ſit verum hoc: animaduertendum eſt, quod anima habeat nobilius eſse in corpore, quam extra, poteſt duobus modis intelligi. Primo, quoad eſse eſſentiæ, ſeu ſpecificum, & hoc verum eſt, quia in corpore habet eſse completum compoſiti, & ſeparata ſe habet vt pars. Secundo, quoad eſse exiſtentiæ, & hoc dupliciter. Primo quatenus forma eſt, & vt dat eſse compoſito, & hoc modo etiã verum eſt, quod habet nobilius eſse in corpore, quia ſe habet, vt cauſa formalis dans eſse animatum. Secundo poteſt intelligi quatenus intellectiua eſt, & hoc modo eſt præſtantior ſeparata, quia non indiget conuerſione ad phantaſmata, ſed intelligit per modum ſubſtantiarum ſeparatarum. At quia eſse eſsentiæ eſt nobilius ſimpliciter, ſtatus vero ſecundum quid, ideo abſolute dicimus, quod habet nobilius eſse in corpore.

Ad tertium reſpondetur ad minorem, ſicut iam dictum eſt, quod valet de eſse eſsentiæ, non tamen exiſtẽtiæ: qđ vnũ eſt, & idem, & ęque perfectũ.

Ad quartum dicendum, quod eſse compoſiti dupliciter conſiderari poteſt. Primo, vt eſt eſse commune corpori, & animæ, & tale non corrumpitur, quia remanet in anima ſeparata cum ordine, & inclinatione ad corpus. Secundo vt eſt eſse compoſiti, & tale eſt corruptibile, quia ſoluitur vnitorum vnio, vnde dicendum, quod eſſe exiſtentiæ compoſiti remanet in anima ſeparata, non tamen reduplicatiue, vt eſt eſse completum cõpoſiti.

Sexto, & vltimo notandum foret, quomodo eſse conſequatur formam, non neceſſitate abſoluta, ſed phyſica, & quomodo compoſitum ſit præſtantius forma, ſed hęc ſuis locis patebũt.

Quoad ſecundum ergo principale ponitur talis concluſio: Anima vnitur materiæ per ſe, & immediate. Probatur, quia vnitur materiæ nudæ, vt iam determinauimus. Secũdo. A quo res habet eſse, habet & vnitatem, Sed ab vna forma, habet eſse immediate, igitur & vnitatem. Maior eſt Ariſtotelis in 4. Metaph. Minor fuit probata in præcedentibus. *Concluſio probatur.*

Ad primum principale dicendum eſt ad authoritatem D. Auguſt. quod loquebatur de anima, non quatenus *Arg. ſoluuntur.*

for-

forma, ſed quatenus mouet, & tunc verũ eſt, quod partes poſteriores per ſubtiliores mouet, .ſ. mediante ſpiritu, quia eſt primum medium in mouendo.

Ad ſecundum dicendum, ad minorem; quod ſublato ſpiritu tollitur anima non per ſe, ſed per accidens, quia materia tunc remanet indiſpoſita.

Ad tertium dicendum, quod multum diſtare ſtat dupliciter. Primo ſecundum naturam. Secundo ſecundũ proportionem materiæ, & formæ, quæ multum diſtant. Primo modo diſtantia, non vniuntur niſi per aliquod medium. Secundo tamen modo poſſunt vniri immediate, ſi materia fiat diſpoſita ad formam.

Ad quartum dicendum, ſicut iam diximus, quod eſſe eſt ſuppoſiti, vt operantis, & vt quod ſimpliciter, formæ autem eſt eſſe formaliter, & vt principij operationum.

Ad quintum dicendum, quod propoſitio Philoſophi fundatur ſupra ſimilitudinem proportionalem, vnde ſicut ex forma artificiali, & materia naturali fit vnum immediate artificiale, ita ex materia, & forma naturali, fit vnum immediate naturale.

Sed adhuc nõ quieſcit intellectus, propter conditionalem Commentatoris, quod ſi materia, & forma in cõpoſito exiſterent actu, non fieret vnũ, niſi per ligamentum. Contra ex cera, & figura exiſtentibus in actu fit vnum, & non tamen ſolum per contactum, & ligamentum.

Ad dubiũ dicẽdũ, qđ aliud eſt loqui de materia vt materia eſt, & cõſequẽter, vt pura potentia, & aliud de re, quæ vocatur materia, quæ poteſt eſſe in actu, vt materia naturalis exiſtens ſub forma ceræ, quæ dicitur eſſe materia reſpectu formæ impreſſæ eſt res in actu. Auerroes loquebatur de materia, vt materia eſt, quod ſi eſſet in actu, non fieret vnum, niſi per ligamẽtum. Secundo reſpondetur, quod materia ceræ in ordine ad figuram habet rationem, non rei, ſed potentiæ, & ideo argumentum non ſequitur.

Sed hic remanet altera difficultas examinanda. ſ. An animæ rationales ſint æqualis perfectionis ſubſtantialis, vel vna ſit perfectior altera. Et quidẽ quod ſint ęqualis perfectionis quoad ſpeciem ab omnibus cõceſſum eſt, cum anima intellectiua ſit ſpecies atthoma, neque aliquid eſſentiale ſecũdum ſuam naturam vna poſſit habere, quod ab alia remoueatur. Difficultas ergo eſt de perfectione indiuiduali, quam animæ adipiſcuntur ex meliori, ac nobiliori diſpoſitione, & organizatione indiuiduali, quæ propter hæc maior perfectio dicetur non ſpecifica, & eſſentialis, ſed indiuidualis & modaliter ſubſtantialis, quia intelligitur natura ſpecifica per quoſdam modos perfectiores, & minus perfectos ex organizatione diuerſa determinari, ad indiuidua. *An animæ ſint perfectiores una altera.*

Circa iſtam igitur difficultatem inuenio duas opiniones. Prima eſt negatiua, quoniã negat vnam animam eſſe altera perfectiorem indiuidualiter, Hanc ſequuntur Durãdus in 2. d. 32. q. 3. Soncinas 8. Metaph. q. 26. Soto c. de ſubſtantia in ſua logica. q. 2. ad 9. Fonſeca. 5. Metaph. cap. 26. q. 16. ſect. 2. Et Toletus 3. de Anima. q. 18 aſſerens opinionem oppoſitam eſſe temerariam, & periculoſam in fide, probatur autem hæc opinio. *Opiniones.*

Primo. Nam Ariſt. 3. Metaph. text. 11. habet inter indiuidua eiuſdem ſpeciei non eſſe prioritatem naturæ. Sed hæc conſiſtit in maiori, & minori perfectione, Ergo. Item cap. de ſubſtantia dicit. Subſtantiam non ſuſcipere magis & minus, & ſequitur etiam de prima ſubſtantia.

Secundo. Hoc videtur ſentire. S. D. 2. 2. q. 5. art. 4. ad tertium, vbi docet intellectum primorum principiorum

Ideo eſto cautus, ne concedas arguẽtibus in fauorem primæ opinionis, animas differre ineſſe magis, & minus perfecto abſolute, (tale eſt enim eſſe ſpeciei) ſed dicas eas differre in eſſe magis,& minus perfecto, vel eiuſdem perfectionis in multis animabus, ſed indiuiduale,.i.ſecundum eſſe modale, & ſubiectiuum.

Quoad ſecũdum ergo in fauorem ſecundæ opinionis pono talem concluſionem. Animæ indiuidualiter poſſunt eſſe perfectiores, & minus perfectæ,vel æqualiter perfectæ ſubſtantia liter.

Probatur primo per facultatem Pariſienſem,in quoddam articulo ſic dicentem. Si quis dicit omnes animas ab origine eſſe æquales,errat, quoniã alias, anima Chriſti non eſſet perfectior quam anima Iudæ.

Secundo probatur. Operatio oſtendit naturam operantis. Sed videmus in animatis,vnum multo altius,& nobilius operari. Ergo per nobiliorem formam.i.animam, quæ eſt principiũ operationum in animatis.

Tertio. Inter formam, & ſubiectũ debet eſſe proportio. At videmus vnũ corpus altero perfectius,ergo.

Ad primum ad maiorem dicimus duplicem eſſe prioritatẽ naturę. Prima dicitur ſimpliciter.i.naturæ,& eſſentiæ,& hanc negat Ariſt.inter indiuidua,cum ſint eiuſdem ſpeciei. Secũda dicitur ſecundum quid.i.ſecũdum diuerſos modos contrahendi ſpeciem ad indiuidua,per magis,& minus nobile eſſe indiuiduale,& de hac non loquitur,ſed bene nos. Et ita primo modo ſubſtantia non ſuſcipit magis, & minus.

Ad ſecundũ ſimiliter dicitur,quod S.D. vt patet ex verbis eius, loquitur de perfectione,& capacitate ſecũdum ſpeciem.i. ſecundum eſſentiam.

Ad tertium dicitur,quod vnus homo eſt perfectior altero ſubſtãtialiter ſecundum quid, non ſimpliciter.

Ad quartũ ſimiliter dicitur, quod falſum eſt aſſumptum, quia eſſe magis intellectiuum,& liberum ſtat dupliciter. Primo ſecundum eſſentiam,et ſic eſt falſum. Secundo ſecundum modũ indiuidualem,& ſic quamuis omnes homines ſint intellectiui, tamen vnus melius intelligit alio, & ita pariter,& ſi omnes ſint liberi,vnus tamen alio facilius, & firmius ſe applicat ad operandum. Si quis autem quærat vnde vna anima habet,quod ſit nobilior altera. Reſpondetur,ab agente prouenire effectiue,& a materia præparata ſubiectiue,& materialiter,ab eſſentia vero radicaliter,quia quamuis ſecundum ſe ſit indiuiſibilis, ſecundum ſpeciem, habet tamen quod poſſit nobiliori modo,& ignobiliori contrahi ab indiuiduis, non ſecundum intenſionẽ qualificatiuam,ſed ſecum modum indiui dualem pertinentem ad idẽ prædicamentum, ad quod animæ eſſentia pertinet .i.ad prædicamentum ſubſtantiæ.

LECTIO VIII.

S. D. Secunda.

Philoſophus in textu 8.9.10.et 11. duo principaliter facit. Primo explicat diffinitionem datam Animæ. Secũdo deducit duo corollaria. Nos igitur in pręſenti duo principaliter habebimus. Primo quæ textualiter dicũtur a Philoſopho. Secundo quaſdam dubitationes,cum ſuis ſolutionibus.

Quoad primum, Philoſophus ponit talem concluſionem in initio textus octaui,quam duplici ratione probat. Concluſio eſt, Anima eſt ſubſtantia,& quod quid erat eſſe,corporis animati.

Prima ratio hoc probans talis eſt: Sicut ſe haberet forma artificialis, ſi eſset naturalis, ita modo ſe habet for-

ma ipſa naturalis, reſpectu ſuæ materiæ. Sed forma artificialis dolabræ ſi eſſet naturalis,id cauſaret, quod ea remota,dolabra amplius nõ eſſet dolabra,Igitur a ſimili remota anima nõ remanet corpus niſi æquiuoce.

Secunda ratio. Sicut ſe habet pars animalis reſpectu eiuſdem, ita ſe habet anima reſpectu corporis animati;Sed ſi oculus eſset animal, & viſus anima, remoto viſu, non remaneret oculus,niſi æquiuoce;Igitur remota anima non remanet corpus, niſi ęquiuoce.

Docet vlterius Philoſophus:animã dare eſse ſubſtãtiale corpori,& actum primum, relinquens tamen ipſum in potentia ad actum ſecundum, & ad eſse accidentale.

Secundum principale,quod deducit Philoſophus reducitur ad duo corrollaria. Primum. Quod anima, quatenus corporis actus non eſt ſeparabilis a corpore,ſecundum tamen aliquas partes eſt ſeparabilis ſ. ſecundum partem intellectiuam; & ſecundum aliquas non. ſ. ſecundum vegetatiuam,& ſenſitiuam.

Secundum.corrollarium eſt,Quod nondum eſt manifeſtum, vtrum anima vniatur corpori, ſicut motor vnitur mobili.

Dubia

Quoad ſecundum principale. Primum dubium accidit circa proceſsũ primæ rationis, Nam prius non notificatur ex poſteriori,Sed forma artificialis eſt poſterior naturali, Igitur ab ea non erat notificnda.

Secundo dubitatur circa id, quod implicite intẽdit Philoſophus, ſ.quod eo quia forma dolabrę eſt artificialis,& non naturalis, ideo remota forma dolabrę,adhuc remanet dolabra. Con.Quia ſenſu liquet,quod remota forma dolabræ nõ remanet dolabra, ſed ſolum ferrum, ergo.

Tertio probatur,quod anima non ſit actus corporis in potentia exiſtentis,ſed in actu. Corpus animatum includit principium vitæ in actu,ſ.animam, Igitur erit actus corporis animati,in actu.

Quartum dubium accidit circa primum correlariũ, pro quarto infert, quod ſunt quædam partes ſeparatæ a corpore; Aut per partes ſeparabiles intelligit animam intellectiuam. Aut non intelligit animam,ſed aliquam eius partem; Si primum,reſtringit definitionem animæ ad animam vegetatiuam,& ſenſitiuam;Si ſecundum,nõ videtur quomodo anima intellectiua poſſit eſse actus corporis, & aliqua eius pars non.

Quintum dubium emergit contra ſecundum corrollarium. ſ.quod nondum ſit manifeſtum ex præhabitis, quod anima vniatur corpori, vt forma,& non vt motor.Contra.

Primo, quia in textu ſecundo aſſerebat non eſse quęrendam cauſam, cur ex anima,et corpore fieret vnum, quia anima eſt actus corporis, Igitur notum eſt, quod ei vnitur, vt forma, & non vt motor.

Secundo, In textu octauo affirmabat:animam eſse ſubſtantiam corporis animati; At conſtat nautam non eſse ſubſtantiam nauis, ſed bene formam materiæ.

Item textu 11. dicebat, quaſdam partes eſse inſeparabiles a corpore. At liquidum eſt nautam poſse ſeparari a naui.

Ad primum dubium non eſt difficile reſpondere,dicendo, quod maior eſt vera ſecundum ſe,non reſpectu noſtri,ſicut eſt in propoſito, nam forma accidentalis,cum ſit magis ſenſata,facilius etiam cognoſcitur.

Pro dilucidatione ſecundi ſupponenda ſunt duo. Primum quod duplex eſt forma. ſ. ſubſtantialis,quę dat eſse ſubſtantiale, vt anima, & forma accidentalis, quæ dat eſse accidẽtale, vt forma Cæſaris lapidi, in quo eſt.

Secun-

Secundum quod materia eſt pars quidditatis rei, & non tota quidditas dependet a forma, vt voluit, Commẽtator; vt diſputabimus in Metaph.

Ad argumentum ergo reſpondet Auerroes per tres propoſitiones. Prima, quod dolabra eſt quoddam compoſitum ex materia, .ſ. ex ferro, & ex forma dolabræ, ſeu ſecuris.

Secunda, quod hæc eſt differentia inter ſignificatum nominis formæ artificialis, & naturalis, quod compoſitum artificiale, primo ſignificat materiam, quia eſt ſubſtantia, ſecundo formam, quia eſt accidens; Econuerſo vero reperitur in compoſito ſubſtantiali, nam primo ſignificat formam, quæ eſt actus ſubſtantialis, ſecundo materiam, quæ eſt in potentia ad ſubſtantiam in actu. Tertia implicite ſubiuncta eſt, quod æquiuocatio pendet a principali ſignificato, Voluit.n.dicere Philoſophus, quod hęc eſt differentia inter compoſitum ſubſtantiale, & artificiale, quod remota forma artificiali, adhuc remanet principale, ſ. materia, remota autem forma naturali, ruit principale ſignificatum.

Sed hęc expoſitio apud nos non eſt vera, primo quia docet, quod forma naturalis ſit tota quidditas rei.

Secundo quia in textu latino non habemus, quod artificiale, primo ſignificet materiam, immo ratio eſt in oppoſitum, nam ſcamnum non ſignificat lignum, ſed formam ſcamni, & dolabra nõ ſignificat ferrum; ſed formam dolabræ.

Reſpondet igitur. Dominus Caietanus, quod diſcrimen conſiſtit inter ſignificatum, & eſſe, ſicut inter materiale, & formale; Nam nomine albi formaliter intelligimus albedinẽ, materialiter vero, & ſecundum eſſe, ſubſtantiã ſub albedine. Sic in propoſito, remota forma dolabræ, remouetur formalier ſignificatum formale dolabræ, quia amplius non eſt dolabra, niſi æquiuoce, materialiter tamen, & ſecundum eſſe remanet dolabra, quia remanet eius ſubſtantia, cum forma illa eſſet accidentalis, remota autem anima, non remanet ſubſtantia aliqua prior, niſi æquiuoce.

Vnde tertio reſpondendum eſt, quod remota forma accidentali, adhuc remanet ſubiectum, quia forma accidentalis non eſt ſubſtantia rei, ſed accidens, Remota autem anima, quæ eſt forma ſubſtantialis, non remanet ſubiectum niſi æquiuoce, quia eſt ſubſtantia, & hæc eſt reſponſio textualis.

Ad tertium reſpondendo, neceſſe eſt ponere quædam fundamenta. Primum quod vita dupliciter ſumitur. Primo ꝑ actu primo.ſ. pro eſſe, Secũdo pro actu ſecundo. ſ. pro operatione; vnde exiſtens ſub actu primo adhuc poteſt eſse in potentia ad actum ſecundum.ſ.ad operationem.

Secundum, quod duplex eſt potentia, Quædam ſeiuncta ab omni actu, quæ eſt potentia ad actum primum, & ſecundum, Quædam vero, quæ eſt permixta actui, & potentia ſolum reſpectu operationis, Tũc mihi videtur dicendum, quod germanus ſenſus verborum Philoſophi, hic eſt: quod anima dat eſſe corpori animato, relinquens tamen ipſum in potentia ad operationem, quod ſignificat ly exiſtentis in potentia.

Ad quartum dubium deſcendẽdo, inuenio Philoſophos diſtractos in duas claſses, Nam Auerroes cum ſuis aſseclis, non multum inſudant circa hanc partem, quia tenent animam Intellectiuam non eſse formam corporis, vt videbimus ĩ tertio. S. autem D. cum ſuis diſcipulis tenet, quod anima intellectiua eſt forma corporis, vnde diſtinguit partes in duplici ſerie, quia quædam partes vocantur ſubiectiuæ; Animæ.ſ.vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua, & hę ſunt illę partes ſecundũ Philoſophum, quę ſunt inſeparabiles

a cor-

A notioribus nobis, quærimus eſſe animæ.

dum naturam eiuſdemmet Animæ. Probatur dupliciter. Primo, quia talis eſt modus procedendi; quem docuit idem Philoſophus in primo Phyſicorum. Secundo, quia ſunt aliquæ diffinitiones, quę important cauſam: & iſtę ſunt explicandæ per effectus; ſicut eſt iſta ſecunda animæ.

Animatũ differt ab inanimato.

Secunda Concluſio eſt, Animatum differt ab inanimato, i. carente anima: quia animatum habet in ſe principiũ intrinſecum vitę: inanimatum vero minime, & hæc patet.

Viuendi modi quatuor.

Tertia. Quadruplex eſt modus viuendi; Primus eſt eorum viuentium quæ viuunt per principium intellectiuum, vt homines, Secundus eſt viuentium per ſenſus, vt animalia omnia, Tertius eſt eorum, quæ habent vlterius motum localem, vt animalia perfecta, Quartus eſt eorum quæ ſolum augentur, nutriuntur. &c. Probatur hæc concluſio, quia quædam ſolum habent motum augmenti, & decrementi, ut ſunt plantæ, & iſta conſtituunt primum gradũ ordine generationis, & quartum ordine perfectionis, quædam vero vlterius habent ſenſum: ſed non motum localẽ: vt ſunt oſtreæ, & Conchilia, & iſta conſtituunt ſecundum. Quędam vero alterius cum ſenſu habent motum localem, vt ſunt animalia omnia perfecta, & iſta conſtituunt tertium: Quædam vero inſuper habent intellectum, vt homines, & iſta conſtituunt quartum, qui dicitur primus ſecundum perfectionem ut ſupra.

Plantæ habẽt animam.

Quarta concluſio eſt, Plantæ habẽt habent in ſe animam. Hanc concluſionem probat tali ratione: illud, quod in ſe habet principium motus ad diuerſas poſitiones, in ſe animam habet. Plantæ habent motum ad diuerſas poſitiones: ergo in ſe habent animam. Minor nota. Maiorem probat: eo propter, quod in hoc differt natura ab anima, quod natura mouet ſolum ad vnam poſitionem; anima vero ad plures. De cæteris gradibus probat, quia habent in ſe principium ſui proprij motus.

Vegetatiuam alijs priorem.

Quinta concluſio eſt, Gradus viuẽtium vita vegetatiua, eſt prior cęteris gradibus. Probatur. Ille gradus eſt prior: qui alios non ſupponit: ſed ſupponitur ab alijs: Talis eſt gradus vegetatius: nam plantæ ſolum viuunt anima vegetatiua, alia vero viuẽtia, quę cæteris gradibus viuunt, ſupponunt animam vegetatiuam.

Animalia omnia habent tactum.

Vltima concluſio eſt, Animalia omnia viuunt per ſenſum tactus. Probatque tali Inductione: quia quædã animalia non habent motum progreſſiuum localem: vt oſtreæ: & tamen habent ſenſum tactus. De gradibus autem viuentium dicit fore agendum jn ſequentibus.

Philoſophus procedit dupliciter.

Quoad ſecundum principale: Primo notandum eſt circa ordinem procedendi: quod duplex eſt ſ. a priori, & a poſteriori, A priori procedimus tũc, cum per cauſam, vel per notiora naturæ procedimus: A poſteriori, quando per cauſam remotam, vel ex effectib. demonſtrationem conficimus. Anima autem habet rationem cauſæ: quia eſt actus, & forma, & eſt de notioribus ſecundum naturam: ideo per effectus nobis notiores deuenimus in eius cognitionem: & hoc eſt quod intendit Philoſophus in prima concluſione.

Gradus uiuendi quo modo conſiderandi.

Secundo notandum circa enumeratos gradus viuentium: quod de ipſis bifariam loqui poſſumus: Primo ut ſunt gradus viuentium: Secundo vt important diuerſos gradus viuendi: Si de ipſis primo modo loquamur: ſolum quatuor ſunt. ſ. Vegetatiuum, Senſitiuum. Secundum locum, motiuum, & Intellectiuum, cum nõ detur aliquod viuens: quod ſub his non contineatur, vt ſuperius explicuimus. Si vero ſecũdo modo loquamur, quinq; ſunt modi viuendi. i. quinque operationes animæ:

mæ;quia vlterius additur appetitiuũ; ſed diligenter notato:quod non eſt diuerſus gradus viuendi.: ſed diuerſa operatio viuentis.

Motus localis duplex,perfectus, & imperfectus. Tertio notandum,quod duplex eſt motus localis:Quidam perfectus,qui, & progreſſiuus dicitur, & eſt de loco ad locum:Alius vero eſt imperfectus: ut cõſtrictionis, & dilatationis. A uiuentibus ſecundi gradus,non excludimus motum localem imperfectum: ſicut apparet in lumacis, oſtreis: vermibus.&c.quæ potius dicuntur reptare,& ſe dilatare;quam moueri;ſed excludimus ſolum motum perfectum.

Anima mouet ad plures poſitiones. Quarto notandum circa quartã concluſionem. ſ. quod natura mouet ſolum ad vnam poſitionem, Anima vero ad plures, Quod natura pro nũc dupliciter ſumitur. Primo vt diſtinguitur contra animam: ſeu animatũ: & ſic vera eſt propoſitio Philoſophi, Secundo vt talis natura eſt:& ſic non eſt vera abſolute,quia anima ipſa forma eſt, & natura;& tamen mouet ad diuerſas poſitiones.

Vegetatiua ẽ prior via generationis. Quinto notandum circa quintam concluſionem:quod gradus Vegetatiuus ſit prior aliis ſtat dupliciter.Primo generatione,& hocverũ eſt.eſt n. ſuppoſitus non ſupponens: Secundo præſtãtia,& dignitate: & hoc eſt falſum:nam Primus eſt intellectiuus. Secundus ſecundum locum motiuus: Tertius ſenſitiuus: Vltimus vegetatiuus:talis eſt autem ordo naturæ: ut priora via generationis, ſint poſteriora via perfectionis.

Per ipſam ineſt vita omnibus mortalibus. Sexto notandum quod aſſerit Philoſophus in textu: omnibus viuentibus ineſſe vitam,propter vitam ſenſitiuam:nõ abſolute:ſed ſolum in mortalibus: Cur igitur hanc conditionẽ adiunxerit, aliqui dicunt: quod hoc fecit:quia eſt talis ſentẽtiæ:quod corpora cęleſtia ſint animata:& tamen nec augeantur, nec ſentiant: cum in eis non detur aliqua paſſio. Alij vero dicunt hoc dixiſſe, quia duplex eſt uita:Quędam propria, quæ eſt à forma dante eſſe formaliter: Quædam vero eſt impropria: qua eſt a motore dante eſſe effectiue. At quia ipſe cognouit,quod intelligentiæ orbes mouentes non ſunt animæ informantes, & conſequenter dantes eſſe vegetatiuum,& ſenſitiuum,ſed ſolum aſſiſtentes: ideo appoſuit illam excluſiuam. Quarum autem harum opinionum verior ſit, in Methaphiſ. videbimus.

Quoad tertium principale. Primũ dubium accidit circa textum duodecimum,in quo vr̃ duo dicere, quæ expreſſe videntur pugnare adinuicem: Primum dictum eſt, quod ex certis, incerta pueſtiganda ſunt. Secundum qd venanda ex deſtinctio propter qd Animæ. Arguere ex incertis naturæ, nobis vero certiorib.eſt arguere a poſteriori: hoc facit Philoſophus,ergo.

Secundum dubium eſt; quia anima vegetatiua videtur ſolum habere motum.ſ. vegetationis, & augmenti: ſicut & natura.

Ad primum dubium pro nunc non eſt opus reſpondere: in ſequentibus quidem oſtendemus,num ſecunda definitio animę primã concludat a priori, vel a poſteriori.

Ad ſecundum reſpondẽdo, neceſſe eſt prius aliqua prę libare,

Agentia ſunt in triplici differentia. Primum igitur notãdum eſt,quod agentia ſunt in triplici drĩa: Quædam .n. pure naturaliter agunt; ſicut ſunt omnia inanimata. ut ignis, qui ſurſum mouetur, & terra deorſum: Quædam vero ſunt agentia animata, quæ mouentur ab anima; ut plantæ, & animalia omnia, Quædam vero ſunt agentia libera, vt homines, qui agunt volũtate,& intellectu:Differentia autem inter iſta agentia talis eſt: Quod agentia libera habent triplicẽ indeterminationẽ; Prima eſt in actione: quia habent imperium ſui

actus,

actus, & poſſunt velle, & non velle. Secunda reſpectu obiecti, quia poſsũt velle hanc rem, & aliam ei oppoſitam. Tertio reſpectu effectus, quia poſſunt facere vtrumque oppoſitum, vt Medicus, qui poteſt inducere ſanitatem, & mortem. Natura vero eſt determinata. Primo reſpectu operationis; quia vnico modo ſolum operatur, Secundo reſpectu obiecti; quia vnum ſolum reſpicit; Tertio reſpectu effectus proprij, quia non poteſt ſuum oppoſitum. Anima vero medio modo ſe habet, participat .n. rationem naturæ, & agentis a propoſito, quia dupliciter conſiderari poteſt. Primo quoad res, quas facit, & ſic participat rationem agentis a propoſito, quia non ſolum ad vnam poſitionem mouet, verum ad diuerſas, & contrarias, Secundo quoad modum operandi, & ſic participat rationem naturæ, quia ſemper eodem modo operatur; nam aranea ſemper facit telam, vbi maior eſt copia muſcarum; & hirundo, vbi eſt difficilior acceſſus.

Natura eſt determinata ad vnũ, quomodo. Secundo tñ notandũ, quod hęc propoſitio. Natura eſt determinata ad vnum, non eſt vera abſolute; niſi quibuſdam conditionibus appoſitis; Prima, quod intelligatur eſſe determinata ad vnum, ita vt non poſſit producere contrarios effectus; & ſi diuerſos; nam ly vnum non ſumitur, prout diſtinguitur ab vno, ſpecie, vel genere; ſed vt determinatur ad vnum contrariorum. Patet itaque, ꝙ ignis producit caliditatem, ſiccitatem, combuſtionem &c. non tamen caliditatem, & frigiditatem, vel ſiccitatem, & humiditatem; Secunda eſt, quod non poſſit producere contrarios effectus per ſe, & ſi per accidens, vt ignis indurat lutum, & liquefacit ceram, ꝙ non prouenit ex ipſo igne, ſed ex natura ſuſcipientium eius actionem; vnde patet, quid ſit dicendum ad argm̃.

LECTIO X. & XI.

S. Tho. 4. &c.

POſtquam Philoſophus in ſuperioribus palam fecit, quod Anima eſt principium viuentis, nunc oſtendere conatur quomodo diuerſa principia vitæ ordinem habeant ad inuicem, & inter ſe. In his igitur explicandis, & enucleandis duas lectiones conficiemus, tria aperiendo. Primũ quæ dicuntur a Philoſopho. Secundum annotationes circa eius dicta. Tertium difficultates circa ſecundam Animæ diffinitionem.

In primis igitur quoad primũ ſciendum, quod Philoſophus duas quæſtiones proponit. Prima vtrum vegetatiuum, ſenſitiuum, ſecundum locũ motiuum, & intellectiuum ſint diuerſæ animæ, vel diuerſæ partes.

Secunda quæſtio eſt, Vtrum dato, quod ſint partes, ſint ſeparabiles loco, & ſubiecto, ſeu ſolum ſecundum rationem. Et vt ſciatur radix harum difficultatum annotãdum venit; quod vegetatiuum, ſicut & ſenſitiuum dupliciter conſiderari poſſunt, Primo præciſe, vt vegetatiuum ſolum eſt, & ſic eſt anima dans eſſe vegetabilibus, Secundo vt cõtinetur in ſenſitiuo, & ſenſitiuum in intellectiuo & ſic dicuntur partes, quia non dantur plures formæ in compoſito.

Secundo igitur reſpondet his quæſtionibus, & primo ſecundæ, deinde primæ. Reſpõdẽdo itaq; primę quæſtioni diſtinguit formas inſeparabiles, & in inſeparabiles; In quibuſdam .n. dicit non eſſe dubium, quin ſint ſeparabiles ſubiecto, & hoc probat tali ratione: Sicut ſe habet Anima educta de potentia materiæ in arboribus; ita ſe habet, & in animalibus imperfectis, vt in Lacertis &c. Sed rami abſciſi ab arboribus ita viuunt, ſi plantentur, vel inſerantur; ſicut antequã *Form. quędam ſeparabiles, & quędam inſeparabiles*

ab arboribus abſcinderentur; Igitur ſimiliter, & animalia imperfecta; Secundo hoc oſtendit a ſigno, quia in eis ineſt deſiderium, & dolor, vt patet, quod ſi pungantur ſe retrahũt, & hoc dicimus etiã de alijs animalib.

Dubium autem eſt reſpectu ſpeculatiuæ potentiæ ſcilicet intellectus; nam quod ratione ſit ſeparabilis clare apparet, quia potentiæ diſtinguntur per actus, & actus per obiecta, diuerſi autem ſunt actus, & diuerſa obiecta harum potentiarum, vt poſtea videbimus. Videtur inſuper etiã eſſe ſeparabilis ſecundum eſſe, quia cum non ſit affixus organo corporali videtur deducendum, quod poſsit ſeparari, ſicut incorruptibile a corruptibili.

Animalia ſunt diuerſi generis.

Secundo reſpondet ſecundæ quæſtioni dicendo: quod animalia ſunt in duplici differentia. Quia, quædam habent tres priores gradus vitæ enumeratos. Quædam vero ſolum duos, .ſ. vegetatiuum, & ſenſitiuum, ſicut ſunt quædam animalia, quæ habent omnes ſenſus. Quædam vero aliquo carent, ſicut talpa quæ caret viſu. Vltimus gradus vitæ ſe habet, vt anima, gradus vero inferiores vt partes, vt intellectiuum ſe habet, vt anima hominis, ſenſitiuum vero, & vegetatiuum vt partes, &c.

Tertio principaliter concludit ſecundam Animæ diffinitionem dicendo: Anima eſt quo primo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus, ex qua priorem diffinitionem demonſtrat, vt in inferioribus oſtendemus.

Partes animæ totales, non ſunt ſeparabiles ſubiecto.

Quoad ſecundum principale. Primo notandum eſt circa reſponſionẽ ſecundæ quæſtionis, videlicet quod partes animæ non ſunt ſeparabiles ſubiecto, quòd partes ſunt in duplici differentia. Quædam vocantur totales, quia diffuſæ ſunt per totum corpus, vt vegetatiuum, & ſenſitiuum; Non minus enim pedes vegetant, & ſentiunt, quam manus, & caput. Quędam vero vocantur particulares, eo propter, quod habent determinatum locum, & operationem in vna ſolum parte corporis, vt ſunt ſenſus, nam audire ſolum in auribus, videre in oculo reperiuntur. Sermo Philoſophi eſt de primis partibus.

Correlaria.

Secundo notandum, quod dicta Philoſophi reducuntur ad tria pũcta principalia. Primum, quod potentiæ ſeu partes immerſæ materiæ non sũt ſeparabiles a ſubiecto loco, idest realiter. Secundum, quod partes non immerſæ materiæ videntur eſſe ſeparabiles a materia, vt intellectus, & anima intellectiua, quæ non ſunt affixa organo corporali, & reddit rationem Philoſophus, quia incorruptibile, ſeparabile eſt a corruptibili. Et diligenter notate, quod quamuis Philoſophus dubitatiue loqui videatur dicendo, nondum eſſe manifeſtum, &c. & videtur, &c. non tamẽ in hac re dubius fuit; quia ly manifeſtum facit ſenſum, quod huc uſque hoc nõ eſt demonſtratum, ſed in tertio demonſtrandum, at de his in tertio.

Ratio duplex ratiocinans & ratiocinata.

Tertium punctum eſt, quod omnes iſtæ partes ſunt ſeparabiles ſecũdum rationem, & operationem. Dupplex autem eſt ratio .ſ. ratiocinans .i. intellectus diſcurrens, & ratio ratiocinata, .i. diuerſa ratio in re ipſa reperta, etiam nullo intellectu conſiderante, & hoc ſecundo modo diſtinguntur ratione iſtæ partes, quia per diuerſos actus, & operationes diſtinguntur, vt videbimus.

Ex his etiam habemus, quod plures formę non reperiuntur in compoſito, quia intellectiuum denominat hominem, habentem eſſe vegetatiuum, & ſenſitiuum, & quia formæ præcedentes continentur in vltima, ſicut trigonum continetur in tetragono.

QVAE-

QVAESTIO VI.

Vtrum Anima ſit quo uiuimus, ſentimus mouemur, & intelligimus primo.

QVoad tertium principale quæritur. Vtrum recte diffinierit Ariſtoteles ſecunda diffinitione ipſam animam, dicendo, Anima eſt quo viuimus, ſentimus mouemur, & intelligimus. Primo, videtur quod non. Quia diffinitio debet conuenire omni inferior, Sed per animam intellectiuam, non primo ſentimus, neq; per ſenſitiuam primo viuimus, igitur.

Secundo Teſte Philoſopho ſecunda diffinitio dicit cauſam primæ; ergo eam demonſtrat a priori, vt voluit S. Tho. & hoc erit ſecũdum dubium videlicet vtrum ſecunda, primam demonſtret a priori, vel a poſteriori.

Confirmatur prima quæſtio. Moueri primo, & per ſe conuenit mobili per corpus, igitur non per animam.

Confirmatur ſecunda. Omnis cognitio eſt ex nobis notiorib. Si igitur Ariſtoteles primo definiuit animam per eſſe actum corporis, igitur illa erit notior iſta.

Pro deciſione harum difficultatum quædam annotabimus. Concluſiones proponemus, & probabimus. Vltimo argumenta diluemus.

Diffinitio duplex, perfecta, & imperfecta. Quoad primum, primo notandum eſt, quod eiuſdem rei dantur plures diffinitiones, quia diffinitio duplex eſt, Quædam imperfecta, quæ ſolum aſſignatur per vnam cauſam; Quædã vero perfecta, quæ oẽs cõprehendit, & vocatur demonſtratio, ſola poſitione, .i. ordine differens ſcilicet ſicut Ariſtoteles primo Poſteriorũ diffiniebat demonſtrationẽ per cauſam materialem, dum dicebat: Quod demonſtratio eſt ex primis, veris, & per cauſam finalem, dũ dicebat, quod erat ſyllogiſmus Apodithicon; .i. faciens ſcire, ex quibus vna totalis reſultabat, quæ erat, quod demonſtratio eſt ex primis, veris, & ideo faciẽs ſcire, ſic in propoſito. Primo fuit deffinita anima per cauſam materialẽ, dum dictum fuit: qd Anima eſt actus primus corporis, &c. Secũdo per cauſam formalẽ in præſenti, dum aſſertum eſt, Anima eſt quo viuimus, ſentimus, &c. ex quibus duabus, vna totalis reſultat .ſ. quod anima eſt quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus, & ideo eſt actus primus corporis phyſici, &c.

Anima eſt actus. Secundo notandum, quod Anima ſit actus, poteſt tripliciter intelligi. Primo in ſe ideſt habeat rationem formæ, & actus, & non materiæ, Secundo vt intelligatur habere rationem actus in communi, ſiue quicunque actus; ſiue mouentis reſpectu mobilis, ſiue formæ, reſpectu materiæ, Tertio vt intelligatur eſſe actus talis formalis .ſ. actus corporis, & materiæ. Primo modo non intellexit Philoſophus, quod anima ſit actus, quia nihil peculiare dixiſſet de anima, quia etiam Deus in ſe eſt actus, Secũdo, quia hæc ſecunda diffinitio primã demonſtrat, in prima autem aſſumitur, quod ſit actus per modum formę. Nec ſecundus ſenſus eſt intẽtus a Philoſopho, quia expreſſe dicit, quod anima eſt actus, ſicut forma, & ſpecies, nauta autem v. g. non dicitur forma, & ſpecies nauis. Secundo quia communis eſt conceptio ſapientum, quod alio modo Ariſtoteles ponat animam eſſe actum corporis, quam Plato, Plato autem tenuit, quod eſt actus, ſicut motor, & ideo non eſt audiendus Aueuroes, qui hunc ſecundum ſenſum proſequitur. Tertius igitur ſenſus verus eſt, & intentus .ſ. quod anima eſt actus formalis, dans eſſe, viuerẽ, &c. formaliter.

Corporis. Tertio notandum, quod dupliciter poteſt intelligi, quod anima ſit actus

corporis, primo actualiter, vt ſolum penſemus eſſe actum, dum actualiter materiam informat, ita ut ſeparata nō dicatur actus. Secundo abſtrahēdo ab actuali vnione, vel non vnione, vt ſit ſenſus: Anima ſiue vnita corpori, ſiue nō, eſt eius actus, forma, & perfectio, & hunc ſecundum ſenſum ſequitur Philoſophus, tāquam verum. Primo quia etiam anima ſeparata habet ordinem ad corpus, tāquam ad proprium perfectibile. Secundo, quia Philoſophus ex hoc, quod anima eſt perfectio corporis, deducit, quod anima ſit in corpore, quia perfectio eſt in ſuo perfectibili.

Quo viuimus &c. Quarto notandū circa ly quo, duobus enim modis poteſt intelligi, Primo formaliter, & præciſe, inquantū ſignificat principium eſſendi, vel operandi, non ſe habens, vt quod .i. vt viuens, & vt operans vt quod ſecundum ſe. Secundo vt abſtrahit ab eſſe quo, & quod .i. vt ſignificat principium viuendi, & permiſſiue habens in ſe vitam, & hoc ſecundo modo intelligitur in præſenti, nam cum hæc diffinitio ſit communis omni animæ, & anima intellectiua, nō ſolum ſe habeat vt quo, ſed etiam vt quod, debet ſic in vniuerſali intelligi.

Non quo viuitur. Quinto notādum circa ly viuimus quod conſulto Philoſophus dixit: quo viuimus, & non quo viuitur; quia vita bifariam ſumi poteſt. Primo pro vita, quæ procedit à forma informante, quæ eſt vita noſtra. Secūdo pro quacunque vita, ſiue emanet a forma informante, ſiue ab aſsiſtente, ſicut dicitur viuere cœlum, ſiue in ſe ſit vita, vt Deus, ſiue alteri ſit vita. Secūdo modo tractare de vita ſpectat ad Metaphyſic. primo autem modo ad animaſticum quia, eſt vita, qua nos mortales viuimus, de qua Ariſtoteles.

Vita dupliciter ſumitur. Sexto notandum circa eundem terminum: quo viuimus, quod vita dupliciter ſumitur. Primo pro ſignificatis vitę, ſcilicet pro operationibus, vel actu ſecundo, Secūdo pro radice operationum, ſcilicet pro eſſe, & actu primo. Et vtroque modo poteſt intelligi in diffinitione, nam, & anima operamur, & ab ea habemus eſſe. Melius tamen intelligitur pro actu primo, quia, ſicut anima definitur per eſſe actum primum, ita eſt quo viuimus .i. habemus eſſe, & actum primum.

Quomodo per eam viuimus. Septimo notandum circa eundem terminum, quod ly quo viuimus, poteſt dupliciter ſumi. Primo vt ſignificet gradum primum vitæ: gradum inquam vegetatiuum, & ſit ſenſus: Anima eſt, quo vegetamus. Secundo in communi, vt ſignificat vitam datam ſiue ab anima vegetatiua, vt in plantis apparet, vel a ſenſitiua, vt in brutis, ſiue ab intellectiua, vt in hominibus, & & in hoc ſēſu intelligitur; explicat .n. gradum vegetatiuum, ſed non ſolum, & præciſe, ſed vt eſt terminus accomodatus.

Mouemur, &c. Octauo notandum circa ly Viuimus, mouemur, ſentimus, & intelligimus, quod iſti termini poſſunt tripliciter interpretari. Primo disiunctim, vt intelligātur ſignificare quatuor gradus viuentium, viuimus, vegetatiuum ſentimus, animalium imperfectorum, mouemur, perfectorum, intelligimus, hominum. Secundo cōiunctim, vt hęc omnia intelligantur procedere ab vna anima, ęquo modo. Tertio in communi, cum additione ly primo, vt ſit ſenſus: homines primo viuunt per animā intellectiuam, animalia per ſenſitiuā, plantæ per vegetatiuam. Primus ſenſus non eſt proſequendus, contra Aegidium tex. 24. quia plures ponit diffinitiones, Nec ſecundus contra Simplicium tex. 24. quia hæc diffinitio non conueniret animæ intellectiuæ, igitur tertius qui eſt germanus, & omnibus accomodatiſsimus, ſic enim ſaluamus vnicā eſſe diffinitionem, & ea omnes ſpecies animarum explicari.

VI-

Primo. Vltimo notandum circa ly primo, quod duo importat, ſcilicet, & quod rei conueniat ſecundum quod ipſum, & cæteris per ipſum, &c.

Quoad concluſionem. Infra diſputabimus: quantæ ſit vis hæc diffinitio, & quomodo primam demonſtret.

Diffinitio ſecunda demonſtrat primã quomodo. Quoad deciſionem ſecundæ quæſtionis multa inutilia omittam, quæ non ſunt modo recenſenda. Nam quidam tenēt, quod hæc diffinitio priorem demonſtret a poſteriori, vt videtur ſentire S. D. Quidam a priori, vt Albertus Magnus hic cap. 5. Themiſtius, Caietanus, & plerique alij. At in hac re in medium adducam ſubtilem diſtinctionem Domini Caietani, quæ mihi videtur has duas opiniones conciliare. Eſſe igitur principium vitæ ait doctiſſimus Caietanus ſtat dupliciter. Primo actualiter, vt intelligamus animam actualiter dare vitam & operationes, ita vt ſit actualis actus corporis, & in actu. Secundo aptitudinaliter, abſtrahendo ab eſſe principium actualiter corporis. Primo modo prius in anima eſt eſſe actum corporis, quam dare viuere &c. quia corpus non viuit, niſi anima ſit eius actus, vnde viuere, ſentire, &c. ſic sūt eius effectus. Secundo modo prius eſt viuere, quam eſſe actum corporis, & dare eſſe, & operari corpori. Cogitamus enim quod anima aptitudinaliter, ſed radicaliter.i.ex ſua natura, & entitate, & non proxime.ſ. per potentiam habet vitam, antequam ſit actus corporis, & det viuere, quia nemo dat quod non habet, & ideo hoc ei conuenit eſſentialiter, radicaliter. Si igitur præſentem diffinitionem interpretemur in primo ſenſu, vera eſt opinio S. D. ſi in ſecundo opinio Caietani, & ita hæc diffinitio dicetur quidditatiua, & deſcriptiua ſecundum varias eius acceptiones.

Ad exactam tamen huius rei cognitionem, primo proponemus omnes difficultates, emergentes contra vtrūque ſenſum, & ſoluemus. Secundo oſtendemus, quantæ ſit efficaciæ, & vis ratio Ariſtotelis.

Sanctus igitur Tho. tenens, quod ſit demonſtratio a poſteriori argumētatur duplici ratione. Prima, quia Ariſtoteles in textu. 12. dixit ex incertis ſecundum naturam, nobis autem certioribus, velle probare, quod anima eſt quo viuimus, & quod ſit actus corporis. Sed talis demonſtratio eſt a poſteriori. Ergo.

Secūdo. Arguere ab effectu ad cauſam eſt arguere a poſteriori, At viuere, ſentire, &c. ſunt effectus, & operationes animę, quatenus eſt actus corporis, igitur prima diffinitio dicit cauſam.

Ad primam harum rationum, reſpondetur ſuſtinendo mentem Caietani, quod Philoſophus in tex. 12. non dicit ſe velle inquirere primam diffinitionem ex ſecunda, tanquam ex notiori, ſed velle perueſtigare ſecundam ex nobis notioribus, ſicut facit, diſtinguendo animata, ab inanimatis, quia animata in ſe habent principium vitæ, inanimata vero nequaquam.

Ad ſecundam, primo dicimus ad minorem, quod ly viuere ſumitur pro radice vitæ, & pro eſſe vitæ, non pro operationibus. Secundo reſpondetur, quod eſſe principium vita ibi ſumitur aptitudinaliter. Teſtio reſpondetur, quod illæ operationes dupliciter conſiderari poſſunt. Primo in executione, & ſic ſunt effectus animæ, quia ab ea proueniunt. Secundo quatenus Anima ad ipſas ordinatur, tāquam ad habentes rationem cauſæ finalis. Anima enim ordinatur ad operandum, tanquam ad cauſam finalem, demonſtratio autem, quæ eſt per cauſam finalem eſt maxima, & a priori.

Quoad vim vero rationis, contra eam dupliciter argumentatur. Primo quia talis Philoſophi argumentatio

tio videtur fundari ſupra propoſitionē falſam, videlicet quod quando aliqua actio alicui attribuitur propter duo, vnum ſe habet vt materia, alterū vt forma: Nam lingua, & pulmone loquimur, corpore, & medicina ſanamur, locati ſumus corpore, & loco, viuimus corde, & capite, & tamen nullum horum alterius eſt forma.

Secundo quia falſa eſt, quatenus etiam applicatur ad propoſitum: Nā corpore, & anima non intelligimus, cum corpus nullo pacto intelligat, ſed ſolum anima intellectiua.

Formalizatur rō Ariſ. Antequam his rationibus reſpondeamus, prius conſtruenda eſt ratio Philoſophi. Formatur igit tali modo ſecundum Caietanum, & omnes recte ſentientes: Id quo primo viuimus, ſētimus, mouemur, & intelligimus, eſt actus corporis phyſici &c. Sed Anima eſt quo primo viuimus, ſentimus, &c. igitur erit actus corporis &c. Maior ita explicatur, quod quo primo aliquis aliquid operatur, eſt eius forma v. g. Sanitas eſt forma corporis infirmi, quia ſanitate primo ſanatur, & quia ſanitas dat eſſe ſanum formaliter corpori infirmo, ſicut & ſcientia, anima dicitur ſciens formaliter. Minorem autem explicat Philoſophus, quia cum corpore operemur, & anima, non ſit corpus, nec ſubiectū, nec potentia, oportet, vt dicamus, quod ſit, quo operamur primo, tanquam forma, & actu.

Secundo tamen notandum, quod anima ſumpta in minori extremitate, quadrupliciter ſumi poteſt. Primo in communi, & non pro hac, vel illa anima. Secundo in ſpeciali, pro ſingulis animabus. i. pro eo, vel his quæ cōueniunt ſingulis animabus in particulari, ideſt pro viuere vegetatiuæ, ſentire ſenſitiuæ, & intelligere intellectiuæ. Tertio pro Anima humana, prout eminenter continet viuere, ſentire, & intelligere. Quarto pro anima formaliter ſecundum totam ſuam latitudinem formalem, .i. vt eſt anima formaliter, non tamen in communi. Pono enim differentiam inter dicere, ſumo animam in communi, & ſumo animam formaliter ſecundum totam ſuam formalem latitudinem, nam primum non explicat, niſi commune rationem animæ, ſecundum vero dicit eſſe formale omne, quod poteſt animæ conuenire, vt eſt anima, ſecundū totam ſuam formalem latitudinem. Verbi gratia ſi dicamus, ꝙ color eſt principium congregandi, diſgregandi, diuariandi, & commouēdi viſum non in communi, quia communis ratio coloris vt ſic, hæc omnia non habet, ſed ſecundum ſuam formalem latitudinem, qua formaliter color dicitur. Ita in propoſito: Anima in minori extremitate, primo modo nō ſumitur; quia animæ in communi ſumptæ non conuenit, niſi per accidens ſentire, anima quidem, vt anima dicitur animare, Nec ſecundo modo, quia de anima eſt hic ſermo, & nō de vnaquaque, ſicut agendum erit in ſequētibus: Nec tertio, quia hoc eſt reprehenſum ab Ariſtotele tex. 7. prohemij, Igitur quarto modo ſumitur, ex quo coincidit cum anima ſuperius diffinita per eſſe actum corporis, ſecundum totam ſuam formalem latitudinem.

Ad primum igitur dicendum, quod non fundatur ſupra illam propoſitionem aſſumptam, quia ſolum tenet in partibus eſſentialibus, ſed fundatur ſuper hanc proportionalem. *Argumenta ſoluuntur.* Quod ſicut corpore dicimur ſani, & ſanitate, ſed primo ſanitate, & ſcientes ſcientia, & anima, ſed primo ſcientia, & primo ſanitate dicimur ſani, ita dicimur viuere corpore, & anima, ſed primo, & formaliter anima, Sed ſecundo poſſumus reſpōdere, ꝙ Ariſtot. ſuppoñit ex operationibus animæ, quod primo p aiā viuamus, & operemur, &c.

Ad

Ad ſecundum, reſpondetur. Primo, quod anima intellectiua dupliciter conſiderari poteſt. Primo vt eſt intellectiua, & non affixa organo corporali, & conſequenter ſeparata a corpore, ſecundum quem ſenſum currit difficultas. Secundo vt eſt forma, & vt idem eſt cum vegetatiua, & ſenſitiua, & ſic non dicitur ſeparata a corpore. Secundo tamen reſpondetur, quod corpore non intelligamus, ſtat dupliciter. Primo per ſe, & hoc verum eſt. quia anima intellectiua eſt illa, quæ intelligit. Secundo miniſterialiter inquantum offert intellectui phãtaſmata, ex quibus eliciuntur ſpecies intelligibiles, cauſantes intellectionem, & ſic poteſt dici, quod etiam corpore intelligamus.

Ad argumenta principalia modo reſpondeamus. Sed ad primum primæ difficultatis non eſt opus repetere id quod diximus in annotationib. ex quibus pendet ſolutio.

Ad primum ſecundę etiam dictum eſt quomodo dicat cauſã, & non cauſam.

Ad cõfirmationem primæ quæſtionis dicendum, quod moueri ſtat dupliciter. Primo ſubiectiue .i. eſſe ſubiectum motus progreſſiui, & ſic conuenit corpori, quia corpus eſt illud, quod proprie mouetur, & ſe mouet, vt quod. Secũdo initiatiue, ſeu vt quo .i. eſſe principium motus, tanquam quo mouemur, & ſic conuenit animę.

Ad confirmationem ſecundæ iam reſponſum eſt.

LECTIONES. XII. XIII & XIV.

QVAESTIO VII.

Vtrum omnis Anima ſit indiuiſibilis.

Pro enodatione huius difficultatis quatuor principaliter agemus. Primo ponemus diuerſas philoſophantium opiniones. Secũdo explicabimus veram ſententiam D. Tho. & validiſſimis fundamentis vallabimus. Tertio probabimus falſitatem cęterarum opinionum, & noſtram inſimul ſolidabimus. Quarto faciemus ſatis obiectis aliorum.

Quoad primum igitur principale prima opinio eſt, quod ſecundum veram philoſophiam omnis anima etiã rationalis eſt diuiſibilis, (& ſi ſecundum fidem aliter ſentiendum ſit de anima rationali) Hęc opinio attribuitur Cleanti, & Criſippo apud D. Gregorium Niſſenum lib. 2. de Anima cap. 2. Hierardo, & Petro Pomponacio apud Sueſſanum tex. 20. hic, & Sixtum Senenſem lib. 9. Bibliothec. Sanctæ. annota. 8. Prima horum ratio talis eſt: Filij referunt imaginem, & ſimilitudinem patris; non ſolum, quoad corpus, verum etiam, quoad animã, quoad inclinationes, mores, paſſiones, &c. igitur illa anima genita eſt ex patre, & conſequenter corporea eſt. *Opiniones.*

Secunda. Quæ ſe tangunt, corporea ſunt. Sed anima corpus tangit, cum mors non ſit, niſi ſeparatio a corpore, ergo diuiſibilis eſt.

Tertia. Omne quod recipitur, recipitur per modũ recipiẽtis, Sed aĩa recipitur in corpore, igitur et it corporea.

Quarta. Quia ſic ſequeretur, quod vbi eſſet anima, ibi eſſent omnes potentiæ, Hoc falſum, quia virtus auditiua nõ eſt in oculo, viſiua in calcaneo, intellectus in manibus.

Quinta. Sic moueretur motibus contrarijs, quia contingit, quod dũ dextera aſcendit, ſiniſtra deſcẽdat.

Sexta. Quantitas non recipitur, niſi in ſubiecto exiſtente in actu, igitur diuiſibilitas conuenit vtrique parti ſcilicet materiæ, & formæ.

Septimo. Quidqd identificatur cũ extenſo, eſt extenſum, Sed anima ta-

tio-

rionalis identificatur cum vegetatiua, & ſenſitiua, quæ ſunt formæ extenſæ. Ergo.

Octauo, Quia pars abſciſa per aliquod tempus viuit, ſicut experti ſumus in lingua multorum capite abſciſorum. Ergo erit diuiſibilis.

Secunda ſententia priori ex diametro oppoſita eſt, quod omnis anima indiuiſibilis eſt, & hęc aſcribitur Ficino libro 6. Theologiæ Platonis, Caietano Thienenſi, & Simplicio. Et primo probatur ex D. Auguſtino de immortalitate animæ, capite vltimo, vbi dicit, quod ſi vermis, vel lacerta pungantur in cauda, ſe totaliter mouent, quia anima, quæ eſt in cauda, eſt etiam in toto corpore, igitur erit indiuiſibilis.

Secundo, Idem in dialogo de quãtitate animæ ſic argumentatur: Senſus cuiuſcunque animalis, etiam imperfecti, quibus ſpecies apprehendũt ſunt indiuiſibiles. Quod autem apprehendit indiuiſibiliter, indiuiſibile eſt, Ergo.

Tertio. Quia ſic ſequitur, quod dũ partes viuentis corrumpuntur, & generãtur in nutritione, etiã noua pars animæ corrũperetur, & generaretur, ſicut etiam quando viuẽs augetur, Et ita quod cum noua parte materię addatur noua forma, & noua virtus actiua. Hoc falſum, quia augmentum eſſet per poſitionem, ſicut eſt augmẽtum ignis. Ergo.

Quarto. Ariſtoteles primo de generatione capite quinto docet, quod augmentum viuentium fit ſecũdum omnem partem, ſed manet ſolum ſecundum formam, & non ſecundum materiam, ſecundum eãdem partem, igitur forma toto tempore augmenti inuariata manet, & indiuiſibilis.

Quinto. Si in parte abſciſa remaneret anima, illa pars eſſet anima, & poſſet creſcere, ſicut videmus in arboribus abſciſis, & ibi eſſet phantaſia, & imaginatiua.

Tertia ſententia fuit Capreoli in 2. d. 15. q. 1. ad vlt. Soncinatis 8. Metaphyſ. q. 11. Iauelli ibidem q. 4. Aegidij, in primo diſt. 8. quæ eſt & Ianduni, & Apollinaris, quam & libentiſſime ſequitur Toletus, & Ruuius lib. 2. de Anima tractatu de modo & c. q. 3. quod ſolum anima rationalis eſt indiuiſibilis, Animæ vero, tum perfectorum, tum imperfectorum animalium ſunt diuiſibiles.

Horũ primũ argumẽtũ tale eſt: Oĩs forma educta de potentia materię eſt diuiſibilis. Anima ẽt perfectorũ animaliũ educta eſt de potentia materiæ. Ergo. Minor nota. Maior probatur dupliciter. Primo: Illa tota anima nõ educitur ex qualibet parte materię, igitur erit quanta, ſaltem per accidens. Secundo, quia ex hoc ſaluamus indiuiſibilitatem animæ intellectiuæ, quia nõ eſt educta de potentia materiæ.

Secundo principaliter. Formę corporeæ ſunt quantæ, & diuiſibiles conſequenter, Sed animæ perfectorum animalium ſunt corporeæ, ergo. Nec valet reſpondere, quod ſufficit, quod dependeant a corpore, quia etiam dato, quod aliquod accidens ſpirituale eſſet in corpore, non eſſet indiuiſibile, niſi quia eſſet ſpirituale.

Tertio. Forma, quę educitur de potentia materiæ non poteſt conſeruari ſine illa materia, quia hoc eſt educi de potentia materiæ .i. in fieri, conſeruari, & produci eſſe cum dependẽtia a materia; Sed ſi v. g. anima Leonis eſſet indiuiſibilis poſſet quandoq; eſſe, & conſeruari, ſine propria materia. Ergo. Probo minorem, quia demus, quod cõtinue deperdatur tota materia, ex qua educta fuit talis forma, & noua ſuperaddatur, tũc remanet ſine propria materia, quod etiam dicimus de accidente, ſi deperdatur prior materia, in qua erat.

Quarto. Quia ſic nulla eſſet differẽ-

tia

tia inter materiam leonis, & materiam hominis, inter animam ſenſitiuam, & intellectiuam. Hoc autem videtur eſſe inconueniens.

Quinto. Qualis eſt natura motus, talis eſt natura termini; Sed motus .i. generatio eſt extenſa, cum ſit corporea, & extenſa per ſubiectum quantum, igitur. Minor nota. Maior probatur, quia motus identificatur cum ſuo termino.

Sexto. Si anima brυti non eſt diuiſibilis, non erit in loco circumſcriptiue, ſed ſolum diffinitiue, Hoc falſum, ergo. Aſsumptum probatur, Quia quod eſt in loco circumſcriptiue, eſt p partes quantitatiuas. Minor etiā probatur, quia eſſe in loco diffinitiue, eſt proprium rerum ſpiritualium.

Septimo. Hoc eſt diſcrimen inter formas diuiſibiles, & indiuiſibiles. q forma indiuiſibilis, quanto perfectior eſt, tanto magis poteſt maius corpus informare, & in maiori loco operari, ſicut patet de Angelis ſuperioribus, comparatis cum inferioribus, forma vero diuiſibilis, ſit imperfectior, ſicut patet de anima elephātis, & bouis reſpectu animæ hominis, igitur illę erūt diuiſibiles, iſtæ indiuiſibiles.

Octauo. Experientia teſte, multa animalia abſciſo capite ambulauerūt, ergo.

Nono. Quia ratio, ex qua mouetur S. Tho. ad ponendum, animam perfectorum animalium eſſe indiuiſibilem friuola eſt, .i. quia diuerſo modo ſe habet illa anima ad totum, & ad partes, Hoc enim non eſt ſingulare in illa, verum; & in animabus imperfectorum animalium, igitur.

Quoad ſecundum. Sententia Alberti Magni.i.de Anima, cap.vlt. Alēſis 7. Metaphyſ. tex. 59. & S. D. eſt, quod animæ, & hominum, & perfectorum animalium ſint indiuiſibiles, imperfectorum vero diuiſibiles, ita tenet 2. contra Gentes cap. 82. et p.p. q. 76. art. 8. & hic. & cum eo Thomiſtę multi, vt Caiet. & alij.

Primo igitur notandum pro dilucidatione tituli, quod triplex eſt totum. ſ. eſſentiale, .i. logice diffinitio, q̄ conſtat ex genere, & differentia, tanquam ex partibus, & phyſice compoſitum naturale Poteſtatiuum, ideſt habens plures potentias, vel operationes, ſicut eſt Anima, Et quantitatiuū, .i. habens plures partes quantitatiuas. *Totum triplex.* In præſentiarum, non quærimus, num animæ perfectorum animalium, (de quibus vrget difficultas) ſint diuiſibiles in partes diffinitionis, cum conſtet, quod diffiniātur, Nec in partes eſſentiales, cum clarum ſit, quod forma non componitur ex materia, & ex alia forma; Nec quærimus, vtrum iſtæ animæ ſint diuiſibiles in partes poteſtatiuas, cum hoc pro comperto habeatur, ſed quęrimus, num iſtę animę diuidātur ad diuiſionem ſubiecti, ideſt quantitatiue.

Secundo igitur notandum, quod tripliciter aliquid dicitur ſecundum quantitatem diuiſibile. Primo ratione ſui, quia per ſe, & ſecundum ſe tale eſt diuiſibile, ſicut quantitas, ratio enim quantitatis eſt diuiſibilitas, Secundo, ſecundario, & per aliud, ſicut ſubſtantia corporea, quæ ſecundum ſe eſt indiuiſibilis, ratione tamen quantitatis, in quo eſt dicitur diuiſibilis. *Tripliciter aliquid ē diuiſibile ſecundū quātitatē.* Tertio per accidens, quia ſolum eſt in ſubiecto diuiſibili, ſicut anima, & v. g. albedo; Demus enim quod albedo ſit in quadam tabula, quæ diuidatur in quatuor partes, albedo quidem remanet indiuiſibilis. Vera enim, & realis eſt albedo exiſtens in quarta parte tabulæ, & ita diſgregat viſum, ſicut dum erat in tota tabula. Non quærimus, num anima ſit diuiſibilis primo modo, cum non ſit quanta, nec ſecundo, cum non ſit ſubſtantia corporea, ſed tertio modo, ita vt dicamus, quod pars animæ ſit in tota anima. Verbi g.

H quæ-

quærimus, num in brachio abſciſo remaneat pars animæ, ita vt dicatur brachium viuum vniuoce, & tamen anima adhuc remaneat tota.

Animalia perfecta duplicia. Tertio notandum, quod per animalia perfecta poſſumus intelligere. Primo animalia, habentia ſenſum, ſed nō motum localem, ſicut ſunt oſtreheæ, conchilia, lumacæ, ſerpentes, quę potius reptare dicuntur, quam ſe mouere motu progreſſiuo. Secundo per animalia perfecta, poſſumus intelligere illa, quæ habent, & ſenſum, & motū localem, ſicut ſunt boues, elephantes, &c. & de iſtis proprie loquimur.

Formarū triplex genus. Quarto ſciendum, quod triplex eſt genus formarum, Nam quædam reſpiciunt æque totum, & partes, tanquā primum perfectibile, ſicut ſunt formę mere naturales, nam quælibet pars aquæ, aqua eſt, ſicut, & tota aqua; Aliæ vero formæ ita ſe habent, quod primo reſpiciunt totum, & ſecundo partes .i. quatenus exiſtunt in toto, ita vt abſciſſæ non dicantur partes totius, ſicut brachium abſciſum non eſt brachium niſi æquiuoce, nec totum dicitur totum reſpectu illius partis, ſed vocatur totum imperfectum. Quædam vero formę, reſpiciunt totum, vt primum perfectibile ſimpliciter, partes vero tanquam primum perfectibile ſecundum quid, vt patet in ramo abſciſo, & plantato, ſicut, & in parte abſciſa lacertæ, & cæterorum animaliū imperfectorum. Formæ, quæ ſunt primi, & tertij generis diuiſibiles ſunt, & extenſæ, ideo ſeparatę viuūt, ſecundi vero generis nequaquam, quia reſpiciunt ſolum totum, vt primum perfectibile, & partes ſeparatæ non viuunt.

Sed hæc diſtinctio, non placet Toleto, dupliciter enim contra eam inuehitur. Primo, quia ex hac nō deducitur, niſi, quod diuiſæ non remanēt, non tamen, quod non ſint extenſæ, quod plus eſt, nam forma aquæ, quæ eſt extenſa non remanet in minima aqua, ob defectum quantitatis, & ita illa anima perfectorum animalium, ob defectum diſpoſitionum.

Secundo. Si forma elementi æquo modo reſpicit totum, & partes, illa erit tota in omnibus partibus æque primo, igitur ex oppoſito, formæ quæ æque primo non reſpiciunt partes, & totum, non erunt totæ in totis.

Sed hæc friuola ſunt. Ad primum igitur dicitur, quod forma aquæ ſi diuidatur in duas partes in vtraque remanebit, non autem, ſi ſic diuidatur anima, & in hoc ſiſtit vis rationis.

Ad ſecundū iam reſpondedit Caietanus, quod non eſt tota in qualibet parte ſimpliciter, ſed ſecundum quid .i. non in actu, ſed in potentia, quia quælibet pars diuiſa viuit, ſicut patet in lacerta, ſerpente, &c.

Quinto tamen notandum, quod huiuſmodi formæ perfectorum animalium dicantur extenſę, vel non extenſæ poteſt dupliciter intelligi. Primo formaliter, & vt quod ita vt diuiſionem ſortiantur, & diuidantur per diuiſum, & hoc modo dicimus, quod non ſunt extenſæ, ſed indiuiſibiles. Secundo virtualiter, & vt quo .i. dent eſſe extenſum, & hoc verum eſt, nam ita operantur in partibus, & dant eſſe, ac ſi eſſent extenſæ, & hoc ex ſua eminentia.

Quoad tertium principale, ponitur talis concluſio, cōtra primam opinionem: Anima rationalis, & animæ perfectorum animalium non ſunt diuiſibiles, & extenſæ. Probatur primo de anima rationali, argumēto deſumpto ex D. Auguſtino, libr. 6. de Trinitate: Sicut Deus ſe habet ad totum mundum, .i. ad totum vniuerſū, ita ſe habet anima ad paruum mundū .i. ad corpus humanum, Sed Deus eſt in toto mundo, totus, & in qualibet parte, cum ſit indiuiſibilis, ergo & anima in paruo mundo. Argumentū *Concluſio probatur.*

eſt

eſt ex proportionali, Deus tamen eſt in toto mundo effectiue: anima vero in paruo formaliter.

Secūdo. Rerum ſpiritualium eadē eſt ratio, quoad eſſe in loco indiuiſibiliter, Sed Angelus eſt totus, in toto loco, & non pars in parte, igitur ſimiliter, & anima, Et has duas rationes adduximus, vt aduerſarij reſipiſcant, & ora obſtruant, Nec impudenter clament nos fingere res rationi repugnantes.

Tertio. Intellectus cognoſcit vniuerſale vniuerſaliter .i. ſine loco, tempore, &c. Sed hoc non poſſet facere niſi eſſet in extenſus, quia per ſpeciem extenſam non cognoſcimus, niſi rem extenſam in loco, & tempore exiſtentem, ergo.

Quarto. Si Anima rationalis eſſet diuiſibilis, eſſet mutabilis, Hoc falsū, ergo. Probo aſſumptum, Abſcindatur manus, quæro, num illa anima, quæ erat in illa parte retrahatur ad materiam proximam, vel decedat, & ſit immortalis. Non primū, quia duæ formæ informarent eandem materiā, Non ſecundum, quia vna anima immortalis fieret plures animas immortales, quod abhorret omnis Philoſophia, ergo.

Secundo principaliter, idem probo de anima perfectorum animalium, quod ſit tota in toto, & tota in qualibet parte, & conſequenter indiuiſibilis: & primo authoritate Philoſophi in libro de iuuētute, & ſenectute, quo in loco aſſerit, animas imperfectorum animalium eſſe plures, & diuiſibiles in potentia, perfectorum vero minime, ſed vnam eſſe animam ſimplicem.

Secūdo. Formæ extenſę quāto maiora corpora occupant, tanto potiori virtute agunt, hoc patet in igne, in arboribus &c. Sed forma perfectorum animalium, quanto magis improportionatum corpus occupat, tanto debilius operatur, vt patet, ergo.

Tertio. Forma extenſa habet partes, quæ ſeparatę viuunt, Sed partes perfectæ animalis ſeparatę non viuūt, vt patet omni non cęcutienti, ergo.

Ad primum argumentum primæ opinionis reſpondendum eſt, quod filij retinent ſimilitudinem patris, non quia anima filij, ſit anima patris, ſed quia pater producit corpus, & anima ſæpius ſequitur inclinationem corporis, vnde pater albus producit filium album, iracundus iracūdum, Et quod pater non producat animam intellectiuam, patet experientia, quia ſæpe pater ſapiens, producit filium ignarum, & bonus malum. *Argumēta ſoluuntur.*

Ad ſecundum reſpondetur ad maiorem, quod duplex eſt tactus ideſt quantitatiuus .i. duarum quātitatum, & virtutis, ideſt ſecundum virtutem. Maior vera eſt de tactu quantitatiuo, non de contactu virtuali, qualis eſt inter corpus, & animam.

Ad tertium. Primo reſpondetur ad illam maximam, quod vnumquodq; recipitur per modum recipientis, dummodo ſuæ naturæ non repugnet, modo repugnat animabus perfectorum animalium, quod diuiſibiliter recipiātur, Ideo. Secundo reſpondetur, quod illa propoſitio poteſt habere duplicē ſenſum. Primus, quod receptum indu at modum recipientis, & hic ſenſus falſus eſt, nam aqua recipitur in vaſe, & tamen non induit naturam vaſis. Secūdus vt ſit illi proportionatum, & ſic ſenſus eſt intentus. Tertio dicimus, quod anima habet modum recipientis, & ideo eſt extenſa, ſi non formaliter, tamen virtualiter, & hoc ſufficit.

Ad quartum negatur aſſumptum, quia aliud eſt, quod potentiæ dimanent ab anima, & aliud, quod ſubiectentur in anima. Primum quidem eſt verum abſolute de ſecundo autem diſtinguendum eſt. Nam quædam ſunt potentię, quę materiam excedūt,

vt intellectus, & voluntas, & iſtæ etiã ſubiectantur in anima. Quędam vero materiam conſequũtur, vt ſunt potentiæ animæ vegetatiuę, & ſenſitiuę, & iſtæ ſubiectantur in corpore, nam corpus eſt illud, quod augetur, nutritur, & ſentit, non autem anima. Secundo reſpondetur, quod anima eſt etiam tota in omni parte radicaliter, ſed de his in quæſtione ſequenti.

Ad quintum dicimus, quod aliquid non dicitur moueri, niſi id, in quo eſt diffinitiue ſecundum ſe totum moueatur. Anima autem ad motum partium non mouetur per ſe, & ſecundum ſe totam, ſed per accidens, ratione partium, ſicut etiam Angelus mouens cęlum, quia cœlum non mouetur, niſi ſecundum partes, & ideo non mouetur niſi per accidens, ſicut etiam gubernator nauis, dum ſe mouet ad Orientem in naui, & tamen nauis continuo tendit ad Occidentem.

Ad ſextum dicitur, quod diuiſibilitas debet conuenire materiæ, & formæ, ſed diuerſimode, materiæ quantæ formaliter, formę vero virtualiter, vt iam explicauimus.

Ad ſeptimum negatur aſſumptum quia anima ſenſitiua, & vegetatiua identificatæ cum anima rationali sũt incorruptibiles, & inextenſæ, vt millies inculcatum fuit.

Ad octauum reſpondetur, quod in parte abſciſa non remanet anima, ſed ſpiritus, & virtus motiua, ex qua manus, vel caput mouetur, ſed per modicum tempus, ramuſculi vero ſtipitum per longum tempus viuunt, ſicut etiam patet in lacertis. Sed hic tria breuiter annotabis. Primum, quod loquimur naturaliter, vt ſecludamus miracula, nam Caput D. Pauli miraculoſe locutum eſt, & Corpus Diuiniſſimi Dionyſij Caput truncum, manibus detulit, vſque ad locum, in quo modo iacet. Secundũ, quod, & ſi per aliquod tempus remaneat motus aliquis, hoc prouenit ex groſſitie carnis, impediente exitum ſpirituum vitaliũ. Tertium, quod hoc magis conſtat in arboribus, quæ diu viuunt. Tum primo, quia imperfectiores ſunt; Secundo, quia non indigent tam celeri nutrimento. Tum quia minor eſt in eis varietas organorum.

Ad primum argumentum ſecundæ opinionis dicendum eſt, quod duæ sũt authoritates S. Auguſtini. Vna deſumpta ex libro de immortalitate animæ, cap. 16. quo in loco nihil meminit de anima vermiculi, ſed tãtum aſſerit, quod anima rationalis eſt tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, & adducit experientiã, quia ſi vna pars dolet, cætera membra languẽt. Alia ſumitur ex libro de quantitate Animæ, cap. 31. vbi aſſerit, quod anima vermiculi remanet in parte abſciſa, vnde, & ſi tota lacerta pungatur in cauda, & tota moueatur, hoc prouenit, quia eſt anima vna per continuationem, & extenſionem, & quia in omnibus animalibus reperitur illa generalis compaſſio, quod ſi vnum membrum patitur, cætera omnia cõpatiuntur, nec aliæ adſunt authoritates D. Auguſtini. Nec vera eſt minor ſecundi argumenti, poteſt enim diuiſibile indiuiſibile appręhendere ſicut ex oppoſito, intellectus diuiſibilia indiuiſibiliter appręhendit.

Ad tertium dicendum, quod impertinens eſt quęrere, num in nutrimento addatur noua pars formę, an non, ſufficit.n. quod auctum ex nutrimento augeatur, ſed & forma extendatur, dum materia extenditur.

Ad quartum non eſt reſpondendũ, quia petit eandem difficultatem cum tertio.

Ad quintum reſpondebimus in quæſtione ſequenti.

Modo accedamus ad argumenta tertię opinionis. Ad primum dicitur quod falſa eſt maior, tenemus .n. nos

ani-

animas perfectorum animalium eſſe eductas de potentia materię, & tamen eſſe totas in totis, & in omnibus partibus, neq; educitur tota ex parte, ſed tota ex tota materia, cum ordine ad omnes partes, & ita in nutritione tota incipit animare conuerſum in ſubſtãtiã, & hoc prouenit quia alimentum fit vnum cum alito, & anima virtualiter habet, vt poſſit informare omne illud quod fit ſuum ſubiectum per continuationem.

Ad ſecundam confirmationẽ maioioris dicimus, quod non ſolum ſaluamus indiuiſibilitatem animæ rationalis, quia nõ eſt educta de potẽtia materiæ, ſed inſuper, quia eſt tota in toto &c. ſicut, & animę perfectorum animalium, & quia vna eſt anima ſimpliciter in actu, & in potentia, quod non conuenit animabus imperfectorum animalium, quę ſunt multiplices in potentia.

Ad ſecundum dicendum, quod dupliciter aliqua forma poteſt dici corporea. Primo, quia eſt diuiſibilis, & extenſa. Secundo, quia eſt incluſa in corporis perfectiones, nec excedit corporis facultatem, & ab eo dependet in eſſe, & fieri. Maior verificatur de forma corporea primo modo, ſed nos dicimus, quod animę perfectorũ animalium ſunt corporeę ſecundo modo, & ideo ſufficit, quod dependeat a corpore in eſse, & in fieri. Nec vrget probatio aſsumpti, quia nos negamus quod accidens ſpirituale poſſit immediate recipi in corpore, quia ſic dependeret a corpore in eſse, & in fieri, & eſset corporale, & ſpirituale, quod eſt impoſſibile.

Ad tertium negatur maior, ſufficit quidem, quod alia materia continuo ſubſtituatur, ſicut illuminatio camerę poteſt fieri a duabus candelis, ſi in eodem inſtanti vna remoueatur, & alia ſubſtituatur, & erit eadem illuminatio. Nec tamen prior forma dicenda eſt eſſe in alia materia, & migraſſe, ſicut nec ſubiectum adæquatũ aliud eſt. Nam eſt differentia inter migrare de ſubiecto in ſubiectum, & eſſe abſque priori materia, nam primum ponit formam migrare de materia informata, alia forma, in materiam iam per aliam formam informatam, quod eſt etiam impoſſibile in accidentibus, nam albedo Petri non trãſit in Paulum, eſſe autem abſque priori materia nihil aliud refert, niſi, quod informat nouam materiam, quæ ita ſolum erat in potentia ad eſſe ſub illa forma, ſicut, & prior, & hoc veriſſimum eſt, quia ita dependet ab illa materia, ſicut a priori, ita illa materia reſpicit illam formam, ſicut, & prior, & ita accidens poteſt eſſe abſque priori ſubiecto, non tamen in alio ſubiecto, & hoc bene nota.

Ad quartũ reſpondetur, quod maxima eſt differentia, quia quamuis forma rationalis dependeat a materia, ſecundum quod ex harum vnione totũ reſultat, non tamen a materia dependet in eſſe, & conſeruari, ſicut ab ea dependet anima perfectorum animaliũ, nam anima rationalis poteſt eſſe, & conſeruari ſine materia, illæ autem nequaquam.

Ad quintum dicẽdum, quod generatio terminatur per ſe ad compoſitũ, ad formam vero per accidens, vnde ſufficit, quod compoſitum ſit extenſum. Sed ſecundo dicitur, dato quod terminętur v. g. ad formã æqui, quod generatio erit inextenſa, nec eſt inconueniens, quod ſi producit formam inextenſam, quod etiam eliciat rationẽ materialem inextenſam.

Ad ſextum negatur minor. Ad probationem dicitur, quod hoc non ſolũ eſt proprium rerum ſpiritualium, verum etiam omnium rerum non habẽtium partes, loco correſpondentes, ſicut etiam patet in puncto. Secundo dicitur, quod anima nõ eſt in loco per

ſe,

ſe, ſed per accidens .i. ratione corporis, non quod aliquo modo Anima ipſa ſit in loco per accidens, ſed quia corpus eſt in loco, nam Anima non eſt in corpore tanquam in loco, cum corpus contineat, ſed eſt tanquam in materia, plures .n. ſunt modi eſſendi in, vt habuimus ex Antepræ dicamentis, & ex 4. Phyſicorum.

Ad ſecundum primo dicimus, quod non valet exemplum de Angelis, quia Angeli sũt in loco, ſicut motores, Anima vero tanquam forma. vnde Angeli dicuntur eſſe in loco maiori, vel minori, prout ſuæ virtuti correſpondet maior, vel minor locus, anima vero vt informat. Secundo dicitur, quod non prouenit, quod animæ brutorum informẽt maiora corpora qa, sũt diuiſibiles: ſed præcipue propter vires potentiarum vegetatiuæ animæ, potententis magis nutrire. Tertio dicitur, quod etiam ſi anima hominis non informet tam magnum corpus, habet tamen eleuatiorem operationem, & ideo dicitur perfectior. Sed quarto negatur maior abſolute.

Ad octauum ſatis fuit dictum, ſimiliter ad nonum.

Sed adhuc remanet dubium, quia Philoſophus in lib. de ſenectute, & iuuentute affirmat, quod plura alia animalia præter inſecta viuunt deciſa, ſed iſta non poſſunt eſſe, niſi perfecta.

Sed negatur minor, quia animalia imperfecta ſunt in duplici differentia, quædam vocantur inſecta, vt ſunt apes, & veſpæ, quædam annuloſa, vt lacertæ, colubri, & vermes &c.

LECTIO XV. & XVI.

IN his duabus lectionibus examinabimus ſimiliter duas quęſtiones, Prima, An anima ſit tota in toto, & tota in qualibet corporis parte. Secunda, An in partibus deciſis animalis imperfecti remaneat actu anima, & phantaſia.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Anima ſit tota in toto, & tota in qualibet corporis parte.

VIdetur igitur, quod anima non ſit tota in toto &c. Nam Philoſophus in libro de cauſa motus animalium ait, quod non eſt opus animam eſſe in toto corpore, ſed in quodam principio corporis, ſeu in aliqua parte corporis.

Secundo. Anima eſt actus corporis organici. Sed non quelibet pars corporis eſt organica. Igitur.

Tertio. Potentiæ animæ fundãtur in eſsẽtia animę. Sed potentię nõ ſunt, niſi in determinata parte corporis, vt virtus viſiua in oculo, auditiua in aure. Igitur & Anima.

Quarto. Quia ſic ſequeretur, quod vna pars non dependeret ab alia, & quod vna altera non ſit principalior.

QVÆSTIO IX.

Vtrum in parte deciſa animalis annuloſi remaneat anima.

SEcũdo principaliter videtur, quod in parte deciſa animalis annuloſi non remaneat actu anima, & phantaſia. Nam ſi diuidatur animal in tres partes ſequeretur, quod vnum animal fieret tria animalia, & conſequenter, quod diuiſio eſſet generatio, quod videtur ridiculum.

Secundo. Quia generatio eſſet ſine præuijs diſpoſitionibus, & ſimilia incommoda ſequerentur.

Tertio. Phãtaſia eſt in determinata parte capitis, Igitur non poteſt eſse in cauda v. g. abſciſa.

Prd reſolutione primæ difficultates tria perluſtrabimus .ſ. præmittendo

do annotationes, concluſiones, & reſponſiones ad argumenta.

Opiniones. Quoad primum, primo ſciendum eſt, quod Philoſophorum ſentẽtię diuiſæ ſunt in duas claſses, Nam Platonici, qui tuẽtur Ani nam corpori vniri in ratione motoris, conſequenter eã ponunt in determinata parte, corporis .ſ. in capite. Hãc opinionem ſecutus eſt Cicero in Tuſcul. Simon Portius, in quodam ſuo libello de mente hominis, qui tamen eã collocant in corde. Eandem opinionem videtur tenuiſse D. Hieronymus lib. 2. ſuper Matth. cap. 14. fulcitus authoritate Euangelij: A corde enim exeunt malæ cogitationes, adulteria, homicidia, &c. Alij vero cum D. Tho. 1. p. q. 76. art. 8. in quæſt. de Anima artic. 10. 2. contra gentes cap. 72. tenẽt, quod anima vnitur corpori, vt forma, & conſequenter eſt tota in toto, & tota in qualibet corporis parte, & totum, perficit, quæ opinio etiam D. Hieronymo conſentanea eſt, vt inferius explicabo.

Totũ triplex. Secundo notandum, quod vt ſupradiximus triplex eſt totum, pro nũc, ſcilicet quantitatiuum, quod conſtat ex partibus quantitatiuis, vt linea dicitur totũ, pars vero lineę pars. Aliud eſt totum eſsentiale, quod reſultat ex partibus eſsentialibus videlicet materia, & forma, ſi eſt totum eſsentiale Phyſicum, ſi vero Metaphyſ. ex genere, & differentia, Aliud eſt totum poteſtatiuum, quando .ſ. vna potentia operatur in toto, Nõ aſserimus, quod animę totalitate quantitatiua ſit in toto, quia cum non ſit diuiſibilis, & extenſa, non poteſt habere hanc totalitatẽ; Nec ẽt tertio modo, q̃a videmus, quod anima habet determinatas operationes, in determinatis partibus, virtutem viſiuam in oculo, auditiuam in aure, vegetatiuam in oſsibus, ſenſitiuam in carne, intellectiuam in capite, vbi ſunt ſpecies, & phantaſmata, ſed loquimur de totalitate eſsentię dicentes, quod quoad eſsentiam eſt tota in toto, & tota in partibus, quia totum, & partes informat, perficit, & eis dat eſse.

Partes eſſentiales, & non. Tertio notandum, quod partes sũt in duplici differentia. Quædam enim ſpectant ad perfectionem eſsentialem & totalem hominis, vt manus, caput, cor, iecur, ſanguis. Quędam vero non ſpectant ad totum eſsentiale, vel quantitatiuum, ſed potius ad ornatum, vt pili, vngues, & ſimilia, Dũ dicimus, quod anima eſt tota in toto, &c. loquimur de partibus eſsentialibus, & integralibus, quia iſta animata ſunt, in alijs vero partibus non reperitur ſic perfecto modo. Vnde.

Anima eſt tota in toto, non tamẽ omni modo. Quarto notãdũ, quod hæc propoſitio: Anima eſt tota in toto &c. pôt dupliciter intelligi. Primo, vt ſit tota in toto, & tota in partibus, & totaliter .i. quoad omnes operationes, & hoc falſum eſt, nam vnam operationem habet in oculo, aliam in aure. Nam nec manus intelligit, nec pes odorat. Secundo, vt dicatur eſse tota quidem in toto, non tamen totaliter, quoad omnes operationes, ſed quoad operationem conuenientem illi parti, & ſic eſt tota in toto &c. non ſolum in partibus eſsentialibus, & integrantibus, verumetiam in pilis, vnguibus, prout poteſt eſse in illis partibus, & quoad operationem conuenientem illis partibus.

Et alio modo reſpicit totũ et alio modo partes. Quinto notandum, quod quamuis anima ſit tota in toto &c. non tamen eodem modo reſpicit corpus, et partes Nam corpus reſpicit tanquam primũ perfectibile, .i. tanquam id, quod primo perficitur ab anima, non enim perficit, vel informat partes, niſi quia perficit, & informat totum, & ideo eas reſpicit, tanquam ſecundarium perfectibile. Ex his autem deducuntur tria Primum quod definitur in ordine ad primum perfectibile, dum dicitur, q eſt

eſt actus primus corporis &c. Secundum, quod ideo reperitur, & in toto, & in partibus, quia omnia hæc perficit. Tertium cum hoc tamē ſtat, quod ſit tota in toto, & in omnibus partibus tota, vel tanquam in primo perfectibili, vel tanquam in ſecundario.

Concluſio probatur.

Quoad ſecundum principale talis eſt concluſio: Anima eſt tota in toto, & tota in qualibet corporis parte. Probatur. Anima in eo eſt tota, q̄ñ id informat, & perficit, prout eſt natum perfici, & informari. Anima eſt talis reſpectu totius; & partium, vt patet ad ſenſum. Ergo.

Secundo. Remota anima, non remanent corpus, & partes, niſi æquiuoce vt ſuperius iam prælibatum eſt. Ergo.

Ad argumenta reſpondetur.

Ad primum dicendum, quod anima dupliciter conſiderari poteſt. Primo, vt forma, & ſic dicitur eſse tota in toto &c. Secūdo, vt motrix, & ſic præcipue collocatur in corde, in neruis, &c. & hoc ſecundo modo ibi loquebatur Ariſtoteles. Primo autem modo eſt in partibus organicis, prout organicæ componuntur ex [ho]mogeneis. Et eſt in pede, quamuis non intelligat per pedem, quia in eo non vigent ſenſus. Et cum ſit in omnibus partibus, eſt in eis tanquam in loco inadæquato, & in toto corpore vt in loco adæquato. Sed per accidens .i. per corpus.

Ad ſecundum dicendum, quod ſufficit animā eſse in partibus quoad omnes operationes conuenientes illis partibus, quia reſpicit eas tanquam ſecūdarium perfectibile, Anima tamen totalitate eſsentiæ, & potentiarum ſuarum, dicitur eſse tota in toto, ſed eas exercere per partes aptas.

Ad tertium dicendum, quod potētiæ animę ſunt in duplici differentia. Quędam excedunt corpus, & materiā vt intellectus, & voluntas, quorum operationes non dependent a corpore. Quędam vero ſunt communes corpori, & animæ, vt vegetare, & ſentire. Reſpectu primarum, anima potius dicitur ſeparata a corpore, vel ſi eſt in aliqua parte, dicenda eſt in capite quo ad exercitium, vbi vigent ſenſus, quoad alias vero ſufficit, quod ſit tota in alijs partibus modo conuenienti illis partibus.

Ad quartum dicendum, quod ſi anima conſideretur vt forma, eſt æqualiter in omnibus partibus, vt motrix tamen, vel quoad operationes, non, quia vnam operationem habet in vna parte eccellentiorem, vel virtuoſiorem, quam in alia.

In enodatione ſecundæ quæſtionis, ſolum aliqua mihi occurrunt notanda, quæ non ſunt, niſi quædam conditiones quibus ſeruatis indubie ſuſtinebimus aſsertum Philoſophi, hic, & de longitudine, & breuitate vitæ clarius, cap. vltimo, quod pars deciſa viuit, & habet phantaſiam.

In parte deciſa animalis imperfecti, quomodo anima remaneat.

Prima, quod diuiſio fiat per tranſuerſum, & non per longum, cuius rei rationem reddit Albertus, quia annuli, & ſpinæ horum animalium correſpondent cordi, vnde quaſi læſo corde, illico moriuntur. Et ita ſi plantæ ſcindantur per longum, ſine medulla non viuunt, quia medulla cordi correſpondet, quare cum ea vbique habent germen, & radices in potentia, & ideo ſunt diuiſibiles, quia non ſunt in potentia ad formam cadaueris, ſed viuentis.

Secūda eſt, quod diuiſio fiat in partes notabilis quantitatis, poſset enim diuiſio fieri in partes tā paruas, quod in eis non remaneret vita, quia vita in eis poſtulat partes ſub tanta quātitate.

Tertia, quod ſit per modicum tempus, quia cum omnis diuiſio ſit violēta, & nullum violentum ſit perpetuū, non poteſt diu illa pars abſciſa remanere viua.

Concluſio probatur.

Probatur igitur cōncluſio, & primo

mo, quod abſciſa viuant, & hoc experientia ſuadet in arboribus plantatis, & in partibus deciſis animalis.

Secũdo, quod ibi adſit anima, quia ibi ſunt operationes animæ. Quod adeo magnificat D. Auguſtinus libr. de quantitate animæ cap. 3. vt videatur inſectis dare animam indiuiſibilẽ.

Tertio, quod ibi ſit phantaſia, quia omne habens motum, & deſiderium habet, & phantaſiam.

Argumẽta ſoluuntur.

Ad primũ dicitur, quod de ratione generationis eſt, quod intẽdatur a natura, & principiũ ſit intrinſecum, modo hæc omnia abſunt, vnde illa diuiſio non poteſt vocari generatio, nec pductio animalis, ſed animatorũ quorumdam. At cum conditionibus dictis poterit dici generatio.

Ad ſecundum dicendum, quod illa diuiſio, potius vocanda eſt via ad corruptionem, cum habeat rationem violenti, quã generatio, quæ eſt via ad eſſe naturale.

Ad tertium dicendum, quod duplex eſt phantaſia. Quædam perfecta, quę eſt in determinata parte capitis, & habet proprium organum, & ſeruat ſpecies, & talis ſolum reperitur in animalibus perfectis. Alia eſt imperfecta, quæ ſolum mouetur pro hic, & nunc, & talis reperitur in animalibus imperfectis, de prima loquebatur Philoſophus in tertio de anima.

QVAESTIO X.

An anima ſit in capillis, & vnguibus, &c.

SEd vlterius ad completam huius rei notitiam quærendum eſt, Num anima ita ſit tota in toto, & tota in qualibet corporis parte, ita vt etiã intellectiua remaneat in capillis, & vnguibus, & videtur quod non. Quia capilli abraſi retinent eandem formã, & figuram, ſicut dum erant in capite, nam ſi erant albi, albi remanent, ſi nigri, nigri.

Secundo. Vbi eſt operatio animæ, ibi ſemper remanet anima, Sed nos cernimus, quod capilli hominis mortui creſcunt, & tamen anima intellectiua receſſit, Igitur informabantur alia anima.

Tertio. Quæ informantur anima intellectiua, augentur ſecundum omnem dimenſionem, ex primo de generatione cap. 5. Sed capilli non creſcũt, niſi in longum, Igitur.

Quarto. Vbi eſt anima in ſeparatione accidit dolor, Sed in abſciſione capillorum non ſentitur dolor. Ergo.

Quinto. Anima eſt actus corporis organici, Sed capilli, & vngues non ſunt partes organicæ. Ergo.

Sexto ſequeretur, quod in Chriſto eſſent vniti verbo, etiam dum ſeparabantur, quia quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.

Pro dilucidatione quæſtionis præmittemus primo aliqua notãda. Deinde concluſionem, cum ſuis probationibus. Tertio ſolutiones argumentorum.

Quoad primum, primo notandum venit, quod in hac re duæ ſunt opiniones. Prima quorũdã vt D. Bonau. in 4. d. 44. q. 2. & Duran. q. 1. dicẽtiũ: quod capilli, & vngues ſolum informantur anima vegetatiua, quæ realiter diſtinguitur ab intellectiua. Nos vero eradicantes omnem pluralitatẽ formarum, dicimus, quod informantur anima intellectiua. *Opiniones.*

Secundo notandum, quod vt ſuperius tetigimus, partes in homine ſunt in triplici differentia, quia, quædam ſunt præcipuę, vt caro, oſſa, nerui, & & conſimiles. Quædam vero potius pertinent ad ornatum, vt capilli, & vngues, de quibus ſolum modo diſputamus. At aliæ medię ſunt, vt ſanguis, & humores, ſine quibus partes primariæ non haberent naturalẽ conſiſten-

tiam, & hæ in ordine ad primatias partes in quas conuertuntur, dicuntur partes ſecundariæ, & in potentia ad primas. Et quandoque dicuntur partes in actu, & primariæ, ſed non abſolute, ſed in ſuo ordine.

Tertio notandum id, quod etiam alias diximus, quod anima intellectiua eſt tota in toto, & in omnibus partibus, ſed non æquo modo, nam vt vegetatiua reperitur in capillis, & vnguibus, vt ſenſitiua in carne, & neruis, vt intellectiua in ſuis potentijs.

Concluſio probatur. Quoad ſecundum concluſio eſt: Anima intellectiua reperitur in capillis, & vnguibus. Probatur primo authoritate S. D. 4. diſt. 44. q. 1. artic. 2. vbi aſſerit, quod capilli, & vngues viuunt, creſcunt, & informantur anima intellectiua. Huic ſententiæ adhæret Alb. Ma. eadem diſtinctione, Bannes 1. de gener. art. 10. q. 8. art. 4. & alij.

Secundo. Ariſtoteles primo de anima dixit, quod capilli, & nerui proprie non ſentiunt, tamen nunquam dixit, quod non viuant, immo quod augentur per animam, Vna autem eſt anima in homine, quæ eſt intellectiua, ergo. Item lib. 3. de hiſt. animalium cap. 12. docet vngues ad tantam duriciem in quibuſdam deuenire, vt oſſibus aſſimilentur. Oſſa autem animari patet, apud Ariſtotelem Idem ſentit Galenus de notomica adminiſtratione, circa finem.

Ad primum dicendum, quod non ſunt eadem accidentia, ſed ſimillima, & in hoc ſenſus decipitur.

Argumenta ſoluuntur. Ad ſecundum negandum eſt, quod capilli ex anima creſcant in mortuo, ſed potius prouenit ex eo, quia caro extenuatur. Vel ſecundo dicendum, quod hoc prouenit a quadam alia forma elementari, priori ſuccedente, ſicut patet in auibus illis, quæ mortuæ quotannis plumas nouas emittunt.

Ad tertium dicendũ. Primo ad maiorem, quod nõ eſt vera reſpectu omnium, ſed ſolum reſpectu aliquorum, nec alius eſt ſenſus Ariſtotelis. Secundo dicitur, quod augentur ſecundum omnem dimenſionem, ſed ſuo modo, vnde aliqui habẽt capilli groſſiores alijs. Tertio dicitur, quod ſufficit, quod ſolum nutriantur. Hoc tamen nutrimentum impurum eſt, & non ita perfectum, ſicut illud nobiliorum partium, vnde ex hoc excrementum dicitur.

Ad quartum dicendum, quod maior eſt vera ſolum de illis, qui informantur anima ſenſitiua, non autem ſolum vegetatiua, ſicut capilli. Immo ſentimus dolorem in ſeparatione vnguium, & capillorum, quod indicat continuationem in corpore.

Ad quintum ſimiliter dicẽdũ, quod anima intellectiua requirit partes organicas, vt eſt ſenſitiua, non autem, vt vegetatiua.

Ad vltimũ concedo, quod in Chriſto erant vniti verbo: Ad probationẽ oppoſiti dicimus, quod verificatur de partibus præcipuis, anima ſcilicet, & corpore, & de his, quæ pertinebãt ad perfectionem eſſentialem, partes autem ignobiliores quandoq; deſeruit, vt capillos, vngues, & alias partes decedentes per nutritionem.

QVAESTIO XI.

An ſanguis, ac partes fluidæ informentur anima.

An ſanguis ſit animatus. Sed hic oritur altera quæſtio non diſſimulanda ſcilicet, An ſanguis, ac cæteræ partes fluidę in corpore informentur anima. Et quidem quod non, ſed quod ſanguis, & omnes humores vitales, & animales informentur propria forma, omni anima inferiori defendunt Scotus in 4. d. 10. q. 1. ar. 1. D. Bonauentura in 4. d. 44. art. 1. q. 1. ad ſecundum, Capreolus q. 2. art. 3. ad *Opiniones* quar-

quartum. Soto d. 10. q. 1. artic. 2. & alij plures, & probant.

Primo. Repugnat eaſdē partes diſcōtinuas informari eadē aīa. At ſanguis cū nulla parte corporis cōtinuatur. Ergo. Maior eſt nota. Minor eſt Ariſ. 3. de hiſtoria aīaliū c. 14. vbi docet ſanguinē eſſe diſpersū per oēs partes corporis, & in oībus, & ſingulis moueri. Stans aūt, & fluens nō poſſunt continuari, vt terra ſtans, & aqua fluens. Nec valet reſpōdere, quod & ſi nō cōtinuetur cū omnibus partibus, continuatur tamen cū eius fonte, ex quo ad omnes partes dimanat, ſcilicet cū corde, & iecore, quæ ſunt eius ſedes. Quia per Ariſt. lib. 2. de partibus animaliū cap. 3. ſanguis non eſt continuus carni, ſed in corde, & venis ſtat incluſus, quaſi in vaſculis.

Secundo. Ab anima nō recipit viuere, quia ſic ab intrinſeco augeret ſe. Ergo non eſt animatus.

Tertio. Sāguis eſt vltimū alimentū animalis per Ariſ. & cōuertitur per nutritionē in ſubſtātiā aliti. Sed cōuerſio ſubſtātialis fit per corruptionē prioris formę, ergo cum per nutritionē acquirat eſſe animatum, prius non habebat animam eum animantem.

Secūda opinio vero tenet ſanguinē aīa informari. Hæc cōformior doctr. S.D. cēſetur. Nā in 4. d. 44. q. 1. ar. 2. q. 2. & 3. ad tertiū docet animā informare oēs partes corporis, ſanguinēq. eſſe partē corporis aſſeuera^t, vnde verbū diuinū aſſumpſit ſanguinē, & humores vt pertinentes ad integritatē humanę naturæ, vt idem S.D. docet 3. p. q. 54. art. 1. & in reſurrectione ſecundū eūdē Angelicū Doctorē art. 2. reaſſumpſit totū ſanguinē in paſſione effuſum, quia pertinebat ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ. Hanc ſententiam ſequuntur Medina 3. p. q. 5. artic. 2. Conradus 1. 2. q. 54. Toletus lib. 2. de anima q. 4. & multi alij. Verum eſt tamē, quod Toletus iudicat animā non tribuere ſanguini gradū vitæ, ſed gradum corporis mixti, Caiet. quoq. 3. p. q. 4. art. 3. diſtinguit duplicē ſanguinē. Primū vocat imperfectū, quia nondū ad perfectā cōcoctionē peruenit, & ex hoc nutritur animal, vnde nutrimētalis nuncupari poteſt. Secundū nominat perfectum, quia perfecte concoctus eſt, & depuratus, & hūc tenet ſpectare ad veritatē, & integritatē humanæ naturæ, & a Chriſto in reſurrectione fuiſſe reaſsūptū, & ab omnibus corporibus in eorū reſurrectione reaſſumēdū, quoniā pertinet ad veritatē, & integritatem humanæ naturæ, non primū, quia tunc ceſſabit ratio nutrimenti in corporibus glorioſis.

Secundo ergo notandū venit ex D. Thoma animā vnam tantū eſſe in cōpoſito, formaliter, at multiplex dr̄ virtualiter, & eminēter, quia vna exiſtēs fungitur officio omniū animarum inferiorū, & cū multæ ſint partes in compoſito omnibus tribuit eſſe; ſed nō idē eſſe, nec viuere, ſed vnicuique parti ſecundū exigentiā ſuæ naturæ, vnde nō dicimus animam intellectiuā tribuere ſanguini intelligere, nec ſentire, propterea quod hæc ei non conueniūt, ſed bene aſſerimus ei dare, vegetare, augeri, & nutrire; qua propter dicimus ſanguinē informari anima, non vt intellectiua eſt, ſed vt vegetatiua dicitur. *Vna eſt anima in homine.*

Tertio loco ergo principali pono hanc concluſionem. Sanguis, & cęteri humores fluuidi in homine informātur anima, adeo vt animatā dici poſſint. Probatur primo ex ſacro Cōcilio Trident. ſeſſ. 13. c. 13. vbi docet ſanguinem Chriſti contineri in Sacramento Euchariſtiæ ſub ſpeciebus vini, ex vi verborum, ſub ſpeciebus vero panis per concomitantiā. Ex vi illius naturalis connexionis, ex concomitantia, qua partes Chriſti Domini inter ſe copulātur. Vocat ergo Cōcilium ſanguinem partem Chriſti, ergo informatam anima Chriſti, quia a forma fit denomi- *Sanguis eſt animatus.*

natio, Et ſi eſt pars cõnexa carni, & eã cõcomitans, ergo eadẽ anima informata, quia inter cõnexa ſubiectiue eſt ordo ad vnã animã, vel formã dantẽ eſſe.

Secũdo probatur ex Leuitico c. 17. vbi dicitur, Anima carnis in ſanguine eſt, & ego dedi illũ vobis, vt ſuper altare in eo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro animæ vinculo ſit. Nec valet dicere animã eſſe in ſanguine nõ formaliter, vt in animato, ſed dependenter, quia ab eo fouetur, & alitur, quia ſcriptura dicit animam in ſanguine eſſe, & non ab eo dependere. Hocque dilucide explicuit D. Auguſtinus in lib. quæſt. veteris & noui Teſtamẽti, vt refertur 32. q. 2. Can. Moyſes dicit .n. Anima certe quia ſpiritus eſt, in ſicco habitare non poteſt, ideo in ſanguine fertur habitare. Quantũ autem interſit inter dependere, & habitare nullus eſt qui hoc ignoret.

Tertio probatur ex Ariſt. Nã duo de ſanguine dicit. Primũ, quod ſit pars viuentis ſimilaris, lib. 3. de hiſtoria animaliũ, c. 2. in principio, & 2. libro de partibus animaliũ c. 3. in initio. At eadem eſt anima totius, & partiũ, niſi velimus ea diſtinguere, & duo exiſtentia facere, vnde non valet dicere Ariſt. ſẽſiſſe ſanguinẽ eſſe partẽ ſecundariam, quia hoc nihil officit propoſito noſtro, cũ oẽs partes ſint vnius totius partes, & per ordinẽ ad vnam formã, multiplicatis enim formis, & ſeparatis, neceſſe eſt multiplicare tota, cũ quælibet formaliſit apta nata facere hoc aliquid.

Secundũ dictũ Ariſt. clarius legitur lib. 3. de hiſtoria animaliũ c. 9. in his verbis. Quãdiu vita ſeruatur, ſanguis vnus animatur, & feruet. Nec conſonat Ariſ. dicere ſãguinẽ feruere, & moueri ab extrinſeco, ſicut aqua bullit calefacta ab igne, & argentũ viuũ currit motũ a ſuo põdere, qa expreſſe docet Ariſt. ſanguinẽ nõ ſolũ feruere, ſed & animatũ eſſe; animata aũt apud Ariſ. vbiq; ab aia mouẽtur ab intrinſeco, & ſi quandoque vno mediante alio.

Quarto probatur teſtimonio Medicorũ. Nã Galenus lib. 2. de tẽperamentis docet, adipem eſſe ſanguinẽ frigore cõcretũ, & ſecũdũ Ariſt. 2. lib. de partibus animaliũ, eſt ſãguis bene concoctus. At adipẽ viuere, & aia informari communis eſt ſententia Medicorum. Ergo ſanguis eſt animatus.

Quinto probatur rõnibus. Primo Anima eſt actus corporis totius, ergo, & partium, ex quibus totum eſt.

Secũdo. Nõ eodẽ modo anima dicitur eſſe actus corporis phyſici, organici, ſed ꝓ exigẽtia partiũ corporis, nõ. n. eodẽ modo cor informat, ſicut facit, oſſa, & neruos, igitur nihil faciet quod ſanguis nõ ſit præcipua pars corporis, ad hoc vt animatus dicatur.

Tertio. Verbũ æternũ ſanguinẽ aſſumpſit, ob neceſſitatẽ veritatis, & integritatis humanæ naturę in ſe, vt Fides Catholica docet. At humana natura dr̃ talis ꝑ unã formã. i. aiã intellectiuã, dicit̃. n. homo ab aia intellectiua. Ergo. Sed reſpõdẽt aduerſarij, ꝙ ex eo ꝙ forma ſãguinis nõ eſt forma pfecta, ſed imperfecta, & ad perfectã ordinata, ideo nõ denominat cõpoſitum &c. Sed hoc ſuper impugnatũ fuit, & impugnatur. Primo, quia ſic cõpoſitũ eſt vnũ ordine, & nõ ſimpliciter. Secũdo, quia quælibet forma anima inferior, ſi actuar per ſe, & ſeorsũ, ergo per ſe, & ſeorſum cõſtituit vnũ, & ſic in vno compoſito erunt plura per ſe, & in actu, & ſic erit aggregatum. Tertio. Quia pertinere ad veritatem, & integritatem naturæ, eſt non facere aliud per ſe, ſed cum alio.

Ad primum admittitur reſpõſio ibi data. Ad replicã dr̃, Ariſ. eſſe locutũ de præcipuis locis ſanguinis, nã ſanguinẽ eſſe cũ carne mixtũ patet experientia, quoniam ſi caro feriatur, ſine inciſione venæ, adhuc ſanguis fluit.

Ad ſecundum dicitur, quod ab intrinſeco ſe auget, virtute tamẽ animæ.

Ad

Ad tertium dicitur, quod prius viuebat vno gradu vitę, & deinde aliò, & hæc eſt corruptio perfectiua.

LECTIONES XVII. & XVIII. S. D. V.

Potentiarum autem animæ &c.

HOc eſt tertium capitulum, in quo Philoſophus agit de potentijs animæ: At nos in præſenti actu, & in ſubſequenti immorabimur in explicationem quintæ lectionis S. D. tria faciẽdo, Primo reducendo textum ad quędam puncta. Secũdo annotando aliqua circa dicta. Tertio, & vltimo dilucidando omnes difficultates occurrentes ex antedictis.

Potentia animæ q. buſdã omnibus inſunt & q. buſdã no.

Quoad primum. Primum punctũ elicitum ex textu eſt. Quod quibuſdam omnes potentiæ inſunt, quibuſdam vero ſolum aliquæ. Declarat autem quot ſint iſtæ potentiæ dicendo eas eſſe quinque: Vegetatiuum, ſenſitiuum, appetitiuum, ſecundum locũ motiuum, & intellectiuum. In plantis ponit ſolum gradum vegetatiuum. In animalibus tum perfectis, tum imperfectis quibus ineſt tactus, & ſenſatio ponit, etiam ſenſitiuum, & appetitiuũ, quod duabus rationibus probat. Prima. Quibus ineſt tactus, ineſt ẽt deſideriũ, dolor, ira, triſte, & dulce. Sed oĩbus animalibus ineſt tactus, Igitur & appetitus. Maiorem probat dupliciter. Primo, quia appetitus eſt duplex, ſcilicet ſequens voluntatem, & ſequẽs iraſcibilem, & concupiſcibilem. Secundo, quia dolor, triſtitia, lætitia &c. oriuntur ex tactu &c. Secunda ratio Quibus ineſt ſenſus alimenti, ineſt inſuper appetitus. Sed omnibus habẽtibus ſenſum tactus, ineſt ſenſus alimẽti, Igitur omnibus ineſt, & appetitus. Maiorem probat, Quia tactus verſatur circa calidum, & frigidum, humidum, & ſiccum, ſic & appetitus. Minorem probat, quia omnibus ineſt fames, & ſitis, fames autem eſt circa calida, & ſicca, ſitis circa frigida, & humida; Adiungit tamen ly per ſe, quia ſi id, quod in cibum ſumitur eſſet coloratum, nihil faceret per ſe ad alimentum, ſed ſolum per accidens. Inſuper adiungit, quod perfectis animalibus ineſt (vltra ſupradicta) etiam ſecundum locum motiuum, quibuſdã vero, & intellectiuum. i. hominibus.

Anima eſt veluti figura.

Secundum punctum conſiſtit in comparando animam figuræ. Primo, quia ſicut nõ datur vna communis figura præter omnes figuras, ſed figurę quodammodo ordinate ſe habent, ita nec inter animas datur aliqua ſeparatio communis, ſed hæc quodammodo, & ordinate omnibus animatis cõuenit. Secundo, quia ſicut vna figura aliam continet, ſicut tetragonum continet trigonum, ita etiam anima perfectior, imperfectiorem continet, vnde anima vegetatiua continetur in ſenſitiua, ſenſitiua, in intellectiua.

Appetitus triplex.

Quoad ſecundum principale. Primo notandum occurrit circa primam rationem, qua Philoſophus conabatur probare, quod quibus ineſt ſenſitiuum, inſit etiam appetitiuum, quod appetitus pro nunc triplex eſt. Naturalis, animalis, & intellectualis. Naturalis eſt ille, qui ſequitur inclinationem naturæ, ſicut naturaliter cernimus omne graue deorſum tendere, & leue ſurſum. Appetitus animalis eſt ille, qui ſequitur cognitionem ſenſitiuam. Intellectualis vero eſt ille, qui ſequitur cognitionem intellectus. Multæ autem reperiũtur differentiæ inter hos appetitus. Primo differunt in ſeipſis, quia appetitus naturalis nõ eſt aliqua operatio diſtincta a natura operãtis, lapis enim verbi gratia ſua natura deorſum tendit, at animalis ita, nam animal niſi aliquo ſuperueniente dirigitur in finem. Secundo differunt in ſua cauſa, quia naturalis ſequitur naturam, animalis apprehenſionem. Tertio in obiecto, quia naturalis tendit

dit in incognitum, animalis in cognitum. Quarto in fine; quia animalis ordinatur ad bonum totius, naturalis ſolum ad bonum partis. Quinto in ſubiecto, quia animalis ſequitur ſolũ animal, naturalis quamcunque naturam, etiam ſenſitiuam, & intellectiuam.

Doloris cauſa. Secundo animaduertendum circa eandem rationem, quod cauſa doloris duplex eſt .ſ. diſcontinuatio continui, & repugnantia contrarij, ſed vnum naſcitur ex altero, nam non niſi ex contrario continuũ diſcontinuatur. i. mutatur de ſuo ordine, ſiue illa diſcontinuatio oriatur a contractione, vel a relaxatione v. g. calor ignis diſcontinuat temperiem, & eſſe hominis, ideo naſcitur dolor.

Fames, et ſitis. Tertio notandum circa id, quod dicebatur in ſecunda ratione, quod fames eſt circa calidum, & ſiccum, ſitis vero circa frigidum, & humidum, q̃ hæc verba dupliciter poſſunt intelligi, Primo præciſe, & hoc eſt falſum, quia fames eſt etiam circa humida, & frigida. Secundo præcipue, & hoc verũ eſt, fames enim oritur, quia natura indiget cibo, ad hoc, vt continue eius defectus reparentur, & ne deficiat. Hoc autem fit ex duplici cauſa, Prima ex cibo, Secunda ex concoctione cibi in ſtomaco, Conquoquitur enim a calore naturali cibus, calefaciendo, & exſiccando, vnde ex hoc calore ſtomaci oritur ſitis, quæ verſatur circa frigida, nam potus contemperat quatenus frigidus, calorem, & quatenus humidus, ſiccitatem, inde prouenit, quod cibus, qui non poterat ita commode diffundi per arctas vias, diffundatur.

Notandum. Quarto ſunt notanda illa verba, contra tenentes pluralitatem formarum in cõpoſito, quod perfectior forma virtualiter includit minus perfectam, ſicut tetragonum trigonum, de qua re in ſuperioribus ad longum diſſeruimus. Addo tamen, quod hęc cõtinentia naturalis, poteſt etiam dici formalis, ſed eminens, & altioris ordinis, quia altior forma v. g. anima intellectiua formaliter dat vegetare, & & ſentire, ſed non vt præciſe ſenſitiua, & vegetatiua. Et hoc eſt quod docet Caietanus hic, & p. p. q. 75. art. 4. cum S. Doctore quæſt. 76. ar. 4. vnde hæc continentia vocatur virtualis, formalis, ſed eminens, & cauſalis, & ſic dicitur anima intellectiua continere corporeum, non vt quod corporeum, ſed vt quo, dans eſſe corporeum.

QVÆSTIO XII.

Vtrum quinque ſint genera potentiarum Animæ.

QVoad tertium quæritur, Vtrum ſint quinque genera potentiarũ animæ, & videtur quod non, Nam anima intellectiua accedit ad ſimilitudinem Dei. Sed in Deo tantum vna eſt potentia. Ergo.

Secundo. Virtus ſuperior, quanto magis ſuperior eſt, eo magis eſt vnita, Sed anima intellectiua ſuperior eſt, Igitur debet habere potentias in pluribus diuiſas vnite, & conſequenter non plures.

Tertio. Vnum eſſe eſt in homine. Igitur vna potentia, & operatio, quia operatio ſequitur eſſe.

Quarto. Potentiæ vocantur partes Animæ, Sed partes animæ ſolum tres ſunt, ſcilicet vegetatiuum, ſenſitiuum, & intellectiuum, Igitur non erunt quinque potentiæ.

Quinto. Potentiæ animæ ſunt principia operum vitæ, Sed quatuor modis aliquis dicitur viuere, ex hoc ſecũdo, Igitur.

Sexto. Quod eſt omnibus commune, non debet dici determinatum genus, Sed appetitiuum eſt omnibus commune, quia viſus appetit videre, auditus audire. Ergo.

Sep-

Septimo. Principium mouens, vel eſt ſenſus, vel intellectus, vel appetitus, igitur motiuum ſecundum locũ non debet poni ſpeciale genus Animæ.

Octauo. Aut iſta diuiſio eſt in ſpecies ſpecialiſſimas, aut in ſubalternas; Non ſecundum, quia intellectus eſt ſpecies ſpecialiſſima. Non primum, quia ſenſus diuiditur in duas ſpecies, ſcilicet in ſenſum interiorem, & exteriorem, & vegetatiuum, in nutritiuũ, & augmentatiuum. Ergo.

Nono. Proprietates non multiplicantur, niſi multiplicetur eſſentia, Tres tantum ſunt animæ, Igitur tres potentiæ, cum ſint proprietates.

Decimo. In plantis eſt proprius appetitus, & tamen talis non eſt connumeratus inter potentias animę, Igitur, nec alius quiſquam.

Vndecimo. Memoratiuum, greſſiuum ſunt genera animæ, cum quædam gradiantur, & quædam non, igitur mancus Ariſtoteles.

Duodecimo. Loco motiuum non diſtinguitur ab appetitiuo, ſecundum Sanctum Doctorem, 1. p. q. 75. ar. 3. Igitur non ſunt diuerſa genera potentiarum animæ.

Decimotertio. Quanto eſſentiæ ſunt ſu pperiores, tanto habent totalitatem magis vnitam; Sed anima rationalis ſuperior eſt, Igitur non debet habere tot potentias.

Decimoquarto. Quæ ſunt vnius generis, non diſtinguũtur tanquam diuerſa genera. At omnes animæ ſunt de genere ſubſtantiæ. Igitur.

Decimoquinto. S. Tho. in q. de Veritate. q. 22. art. 10. ait, quód quãdo differentiæ eſſentiales obiectorum diuidunt aliquod ſpeciale obiectum animæ, diuerſificant quidem potẽtias, ſed non genera potentiarum; Sed apprehenſibile diuiditur per intellectiuum, & ſenſitiuum, Igitur non erunt duo genera.

In contrarium eſt Philoſophus in textu.

Pro explicatione quæſtionis. Primo ponemus neceſſaria fundamenta. Secundo concluſiones. Tertio reſponſiones argumentorum.

Quoad primum ſciendum eſt primo, quod potentiæ animæ quodammodo ſunt actiuæ, & quodammodo ſunt paſsiuæ. Patiũtur quidem in ordine ad obiectum, quod in ipſas agit, mouendo eas. Agunt vero, & dicuntur actiuę in ordine ad proprias operationes, quia ſunt alicuius operationis productiuæ, ideo eadem potentia actiua, & paſsiua dicitur ſecũdum diuerſas rationes, quatenus autem paſſiua, eſt trahit ſpeciem ab obiecto, vt viſus trahit ſpeciem a viſibili, quatenus vero eſt actiua, denominatur a principio, & obiecto, magis tamen a principio, ſicut apparet in calefacere, & infrigidare. Hinc S. Tho. conſiderans potentias, quatenus ſunt actiuæ eas diſtinxit per operationes, & quatenus paſſiuæ per diuerſa obiecta. *Potentiæ vt paſſiuæ diſtinguũtur per obiecta vt actiuæ per principia.*

Secundo notandum, quod operationes diſtinguantur ſecundum eſſe viuentium, hoc poſſe dupliciter intelligi. Primo ſecundum eſſe exiſtentię viuentium .i. ſecundum eſſe actuale in actu, in rerũ natura vt eſſe hominis exiſtentiæ, eſt eſſe in rerum natura. Secundo ſecundum eſſe eſſentiæ, ideſt ſecundum eſſe quidditatiuum, & vt ſiſtamus in exemplo iam dato, eſſe hominis quidditatiuum, eſt eſſe animal rationale. Operationes non diſtinguũtur ſecũdum eſſe exiſtentię viuentiũ, ſed ſecundum eſſe eſſentiæ, ideſt in ordine ad formam, quia dicuntur eſſe diſtinctæ in ſua radice, quia talis forma, talem producere poteſt actionem, & ſi non produxerit. *Operationes diſtinguuntur ſecundum eſſe eſſentiæ.*

Tertio notandum, quod eſſe eſſentiæ dupliciter conſiderari poteſt. Primo in ordine ad ſubiectũ, in quo eſt, & ſic forma eſt perfecta abſque operatio- *In ordine ad terminum.*

tione,cũ forma ſubſtantialis non mẽdicet ſuam perfectionem ab accidente. Secundo,in ordine ad terminũ,& ad operationem conſequentem ſubiectum. Primo modo conſideratum ponit tria genera animarum, quia ſic sũt tres eſſentiæ, ideſt tres animæ. Secũdo modo, ſic conſtituit quinque potentias, quia ad animam ſenſitiuam ſequitur appetitus, & in perfectis animalibus motus, etiã propiius localis.

Vita, & viuere diſtinguuntur. Quarto notandum tamẽ, quod vita, & viuere poſſunt bifariam ſumi. Primo,vt ſe habeant ſicut eſſentia, & eſſe, vt vita ſit eſſentia, viuere eſſe. Secundo,vt ſe habeant,ſicut concretum, & abſtractum, vt vita ſit abſtractum, & viuere concretum, & hoc ſecundo modo non diſtinguũtur niſi ſecundũ modum ſignificandi, & pertinent ad idem prædicamentum. Primo modo diſtinguũtur realiter. Aduertendum tamen,quod viuere quandoque ſumitur pro actuali operatione, & ſic eſt accidens, & reſpicit potentiam, quæ & ipſa accidens eſt, & ſic dicimus, ꝙ duplex eſt vita,ſcilicet actiua, & comtemplatiua. Secundo pro eſſe vltimo rei, quod dicitur vltima actualitas rei, quæ neque eſt ſubſtantia, neque accidens, ſed quo ſubſtantia, & accidens exiſtunt, & vltima eorum actualitas.

Concluſiones. Quoad ſecundum principale, prima concluſio eſt: Tria ſunt genera animarum,vegetatiuum, ſenſitiuum, & intellectiuum. Probatur ex operationibus. Quot ſunt operationes excedentes naturam corporalem,tot sũt animæ, Tres ſunt operationes tales. Ergo tres animæ. Maior patet, quia natura corporalis ſolum mouetur ab extrinſeco.ſ. a generante, & nõ ab intrinſeco.ſ. ab aliqua anima. Minor probatur; Nam operatio animæ vegetabilis ab intrinſeco fit per qualitates ſenſibiles .ſ. per calidum, frigidum, humidum, & ſiccum; Sẽſus vero,quia accipit ſpecies ſine materia, ſed non ſine conditionibus materiæ, vt patet in viſu, ideo ex hoc oritur ſecundum genus, ſcilicet Animæ ſenſitiuę, quę eſt principium cognitionis imperfectæ .ſ. ſenſitiuæ. Alia autem eſt operatio ſine materia, & ſine conditionibus materiæ, & hæc arguit tertium genus, Animæ .ſ. intellectiuę. Caue autem hic ne teneas tria eſſe genera animarum, ſub ſe habentium plures ſpecies animarum. (Anima enim intellectiua ſpecies eſt atoma) vnde per genera intellige tres vniuerſales rationes operandi animarum.

Secunda concluſio: Modi viuendi ſunt quatuor. Probatur, quia quatuor ſunt gradus viuentium. Quædã enim viuunt ſolum per animam vegetatiuam, ſicut plantæ. Quædam vltra hoc includunt ſenſum, ſicut animalia omnia. Quædam cum hoc habent vlterius motum localem perfectum, vt animalia perfecta. Quædam vero vltra habent intellectum, vt homines. Appetitiuum autem non cõſtituit ſpecialem gradum, quia omne ſenſitiuũ eſt appetitiuum.

Tertia concluſio. Quinque ſunt genera potentiarum. Vegetatiuum, ſenſitiuum, appetitiuum, ſecundum locum motiuum, & intellectiuum. Probatur: Quia animata habentia ſenſum, habent, & appetitiuũ, vel intellectiuum, ſicut homines, vel ſenſitiuum, ſicut bruta, qui diuiditur in iraſcibilem, & in concupiſcibilem, Iraſcibilis verſatur circa fugienda, & repellẽda,concupiſcibilis circa proſequenda. Senſitiuum autem diſtinguitur in modo operãdi ab appetitiuo quia cum ſenſus ſit potentia cognoſcitiua, ad ſe trahit obiectum, appetitus vero in rem ipſam inclinatur, & ab ea trahitur.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum argumentum dicitur ad maiorem, quod duplex eſt ſimilitudo, ſcilicet perfecta, quæ attenditur penes eandem perfectionem in poten-

tentia, vel in eſſe, & hanc negamus in creatura reſpectu Dei; Alia eſt imperfecta, quæ attenditur penes aliquam rationem communem, & analogam, & ſic creatura rationalis eſt Deo ſimilis, quia participat beatitudinem, irrationalis nequaquam.

Ad ſecundum reſpõdemus ad maiorem, quod valet cæteris paribus, & quando multiplicatio non dicit perfectionem; Modo habere quinque potentias, perfectionem importat. Secundo reſpondetur, quod valet de modo, non de re, ideſt virtus ſuperior maiori vi, & vnione agit, inferior vero cum maiori debilitate, et difformitate.

Ad tertium negatur ſequela de operatione, & potentia inadæquatę, ſicut ſunt iſtę quinque, ſecus tamen de adęquata.

Ad quartum reſpondetur ad maiorem, quod partes animę, quædam sũt poteſtatiuæ, & hæ ſunt quinque, quędam ſubiectiuæ, & hæ ſolum tres, ſcilicet tres animæ.

Ad quintum dicendum ad minorẽ, quod viuere quandoque ſumitur pro eſſe, & ſic ſolum quatuor modis aliqua dicuntur viuere, quia ſolum ſunt, quatuor gradus viuentium. Quandoque vero ſumitur pro operatione vitæ, & ſic quinque modis dicitur, prout quinque ſunt potentiæ operatiuæ. Dũ autem Caietanus hic, & Aegydius docent quatuor eſſe genera animarum, quia quatuor ſunt gradus animatorum, ſeu viuentium. Intelligas hoc eſſe verum, prout gradus viuentium eſſentialiter conſiderantur, non vero ſubiectiue .i. vt ſunt in animatis, nam quædam ſunt ſenſitiua, ſed non loco motiua.

Ad ſextum reſpondetur ad minorẽ, quod valet de appetitu naturali, nos loquimur de appetitu ſequente apprehenſionem.

Ad ſeptimum reſpondendum eſt, ad antecedens, quod duplex eſt principium motiuum; Quoddam imperans motum, & hoc eſt, vel ſenſus, vel voluntas, Aliud eſt exequens motum, & hoc eſt diffuſum per corpus, per neruos, venas &c. & de hoc modo loquimur.

Ad octauum dicendum, quod eſt diuiſio in ſpecies ſubalternas, nam & intellectiuum continet ſub ſe intellectum agentem, & poſſibilem. In animas vero diximus eſſe p rationes vniuerſales, non per genera.

Ad nonum negatur maior, vel ſecundo dicendum, quod multiplicari ſtat dupliciter. Primo quoad radicem ſeu radicaliter, & ſic tot ſunt operationes, quot animæ. Secundo formaliter, & ſic, quia plura poſſunt eſſe obiecta formalia eiuſdem animæ, ita etiã poſſunt eſſe plures operationes, ſicut contingit in propoſito, ſicut ſuperius monſtratum eſt. Scias autem hic, ꝙ Stoici negauerunt plantas habere animam (apud Galenum lib. naturaliũ facultatum) quia carent appetitu. Ita Plato in Thimeo poſuit eas ſentire, quoniam diſtinguunt ſuccos vtiles, ab inutilibus. Dixit tamen eas ſentire non ſenſu vigilanti, ſed obtuſo. Ita Pitagorei vlterius illis dederunt intellectum, quia ſectæ lachrymas fundũt. Sed hæc friuola ſunt, quoniam ſi plãtæ creſcunt, & ab intrinſeco nutriuntur. Ergo viuunt. Et ſi punctæ non ſe contrahunt. Ergo non ſentiunt. Et ſi nec dormiunt, nec vigilant, nec proprias lachrymas fundunt, ſed tantum quoddam humidum emittunt. Ergo non habent animam intellectiuam. Vide Diuum Auguſtinum lib. de Quantitate Animæ cap. 35. & de Hæreſibus, hæreſi 46.

Ad decimum dicendum, quod appetitus plantæ eſt appetitus naturalis, quia eſt per qualitates non excedẽtes materiam, vt ſuperius diximus.

Ad vndecimum dicendum, quod memoratiuum continetur ſub ſenſitiuo,

uo, quia memoria eſt potentia ſenſitiua, & obiectum eius eſt ſenſibile, greſſiuum vero ſub motiuo ſecundum locum, quia motum localem reſpicit.

Ad duodecimum reſpondebimus per particularem quæſtionem, ſufficit tamen pro nunc dicere, quod appetitiuum diſtinguitur a loco motiuum, ſicut imperans motum, ab exequente motū, nec aliud dicit S. D. niſi, quod ſunt idem radicaliter.

Ad decimumtertium. Primo reſpondetur, ſicut ad tertium. Secundo quod maior valet reſpectu eiuſdem obiecti, non tamen reſpectu diuerſorum, & quia homo eſt horizon inter naturam ſenſitiuam, & pure intellectiuam, ideo ambit potentias, & illius, & iſtius naturæ.

Ad decimumquartum dicendum, quod vocantur diuerſa genera ſubalterna, non generaliſſima, nec tamen anima directe eſt in genere prædicamentali, reductiue equidem, & ſi dicat coordinationem propriarum potentiarum, & differentiarum &c.

Ad vltimum dicendum, quod ibi S. D. loquebatur de obiecto ſecundario potentiarum, nos de primario loquimur.

LECTIO XIX.

S. Doctoris VI.

IN præſenti lectione primo videbīmus literā: Secūdo aliqua circa ipsā annotabimus. Tertio tractabimus quomodo potentiæ diſtinguātur per actus, actus vero per obiecta.

Intentio Philoſ. in tex. 32. Quoad primum Philoſophus propoſita ſua intentione, quod in ſingulari quęrēdū, vent quid ſit anima cuiuſcūq; gradus viuentiū, i. quę ſit aīa plāte, beſtiæ, & hominis, in tex. 32. ponit ordinem animarum, & potentiarum inter ſe, & dicit, quod vegetatiuum poteſt exiſtere ſine ſenſitiuo, ſenſitiuum vero ſine vegetatiuo nequaquā. Plantæ enim habent motum augmēti, non tamen habent ſenſum, animalia vero habent vtrumque, & vegetatiuum, & ſenſitiuum, & appetitiuū, quia ſenſus tactus ſine alijs poteſt eſſe, alij vero ſine eo conſiſtere nequeunt, nam talpæ non habent viſum, tamen habent tactum, perfecta autem animalia habēt motum localem, imperfecta vero minime, homines vero habent intellectiuū, & hic gradus includit vegetatiuum, & ſenſitiuum in mortalibus. Dixit in mortalibus, quia ſi corpora cęleſtia eſſent animata, ſicut Angeli ſunt intellectuales, non tamen includerent vegetatiuum.

In tex. autem 33. aſſignat ordinem procedendi, dicendo, Quod primo oportet quęrere quid vnumquodque horum ſit, poſtea quæ hæc conſequūtur inueſtigare, & quod dicendum eſt prius de actibus, quia potentiæ diſtinguuntur per actus, & obiecta, vt videbimus. *Et 33.*

Quoad ſecundum. Primo notandū eſt, quod vegetatiuum eſt prius ſenſitiuo, & intellectiuo via generationis, econuerſo vero via perfectionis. *Vegetatiuum eſt prius generatione.*

Secundo. Quod tactus reperitur in omnibus animalibus, quia eſt fundamentum cæterorum ſenſuum, non tamen alij ſenſus particulares, quia potius conſequuntur naturam, & perfectionem rei. *Tactus eſt in omnib. animalib*

QVAESTIO XIII.

Vtrum potentiæ diſtinguantur per actus, & actus per obiecta.

QVoad tertium quæritur, vtrum potentiæ diſtinguantur per actus, & actus per obiecta, & videtur quod non. Primo. Nihil determinatur ad ſpeciem per poſterius, & extrinſecum; Sed potentia prior eſt actu, & obiectum eſt quoddam extrinſecū, ex-

Ergo per hæc potentiæ non diſtinguuntur.

Secundo. Vna eadem potentia eſt contrariorum, ſcilicet vnius albi, & nigri, ſ. viſus albi, & nigri, ergo non diſtinguuntur per obiecta, quia contraria ſunt illa, quæ maxime differunt & diſtant obiecto.

Tertio. Si diſtinctio proueniret ab obiectis, ſequeretur quod idem non poſſet pertinere ad diuerſas potentias, quod eſt falſum, nam idem eſt quod appetitiua appetit, & cognoſcitiua cognoſcit, & idem obiectum reſpiciūt intellectus, & voluntas.

Quarto. Quod per ſe eſt cauſa alicuius, ſemper cauſat illud, Sed nos videmus quod ſenſus cōmunis reſpicit, audibile, & viſibile, quæ ſunt obiecta viſus, & auditus, igitur ſicut non diſtinguuntur reſpectu ſenſus communis, ita nec etiam reſpectu particularis potentiæ.

Quinto. Si diſtinguerentur per actus, remotis actibus non eſſent diſtinctæ, quia remotis principijs diſtinctiuis nulla eſt diſtinctio, At hoc falſum eſt, quia in homine dormiente diſtinguitur auditus a viſu, &c. igitur &c.

Sexto. Maior eſt diſtinctio inter cœlum, & hominem, quam inter viſibile, & audibile, Priora non diſtinguunt potentiam viſiuam vt patet, quia ambo ſunt colorata, & obijciuntur viſui, igitur nec cætera.

Septimo. Ens reale non cauſatur ab ente rationis. Sed diſtinctio potentiæ eſt ens reale, obiectum vero, ſeu ratio obiecti rationis, ergo.

Octauo. Dato quod adhuc non eſſent diuerſ[illegible] obiecta in rebus, potentiæ [illegible]nguerentur, quia viſus non eſſet auditus &c. ergo &c.

Nono. Sic ſequeretur quod potentia viſiua equi, & hominis non diſtinguerentur ſecundum ſpeciem, quia verſantur circa idem obiectum.

Decimo. Vnumquodq; diſtinguitur ex differentia propriæ ſuæ naturæ, ergo non per obiectum. Probatur antecedens, quia vnumquodq; diſtinguitur per quod conſtituitur.

Primo igitur notandum pro explicatione huius quæſtionis, quod ſenſus quæſiti poteſt eſſe multiplex. Primus, quod obiectum, & actus diſtinguant potentias intrinſece, & formaliter, & hoc falſum eſt, quia obiectum quoddam extrinſecū eſt. *Potentiæ diſtinguūtur per ordinem ad actus, & obiecta.* Secundus a poſteriori, & quaſi per ſigna, ita vt debeant oſtendere potius, quam facere diſtinctionem, & hic etiam falſus eſt, quãuis a pluribus hic ſēſus receptus, quia potentia diffinitur per actum tãquam per cauſam, igitur a priori. Secundo, quia actus eſt finis potentiæ, igitur erit eius cauſa finalis. Tertius, ꝙ hęc diſtinguantur potentiæ, tãquam per cauſas extrinſecas, ſicut dicimus quod homo differt a leone, quia homo eſt ab homine, leo vero a leone, nec hic ſenſus bonus eſt, quia ſic non poteſt bene explicari natura potentiarum includentium aliquod intrinſecum. Quartus, quod diſtinguantur per habitudines quas apud ſe habent per ordinem ad actus, & obiecta, & hic ſenſus bonus eſt.

Secundo annotandum eſt, quod q̄dam res ſunt abſolutę, quæ per ſe, & ſeorſum abſque alio ordine poſſunt eſſe, ſicut ſunt omnes eſſentiæ, quæ ab aliquo extrinſeco non dependent. *Quia ſunt res dicentes reſpectus.* Quædam vero ſunt, quæ ordinem, & diſtinctionem ſibi vendicant in ordine ad aliud, ſicut ſunt potentiæ quæ ordinem dicunt ad ſuas operationes, ſeu actus, actus vero ad obiecta.

Tertio annotandum eſt, quod de diſtinctione potentiarum poſſumus loqui dupliciter. *Formales* Primo de numerali, & ſic potentiæ diſtinguuntur per ſubiecta in quibus ſunt, verbi gratia, potentia viſus eſt in oculo, auditus in auribus, &c. Secundo de diſtinctione

formali, & ſic dicendum eſt, quod potentiæ diſtinguuntur per actus, & obiecta, quia potentiæ habent ſpeciem ab obiectis, vt viſus a viſibili, auditus ab audibili. Ita ſentit S. D. p.p. quæ. 77. art. 3. & cum eo ibidem Caiet. & Bannes, & fere omnes recentiores, cõtra Scotum in 2. di. 16. q. vnica, tenẽtem potentias ſecundum ſe diſtingui per proprias differentias, reſpectu vero noſtri per actus, & obiecta.

Extrinſece. Quarto annotandum eſt, quod duplex eſt forma. Quædam intrinſeca, quæ dat eſſe ſpecificũ, & diſtinctionẽ ab intrinſeco, & denominat ſubiectũ intrinſece. Quædam vero dicitur extrinſeca, quia potentia ei comparata habet quod dicatur talis, v. g. viſus dicitur in quantum reſpicit viſibile, & auditus audibile, quo pacto potentiæ hoc ſecundo modo perficiuntur, ac denominantur ex obiectis. Patet .n. quod viſibile eſt extrinſecum ab ipſo viſu, & tamen viſum denominat, ac perficit.

Ab extrinſeco. Quinto notandum tamen, quod dare eſſe &c. ſtat dupliciter. Primo effectiue, & ſic potentiæ, ſicut, & ſubiectum habent eſſe a generante. Secundo formaliter, & hæc diſtinctio poteſt oriri a forma intrinſeca intrinſece, ab extrinſeca extrinſece.

Dãdo ſpeciem. Sexto annotandum eſt, quod aliud eſt eſſe differẽtiam, & ſpeciem, Aliud dare differentiam, & ſpeciem, Ad primum quidem neceſſarium eſt quod illud tale ſit intrinſecum, & det eſſe intrinſecum formale, nec diſtinguatur vt res ſeorſum exiſtens a re cui dat eſſe &c. nam rationale eſt intrinſecũ homini, & ideo dat eſſe intrinſecum, nec diſtinguitur realiter ab homine Ad ſecundum vero ſufficit quod concurrat vt forma, etſi habeat rationem extrinſeci, & denominatiui extrinſeci.

Et diſtinctionem formalẽ. Septimo notandum eſt, quod obiectum duplex eſt, Quoddã materiale, verbi gratia obiectum materiale viſus ſunt res viſibiles, cœlum, terra, lapis, homo, & cætera omnia viſibilia, vnde obiectum materiale eſt res viſa, vel viſibilis: Quoddam formale, & hoc eſt ratio per quam obiectum materiale videtur, vt coloratũ eſt ratio ſub qua videntur cœlum, terra &c. quatenus ſunt colorata. Quare dum dicimus quod potẽtiæ diſtinguũtur per actus, & actus per obiecta, non de materialibus loquimur, quia ſic vna potentia poteſt reſpicere diuerſa obiecta diſtincta genere, ſed ſermo eſt de diſtinctione formali obiectorum, non quidem inadæquatorum, ſed adæquatorum, vt eſt coloratum, vt ſic ſumptum, potentiæ viſiuæ. Vnitas ergo, & diſtinctio potentiarum deſumenda eſt a modo quem habet obiectum adæquatum, immutandi potentiam. *Obiectis.*

Conſiderando actus vt fines potentiarum. Octauo annotandum eſt, quod actus potentiarum, ideſt eius operationes dupliciter conſiderari poſſunt. Primo quoad actum, & eſſe actuale, & ſic potentiæ dicuntur cauſæ harum operationum, & operationes dicuntur effectus, quia procedunt ab ipſis potentijs tanquam a cauſis, Secundo quoad intentionem, & ſic e conuerſo operationes induunt rationem cauſæ finalis, & potentiæ rerum habentium ordinem ad finem, quia potentiæ fiũt propter actus, & operationes.

Et vt ſibi hunc reſpectũ vẽdicant fundamentaliter. Nono annotandum eſt, quod potentiæ bifariam conſiderari poſſunt. Primo ut ab anima procedunt, & ſic ſi anima ſe ipſam cognoſceret per eſſentiam ſuam, cognoſceret prius ſeipſam ut productiuam harum potentiarum, quam ex obiectis, & actibus deueniſſet in cognitionem ſui. Secundo ut procedunt ab anima, cum hoc tamen, quod ordinem habeant ad actus, & obiecta, & ſic eſſet impoſſibile, quod anima non ſe intelligeret habere ordinem ad obiecta, & actus. Et per hoc aliqui ſoluunt difficultatem emergentem ex dictis S.D. ſuper tex. 33.

33. quo in loco ait, quod ſi anima cognoſceret ſeipſam, non ſe cognoſceret per actus, & obiecta, ſed quia nō cognoſcit ſe niſi reflexe, ideo ex obiectis deuenit in cognitionem actuum, & per cognitionem actuum, obiectorum, ex quibus uidetur uelle deducere, quod hic ordo ſit ex imperfectione noſtri intellectus, & non ex ordine naturæ. Tunc dicunt quod S. D. loquebatur de anima, ut producit potētias, non quatenus anima per potentias habet ordinē ad aliquod extrinſecum. Sed putarem melius eſse dicere, quod anima duobus modis conſiderari poteſt. Primo vt anima eſt, & ſic ſi ſeipſam cognoſceret per ſeipſam, prius ſeipſam, quam actus perciperet. Secundo vt idem cum potentijs, vel vt potētia, & ſic eſſet impoſſibile, quod anima vt potentia non cognoſceret ſe habere ordinem ad actum, quia talis eſt eius natura, vt potentia dicat ordinem ad actum, & obiectum.

Inſeparabiliter. Decimo animaduertendum eſt, quod in potentia duo ſunt attendenda, ſcilicet eſſe potentiæ, & ordo ad propriū actum, qui ordo tranſcendentalis eſt, hic tamen ordo idem eſt cum potentia, vnde fundamentaliter potentia dicit ordinem ad actum, & hic ordo inſeparabilis eſt.

Concluſio probatur. Quoad ſecundum concluſio eſt. Potentiæ diſtinguuntur per actus, & actus per obiecta. Probatur. Potentia ſecundum id quod eſt, ordinem dicit ad actum, & actus ad obiectum. Igitur diſtinguuntur potentię ex actibus, & actus ex obiectis: Conſequentia nota eſt, quia eadem ſunt principia eſſendi, & diſtinguendi. Antecedens probatur, quia potētia dicit ordinem ad actum, quamuis hic ordo non ſit de genere relationis, ſed tranſcendētalis. Confirmatur ex Ariſt. hic tex. 33. vbi dicit, quod cognitio potentiarum deſumenda eſt ex actibus earum, qui eis ſunt priores, Ergo a priori per eos diſtinguuntur, & cognoſcuntur.

Argumēta ſoluuntur. Ad primum argumentum reſpondetur ad minorem, quod potentia eſt prior in eſſe, actus vero & obiectum in intentione, & ſecundum rationem cauſæ finalis, quæ dat eſſe, & diſtinctionem ab extrinſeco. Secundo falſa eſt maior, quando prius ordinatur ad poſterius vt ad ſuum finem, ſicut patet in iſtis.

Ad ſecundum dicendum, quod potentia non reſpicit vnum contrariorū quatenus contrarium eſt, ſed quatenus contraria conueniunt in vna communi ratione obiecti, ſicut album, & nigrum conueniunt in viſibili.

Ad tertium dicitur, quod idem obiectum materiale poteſt reſpici a diuerſis potentijs, non tamen formale, & ſub eadem ratione, ſicut vidimus ad longum in ſuis locis.

Ad quartum dicendum ad maiorem, quod vera eſt de his, quæ aliquid cauſant ſecundum vnam rationem; modo dico ad minorem, quod obiectum ſenſus communis vniuerſalius eſt, ideo reſpicit etiam ipſum ſub vniuerſaliori ratione, de quo in tertio.

Ad quintum dicendum, quod potentiæ non diſtinguuntur per actus exiſtentes, ita vt potentiæ non dicantur diſtinctæ niſi dum reſpiciunt ſuos actus in actu, ſed quia ordinantur ad ſuos actus tanquam ad finem. Secūdo dicitur, quod potentiæ tunc fundamētaliter reſpiciunt ſuos actus, & hoc ſufficit, etſi non formaliter in actu.

Ad ſextum dicendum eſt, quod duplex eſt diſtinctio. Vna in eſſe, & ſic conceditur maior, quod .ſ. maior eſt diſtinctio inter cœlum, & terram, quam inter audibile, & viſibile. Altera vero in ratione obiecti, & ſic maior eſt diſtinctio inter audibile, & viſibile, quia cælum, & terra poſſunt conuenire in vna formali ratione colorati.

Ad ſeptimum negatur minor, nam ra-

ratio obiecti eſt ens reale, formale, & illa ratio realis eſt.

Ad octauum dictum eſt, quod diſtinguuntur fundamentaliter, non autem formaliter, & complete.

Ad nonum dicendum, quod illæ potentiæ dupliciter conſiderari poſſunt. Primo vt ſunt proprietates naturales emanantes a diuerſis eſſentijs, & ſic diſtinguuntur. Secundo vt potentiæ ſunt, & vnum obiectum reſpiciũt, & ſic cum vtraque vnum formale obiectũ reſpiciat, idem erit ſpecie, nõ numero, ſicut malleus aureus, & ferreus diſtinguuntur ſecundum naturã, non tamen vt inſtrumenta ſunt artificis. Alij Thomiſtæ tamen dicunt, quod illæ potentiæ idem ſunt quoad proprietates naturales, quia dimanant a genere, & non a ſpecie, videre enim non cõuenit homini, vt homo eſt, ſed vt animal habens virtutem viſiuam, in genere autem omnes potentię idẽtitatem habent; Tutior tamen eſt prima reſponſio, quæ eſt Caietani hic, & p.p. q.77. artic. 1. quia non ſolum conſiderandũ eſt videre vt ſic, ſed prout huius eſt, at prout huius eſt phyſice, ſibi vẽdicat diſtinctã materiã, & diſtinctã accidẽtia, vnde cum diuerſa ſit aĩa hõs, ab aĩa leonis, ideo ẽt potẽtiæ q̃ ex his diuerſis eſſẽtijs fluũt erũt diuerſę, cõſideradō. V.g. videre vt eſt huius videre, & non vt eſt videre, vt ſic.

Ad decimum dicimus ad probationem anteced. quod vnumquodq. diſtinguitur per id, per quod conſtituitur, vel intrinſece, vel extrinſece, per differentiam autem intrinſece in eſſe abſoluto conſtituitur, & diſtinguitur, per obiectum vero conſtituitur in eſſe formali, & diſtinguitur ab intrinſeco, conſiderando potentiam vt potentia eſt. Secundo dico, quod ipſa potentia fundamentaliter, ſed intrinſece diſtinguitur per ordinem ad obiectum, quia dato etiam quod obiectum non eſſet, adhuc in potentia eſſet ordo ad illud obiectum, qui ordo, vt diximus tranſcendentalis eſt, fundamentum tamẽ prædicamentale eſt.

LECTIO XX.

S. Doctoris 7.

HOc eſt quartum capitulum, in quo Philoſ. agit de anima vegetatiua, & eius operationibus. In explicationẽ autem ſeptimæ lectionis S. D. tria faciemus. Primo explicabimus textũ. Secũdo annotabimus aliqua circa ipſum. Tertio adducemus aliquas dubitationes, cum ſuis ſolutionibus.

Quoad primũ prima cõcluſio eſt. Prius eſt agendum de obiecto, id eſt alimento, & actibus. i. generare, nutrire, & augere potentiæ vegetatiuæ, antequam de alijs agatur. Hanc concluſionem probat duobus medijs. Primum. De illa parte primo agendum eſt, quæ ſe habet vt radix, & fundamentum cæterarum, Sed anima vegetatiua ſe habet vt fundamentum, & radix cęterarum animarum, & actuũ, ergo prius de ea determinãdũ eſt. Secundũ. A communioribus eſt incipiẽdum, Sed anima vegetatiua, & eius operationes ſunt communiores, quia ipſa poteſt eſſe ſine alijs, aliæ vero non ſine ipſa, igitur. *Prius agẽdum eſt de anima vegetatiua.*

Secundo determinat de quodam pertinente ad animam vegetatiuam. i. de generare ſibi ſimile, hocq; probat, ſic. Quod eſt naturaliſſimũ omnibus viuentibus perfectis, non orbatis, nec ſponte genitis, pertinet ad animam vegetatiuam. Tale eſt generare ſibi ſimile, Igitur. Maior patet, quia anima vegetatiua eſt communiſſima, & prima in animatis. Minor vero, quia hoc ineſt tanquam naturaliſſimum omnibus viuentibus, vt generent ſibi ſimile. Oſtenditq; radicem huius dicendo, quod hoc euenit, quia cum indiuidua ſingularia ſint corruptibilia, natura intendit perpetuari in ſpecie, aſſimilãdo ſe bono, & optimo, & immorta- *Generatio eſt opus eius.*

tali, quod eſt incorruptibile.

Tertio ponit hanc concluſionem; Anima eſt principium, & cauſa corporis animati, in triplici genere cauſæ, ſcilicet formalis, finalis, & efficientis. Primum probat duplici ratione, id eſt quod ſit cauſa formalis corporis animati. Prima. Dãs eſſe, eſt cauſa formalis rei, cui formaliter illud dat. Sed aĩa formaliter dat viuere, quod oĩbus viuentibus eſt eſſe, igitur eſt cauſa formalis. Secunda. Actus corporis exiſtẽtis in potentia, faciens illud exiſtere in actu, eſt cauſa eius formalis, Talis eſt anima, vt dictum eſt, igitur. Secundo probat quod ſit eius cauſa finalis. Tã natura, quam intellectus operantur propter finem, igitur natura organizat, & diſponit animata, vt habeant animam, ad hoc enim tendit opus naturæ. Tertio probat, quod ſit cauſa eius efficiens; Dans motum, & operationem, eſt cauſa efficiens rei motæ, & operantis. Talis eſt anima, quia ſe habet ſicut natura, & forma, quę ſunt principia motus, & operationis, Igitur.

Anima in triplici genere ẽ cauſa corporis animati.

Quoad ſecundum, primo notandũ eſt, quod triplex eſt modus procedẽdi in aliqua ſcientia .ſ. ex notioribus nobis, ex notioribus naturæ, & ex notioribus nobis, & naturæ ſimul. Primum fit procedendo ex effectibus, vel communioribus: Secũdum ex cauſis, vel notioribus ſecundum ſe. Tertiũ ex ſimul notis ſecundum ſe, & nobis. Tertium ordinem videtur mihi ſeruaſſe Philo. nam reſpectu cæterarum animarum tractando prius de vegetatiua ſeruauit ordinem noſtræ cognitionis, quia anima vegetatiua eſt cæteris prior, & communior, & hoc eſt quod probat, reſpectu vero animæ vegetatiuæ ſeruauit ordinẽ naturæ, quia prius de obiecto, & eius actibus, antequam de ipſa potentia ſermonem habet.

Ordo procedẽdi in ſciẽtia triplex.

Secundo annotandum circa illam maximam, & vulgatam propoſitionẽ, Naturaliſſimum eſt omnibus viuentibus generare ſibi ſimile, quod ab hac propoſitione excipiuntur tria. Primo imperfecta, ſeu nondum perfecta, vt ſunt pueri: nam quia cõtinuo creſcũt, ideo natura omne alimentum conuertit in ſubſtantiam aliti, & non relinquit aliquid ſuperfluum, ex quo ſemẽ generatur, & hanc etiam rationem aſſignat Ariſt. in lib. de animalibus, cur homines pingues non ſint apti ad generationem, quia ſcilicet alimentum ita in eis conuertitur in ſubſtantiã rei alitæ, vt excrementa, ex quib. ſit ſemẽ, pauca in eis relinquantur, quod e cõtrario accidit in ſiccis. Secundo excipiuntur illi, qui aliquem defectum habent, vt ſunt caſtrati, Eunuchi, frigidi, vel mutillati aliquo membro neceſſario ad generationem. Tertio demũ ſponte genita, vt ſunt illa, quæ naſcũtur ex putri materia, quæ quidem generantur a corpore cœleſti gerente vices, mediante calore, & lumine, agentis, & generantis.

Generans generat ſibi ſimile ſi ſit perfectũ non orbatum, & genitũ non ſit ſpõte.

Tertio notandum eſt, quod triplex eſt finis repertus in generatione, videlicet finis cuius, finis cui, & finis quo. Finis cuius eſt finis vltimus: finis cui, eſt in cuius vtilitatem eſt finis cuius: finis quo eſt medium ad adipiſcẽdum finem cuius. Verbi gratia ſumo medicinam vt acquiram ſanitatem, ſanitas eſt finis, cuius gratia ſumo medicinam, & vltimus: finis cui ſum ego, in meam enim vtilitatem ordinatur medicina, & ſanitas: finis quo eſt ipſa medicina, qua mediante adipiſcor ſanitatem. Ita in generatione, finis cuius eſt aſſimilari Deo in perpetuitate, quia enim indiuidua ſingularia ſunt corruptibilia, ideo ex eorum ſucceſſione natura intendit perpetuitatem ſeruare in generatione: Finis cui eſt res genita, finis quo Deo aſsimilamur eſt generatio ipſa.

Finis triplex cuius cui, & quo.

Quarto notandum circa hoc quod ani-

Quomodo anima ſit cauſa corporis.

anima ſit cauſa corporis animati formalis, effectiua, & finalis, quod anima poteſt tripliciter conſiderari. Primo vt dat eſſe corpori. Secundo vt ad exercendas diuerſas operationes corporis ordinat diuerſa organa, & partes. Tertio vt eſt principium motus, & operationum corporis. Primo modo dicitur cauſa formalis, quia ut forma dat eſſe, & uiuere. Secundo modo dicitur cauſa finalis, cum ad hoc tendant diuerſa organa, & inſtrumenta corporis, ut ſcilicet poſsint animæ inſeruire, in diuerſis eius operationibus. Tertio modo dicitur cauſa effectiua, quia ipſa eſt principium motus, & quietis, eius in quo eſt, .ſ. corporis.

QVÆSTIO XIIII.

Vtrum naturaliſſimum ſit omnibus viuentibus generare ſibi ſimile.

Videtur quod non. Nam illud q; alicui ineſt per proximiora, ei eſt magis cõnaturale, quam id quod ei conuenit per communiora, Sed intelligere homini, & leoni ſentire, proximius inſunt, quam generare ſibi ſimile, quod eſt omnibus viuentibus commune, nam homo conſtituitur rationalitate; & leo ſenſibilitate cum rugibilitate. Ergo id quod eſt naturaliſſimum viuentibus, non eſt hoc .ſ. generare ſibi ſimile.

Secundo. Vnumquodque magis inclinatur naturaliter in opus magis perfectum, quam in minus perfectũ; Sed in homine opus perfectius eſt, intelligere, & in animalibus ſentire, (cũ hæ ſint formales horum differentiæ) generare vero ꝟt commune opus, eſt minus perfectum. Ergo naturaliſſimum &c. non eſt generare ſibi ſimile.

Tertio. Nutriri naturalius eſt viuentibus, quam generare, cum nutritio faciat ad conſeruationem ſpeciei, & indiuidui, generatio vero ſolum faciat ad conſeruationem ſpeciei. Igitur.

Quarto. Quod eſt in nocumentũ viuentis, non poteſt ei eſſe naturaliſſimum, ſed violentum, Sed generatio eſt in nocumentum viuentis, per Ariſ. in libro de longitudine vitæ dicẽtem, quod generatio vitam abreuiat, & generantem debilitat. Ergo.

Quinto. Nutritio pluribus conuenit quam generatio, cum omnia viuẽtia nutriantur, Sed non omnia generent, Igitur nutritio, & non generatio erit naturaliſſima, vt pote pluribus conueniens.

Sexto. Generatio etiam ineſt elementis, cum ad inuicem tranſmutentur, & generẽtur. Ergo non erit opus naturaliſſimum viuentium.

Pro dilucidatione quæſtionis. Primo prælibabimus quædam fundamẽta. Secundo probabimus concluſionem. Tertio diluemus argumenta.

Naturaliſſimũ eſt generare ſibi ſimile.

Primo igitur notandum venit circa (ly naturaliſsimum,) quod Philoſophus dixit naturaliſsimum, & non proprijſsimum, nec perfectiſsimum opus, eſt generare ſibi ſimile. Nam non dixit proprijſsimum, quia generare ſibi ſimile conuenit etiam non ꝟiuentibus, nam ignis ignem generat, & terra terram. Neque dixit perfectiſsimum, quia intelligere eſt opus perfectiſsimum hominum, & ſentire animalium, cum hæ ſint vltimæ differentiæ nobis notæ, horum conſtitutiuæ. Dixit ergo naturaliſsimum, quia naturalitas penſatur ſecundum propenſionem, & inclinationem naturæ; Omnia autem viuentia naturali inclinatione feruntur ad generãdum ſibi ſimile in ſpecie.

Inter operationes animæ vegetatiuæ.

Secundo animaduertendum, quod Philoſophus dixit naturaliſsimũ opus viuentium eſſe generare ſibi ſimile, comparando generare, quod eſt opus animæ vegetatiuæ, ad alia opera animæ vegetatiuæ: Nam generare ſibi ſimile

Inter operationes aïa vegetatiua.

ſibi ſimile,quod ſit naturaliſsimum opus ſtat dupliciter. Primo abſolute, & ſimpliciter, & ſic falſum eſt, cum omnia viuentia magis inclinentur ad eſſe, quam ad generare. Secundo in genere operum animæ vegetatiuæ, .ſ. in nutrire, augere, & generare,& hoc verum eſt, & intentum.

Cum cõditionib.

Tertio ergo notandum, quod hoc opus viuentibus naturale dicitur, tribus tamen ſeruatis,& intellectis. Primum eſt,quod quamuis multa nõ viuentia generent ſibi ſimile, non tamẽ omnibus eis conuenit. Nam aurum, aurum non generat, nec lapis lapidẽ, omnia autem viuẽtia perfecta poſsũt ſibi generare ſimile, & ideo dicitur viuentium opus naturaliſsimum, & ſi daretur quoddam commune vocabulum ad generationem viuentium, & non viuentium, non ſolum diceretur opus naturaliſsimum, ſed & propriiſſimum. Secundo tene Philoſophum non dixiſſe hoc eſſe commune omnibus viuentibus, ſed viuentibus perfectis, non orbatis, nec ſponte genitis. Tertio intellige hoc opus non conuenire viuentibus reduplicatiue, id eſt vt viuentia ſunt (ſic enim omnibus conueniret) ſed intelligitur diſtributiue, ſeu ſpecificatiue,.i.talibus viuentibus perfectis &c.

Generatio animatorum differt a generatione inanimatorum.

Quarto. Ad pleniorem declarationem ſupradictorum annotandæ ſunt quatuor differentię inter generationem animatorum, & inanimatorum. Primo ergo differunt in principio, quia inanimata, vt ignis ſecundũ totum agit, animata vero vt animalia ſecundum vnam partem. Secundo differunt in materia, quia viuens dat materiam generationis, nam arbor humorẽ trahit, & præſtat; homo, & cætera animalia ſemen conferunt, At non viuens materiã non producit,ſed in eam prorumpit, vt ignis in lignũ. Tertio differunt, quia viuens dat materiam, & nutrimentum, vt patet in ſemine arborum, & in fętu animaliũ, immo etiam hoc apparet in ouo, nam ouum ſecundum Ariſ. ex duplici parte conſtat, ſ. ex rubea, & candida. Ex candida fit pullus, ex rubea eſt nutrimentum. Inanimata vero nec materiam, nec nutrimentum dant. Nam ignis v. g. non dat nutrimentum combuſtibili, ſed ab ipſo habet. Quarto differunt in productione, quia animata non producunt ſibi ſimile, immediate, vt ignis ignem, ſed mediate, .i. mediante ſemine. Tandem differunt ſecundum nomen, quia viuentia dicuntur naſci in generali, non viuentia vero fieri, vel produci.

Quomodo ex connaturalitate.

Quinto notandum Philoſoph. dixiſſe, quod generare ſibi ſimile eſt naturaliſsimum viuentibus, non abſolute, ſed inter operationes animæ vegetatiuæ, quia & ſi nutrire, & augere videãtur communiores operationes, non tamen ita ſunt naturales, vt generatio ad quam viuentia per propẽſionem naturalem inclinantur.i. ratione animæ vegetatiuæ.

Animalium varius ortus.

Sexto notandum, quod quædam animalia ſemper naſcuntur ex putrefactione, vt anguillę, nam anguillæ ſecundum Ariſt. non generant anguillas, ſed ex putrefactione naſcuntur. Quædam vero ſemper per partum in lucem prodeunt, vt homines, & iumenta. At alia quandoque ex partu, & quandoque ex putri materia fiunt, ſicut ranæ, & mures; De ſecundis ergo non eſt dubium quod generans generet ſibi ſimile, ſed de alijs videtur obſcurum; Notandum ergo, quod quæ virtute cæli generantur, habent cælum pro cauſa generante, genito ſimili virtualiter, & ſi non formaliter, quia quamuis cęlum non ſit nec rana, nec mus, nec anguilla, tamen habet virtutem ad productionem horum, ac ſi hęc eſſet. Sed quid de bombice, ex quo ſericum fit? Et quid de ranis, & de veſpis, quæ ſecundum Ariſtot.

non generant ſibi ſimile? nam bombices pampiliones generant, ex quibus producuntur oua, & ex his noui ſunt bombices; Dicendum igitur mihi videtur, quod pampiliones vere ſunt bõbices, neque differunt niſi in accidentibus.i.in purgata materia, vnde patet quod in his ſimile generat ſimile eſſentialiter.

Varia nomina. Septimo notãdum, quod quædam animalia vocantur vipara, quia extra ſe non emittunt fœtum niſi animatũ, vt videmus in animalibus perfectis. Quædam autem dicuntur ouipara propterea, quod oua producunt, ex quibus generant, vt patet in gallinis, & ſimilibus. Quædam vero vocantur ſeminipera, quia producunt ſemen, ex quo genitum generatur. In his autem omnibus, generãs generat ſibi ſimile, ſi penſemus terminum generationis, & non tantum principia, in quibus differunt.

Varia potentia. Octauo recolendum eſt, quod aliud eſt habere potentiam generatiuam, & aliud habere actum generandi; Nam habentia animam vegetatiuam habent quidem potentiam generatiuam, vt muli, & ſimilia, (excludendo ſemper tamen ea quæ naſcuntur tãtũ ex putri materia,) ſed non oĩa habent actum generandi, propter aliquod impedimentum.

Concluſio probatur. Quoad ſecundum concluſio eſt. Naturaliſsimum eſt omnibus viuentibus, generare ſibi ſimile. Probatur. Eſſe, & perpetuitas, naturaliſſima ſunt. Sed viuentia hæc per generationem adipiſcuntur, vt ſupra explicatum fuit. Ergo &c. Cõfirmatur, quia Sortes v.g. generans Platonem, non magis intendit producere Platonem, quam ſe conſeruare in ſpecie, cum nõ poſsit perpetuari in indiuiduo, .i. in ſeipſo, bonum autem ſpeciei excellentius eſt, quam indiuidui, per generationem autem ſpecies conſeruatur, & per nutritionem indiuiduum.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum negatur maior, immo naturaliora ſunt prima, quia cauſa prima magis influit in effectum. Secundo dicitur, quod homini naturalius eſt, vt uiuens eſt, quod generet, quam quod intelligat, & ſi homini ſit naturalius intelligere, vt intelligens eſt, quam generare.

Ad ſecundum negatur maior, quia & ſi melius, & perfectius inclinetur uiuens in opus magis perfectum, quã in minus perfectum, non tamen naturalius, ſecundum quod eſt imperfectum. Secundo dicitur, quod Philoſoph. ſolum loquitur de actu generandi collato cum duobus alijs actibus animæ uegetatiuæ ſcilicet cum nutrire, & augere, unde fit tranſitus ad opera diſsimilis generis. Tertio dicitur, quod maior eſt uera quando cætera ſunt paria, modo non ſunt paria, quia generare perpetuat uiuentem, quod non facit ſentire, nec intelligere ſecundum totum, ſed ſolũ ſecundum unam partem, ſ. animæ.

Ad tertium dicendum, quod generare magis naturaliter conuenit uiuẽtibus ut ſic, non tamen ut perfecta ſunt, nutritio autem non facit ad perpetuitatem generatiuam, ſed tantum ad reparationem. Secundo dicitur, quod nutriri eſt opus communius, ſed non naturalius, ut ſupra. Et tertio dicito ut ſupra, quod facit ad perfectionem indiuidui, ubi generatio facit ad perfectionem ſpeciei, quod maius eſt. Et tanto magis, quod uiuens per generationem ſe alteri communicat, & per nutritionem ſibi ipſi tantum iuuat.

Ad quartum dicendum, quod generatio dupliciter conſiderari poteſt. Primo reſpectu generantis, & ſic poteſt eſſe ei nocumentum, cum eneruet uires, & uitam abreuiet. Secundo reſpectu finis, & termini, & quia ſe perpetuat in genito ipſum generãtem, ideo non debet cenſeri nocumentum.

Ad

Ad quintum dictum eſt, quod nutritio eſt communior, ſed non naturalior, uiuentibus perfectis.

Ad ſextum diximus, quod & ſi generatio conueniat inanimatis, non tamen eo modo, & ratione, quo conuenit animatis, unde generatio ſecundum S. D. p. p. quæſt. 27. ar. 2. bifariam ſumitur. Primo, communiter, & ſic dicitur mutatio de non eſſe ſimpliciter, a d eſſe ſimpliciter. Secundo proprie, & ſic dicitur emanatio uiuẽtis a uiuente, ſiue ſit rei, quæ acquirit eſſe poſt non eſſe, ſiue ſit rei habentis ſemper eſſe, ut habet filius in diuinis. Additur coniuncto.i. eiuſdem naturæ cum genito. Subditur in ſimilitudinem eiuſdem naturę ſpecificæ, & atomæ, quare uermes, ungues, & capilli, ab homine procedentes, nõ dicuntur eius filij, quia non ſunt eiuſdem naturæ cum ipſo, ſpecificæ.

LECTIO XXI.

S. D. 8.

Quia ad Philoſophum non ſolum pertinet veritatem oſtendere, verum etiam ad eum attinet errores ei contrarios euertere, ideo poſtquam Philoſoph. oſtendit operationes potentiæ vegetatiuæ, modo vult excludere errores Empedoclis, ac aliorum, circa iſtas operationes. In examen ergo eorum quæ dicuntur ab Ariſt. a tex tu 39. vſque ad 42. & a S. D. in 8. ſua lectione, tria agemus. Primo literaliter explicabimus dicta Philoſoph. Secundo apponemus aliquas annotationes, Et tertio reſoluemus quædam dubia.

Empedoclis opinio de neceſſitate reru. Quoad primum, Primo ergo excludit errorem Empedoclis, dicentis omnia euenire ex neceſſitate materiæ, & non propter aliquem finem, vt vidimus in ſecundo Phyſ. Dicebat enim hominem habere pedes deorſum, & caput ſurſum, non ob aliquem finem, ſed ex concurſu materiæ, & ita dicebat in propoſito alimentum plantarũ cauſari ex concurſu terræ in parte inferiori, at augmentum in ſurſum cauſari ex motu ignis, ſurſum tendentis, Itaq. volebat plãtas creſcere ob grauitatem terræ, & ſurſum tendere ob leuitatem ignis.

Secundo loco reprobat Philoſoph. ſupradictam opinionem, & hoc dupliciter. *Reprehenditur.* Primo, quia non bene accepit ſurſum, & deorſum. Antequam igitur conficiamus rationem Philoſo. ſciendum eſt, quod ſurſum, & deorſum tripliciter determinari dicuntur. Primo ſecũdum ſuam naturam, nam aliqua ſuaapte natura ſurſum tendũt, vt leuia, & aliqua deorſum, vt grauia, & ita in animalibus pars ſurſum determinatur ad cibum ſumendum, vt os, Et pars deorſum ad excrementa reijcienda. Ante, & retro ad diuerſas poſitiones, & dextrum, & ſiniſtrũ ad diuerſos motus, prout animalia mouentur ad dexteram, & ad ſiniſtram. Secundo determinantur ex parte noſtri, prout columna poteſt dici dextera, & ſiniſtra, ſecundum quod aliquis ſe mouet ad dexteram, & ad ſiniſtram. Tertio determinantur ſecundum ordinem quem habent ad vniuerſum; Nam caput dicitur ſurſum, quia in eo eſt pars, .i. os ſurſum ſtans, ex quo cibum ſumimus, & ita pedes dicuntur deorſum .i. verſus terram. In arboribus vero e contrario radices dicuntur ſurſum, quia arbores per radices augmentum ſumũt, rami vero dicuntur deorſum, quia ab eis non eſt alimentum. Arguit ergo ſic Empedoclem. Primo. Surſum, & deorſum non idem ſunt in omnibus, vt exemplificatum fuit; Ergo male has partes ſumpſit, ac ſi idem eſſent in omnibus. Secundo, hanc opinionem ſic reijcit. Elementa diuerſa. V. g. in planta, aut aliquo continen-

tur, aut nōn. Non ſecundum, quia ſic res compoſita v.g. planta in diuerſas partes diſtraheretur, taliter quod leuis ſphæram ignis peteret, & grauis centrum terræ. Si primum .i. ſi continentur ab aliquo, Ergo ab anima, ergo ipſa erit primum principium operationum, & conſequenter alimenti, &c.

Democriti opinio de augmētorum.

Tertio loco aliī opinionem in medium afferr .ſ. dicentiū: v. quod præciſa cauſa augmenti ignis eſt, hac ratione moti. Ignis maxime nutritur, & augetur. Ergo erit cauſa augmenti omnibus viuentibus, hæc autem opinio fuit Democriti.

Reprehēditur.

Quarto hanc opinionem ſic reprobat Philoſophus. Ignis augmentabilis eſt in infinitum, Sed omnium natura conſtantium determinata eſt quātitas ad maximum, & ad minimum, & non eſt augmentabilis in infinitum Ergo augmentum horum non erit ab igne. Hinc etiam deducas cum S. D. in 2. d. 18. q. 2. artic. 3. & p. p. q. 78. art. 2. ad 1. & quæſt. 110. art. 1. ad tertium, & Alberto Magno hic, c. 9. ac alijs multis, calorem naturalem nō eſſe potentiam nutritiuam, ſed aliam qualitatem ſuperiorem, & nobiliorē, quæ calore, & temperamento vtitur, ad conuertendum alimentum in ſubſtantiam aliti.

Neceſſitas duplex abſoluta, & finis.

Quoad ſecundum principale. Primo notandum eſt, circa opinionem Empedoclis, quod pro nunc duplex eſt neceſſitas. Prima dicitur abſoluta, quæ & neceſſitas materiæ, & formæ dicitur. Secunda vocatur neceſſitas conditionalis .i. finis. Inter iſta autē neceſſaria talis dependētia repetitur, quod neceſsitas abſoluta in re cauſat neceſſitatem finis. Reubarbarum .n. eſt, vt purget colerā, Sed in intentione accidit econuerſo, quia finis eſt prima cauſarum, & cauſa cauſarum, cum nihil ſit in natura, quod ab ea non ſit intentum. Cum igitur effectus per ſe, habeat cauſam per ſe, ſi augmentum eſt per ſe, & per ſe intentum, falſa eſt opinio Empedoclis.

Surſum, & deorsū tripliciter conſiderari poſſunt

Secundo notandum circa ſecundum dictum .ſ. quod non eodem modo ſumuntur in omnibus ſurſum, & deorſum, quod ſurſum, & deorſum tripli cem (vt diximus) poſſunt habere cōſiderationem, quod & ſimiliter dicimus de cæteris poſitionibus. Primo ergo poſſunt conſiderari ſecundum ſe. Secundo reſpectu noſtri. Tertio reſpectu vniuerſi; Quomodo autem reſpectu vniuerſi ſumantur ſurſum, & deorſum, dicimus quod his differentijs in orbe non intelligimus totam vniuerſitatem creaturarum, ſed primam partem vniuerſi .i. cęlum reſpectu cuiuis ſumuntur ſurſum, & deorſum; Hoc autem bifariam intelligi poteſt. Primo ſecundum propinquitatem ad cælum, & elōgationem ab eo. Secundo ſecundum operationes. Primo modo ſumuntur ſurſum, & deorſum materialiter, & ſecundo modo formaliter, & hoc eſt quod voluit inferre Philoſoph. ſ. quod ſurſum in hominibus materialiter, & formaliter eſt caput, in quo eſt os, per quod cibū ſumimus; At in arboribus radices dicuntur ſurſum formaliter, quia per radices trahitur a terra alimentum arboris, materialiter tamen radices dicuntur deorſum, & rami ſurſum.

Ignis, eſt cauſa inſtrumentalis augmenti.

Tertio notandum circa quartum dictum .ſ. quod ignis ſit, vel non ſit cauſa alimenti, quod duplex eſt cauſa. Prima enim dicitur principalis, & prima, Secunda vero ſecundaria, vel inſtrumentalis .i. agens in virtute primæ. Ignis ergo non poteſt eſſe cauſa principalis nutrimenti, & augmenti. Primo, quia ignis mouet ſolum ad vnam loci poſitionem, .ſ. ad ſurſum, ſed quod nutritur, & augetur ſecundum omnes poſitiones, .ſ. ſurſum, & deorſum, ante, & retro, dextrorſum, & ſiniſtrorſum. Secundo, quia ignis, vt

ignis

ignis augmentabilis eſt in infinitum. At res quæ augetur, augetur ſecundũ determinatam quantitatem, vnde homines non ſunt tam magni ſicut mõtes, nec ſemper creſcunt, ſed ad præfinitum tempus. Cauſa ergo principalis augmenti, & decrementi erit anima, ſecundaria vero, & inſtrumentalis erit ignis. Sed hic duo habeas. Primum, quod elementa in mixto nõ remanent formaliter, v. g. homo non habet in ſe formaliter ignem, aquam, aerem, & terram, vnde elementa ſolum dicũtur eſſe in mixto virtualiter, .i. quo ad ſuas qualitates, in quodam contemperamento .i. quo ad caliditatem, ſiccitatem, humiditatem, & frigiditatem. Secundum eſt, quod alimentum antequam res augeatur, diſſimile eſt nutrito, non enim cibus, v. g. panis ſumptus eſt ſanguis, vel caro, ſed hæc poſtea fit. Sumpto ergo cibo qualitas ignis, ideſt calor naturalis operatur in mixto, in virtute ſubſtantiæ .i. animæ, tranſmutando cibũ in carnem, & ſanguinem, & propterea vocatur cauſa inſtrumentalis, ſed non ſolum, nam etiam attractiua alimenti, retentiua, & cõcoctiua eiuſdẽ, ſeparatiua inutilium partium, expulſiua earum, & diſtributiua ad omnes partes corporis, requiruntur, vt ſint inſtrumenta potentiæ nutritiuæ, quare ab his diſtinguitur, vt potentia vitalis, a ſuis inſtrumentis.

Ignis maxime nutritur ſimilitudinarie.

Quarto notandum circa alterum dictum Philoſop. ſ. quod ignis videtur maxime nutriri, quoniam continuo additis combuſtibilibus maius fit. Sciendum eſt ideo, quod duplex eſt nutritio. Prima dicitur propria, quæ fit per calorem animati, & animam vegetatiuam. Secunda dicitur communis, & ſimilitudinaria, ſecundum quod vnum in ſuam ſubſtantiam conuertit alteram rem, & hoc modo nutritio eſt in elementis, vt præcipue patet in igne. Differentia autem eſt inter nutritionẽ propriã, & ſimilitudinariã ſolũ, qđ ꝓpria fit ſm̃ oẽs partes, ſed ſimilitudinaria ſm̃ ſupficiem rem tangentẽ.

Dubia.

Quoad tertium dubitatur circa hanc propoſitionem. Omnium natura conſtantium determinata eſt ratio magnitudinis, ad maximum, & ad minimum. Nam contra Primo arguitur ex Philoſop. hic dicente, quod ignis augmentabilis eſt in infinitum. Ergo videtur dicere oppoſita in eodem textu.

Secundo. Homogenea ſecundum commune placitum ſunt determinata ad maximum, & minimum, Sed ignis eſt de numero homogeneorum, vt patet. Ergo non eſt augmentabilis in infinitum.

Ad primum aliqui reſpondent, Philoſoph. ſolum eſſe loquutum de animatis, ignis autem inanimatus eſt. At contra, patet Philoſoph. expreſſe eſſe loquutum de omnibus augmentabilibus, vt apparet in textu.

Alij ergo reſpondent, quod per natura conſtantes, ſolida intelligit, aer autem, ignis, & aqua, quæ inter fluida computantur, terminantur figura continentis. Sed nec hæc reſponſio bene quadrat. Primo, quia nullum eſt verbum in textu hoc ſignificans. Secundo, quia Philoſophus intendit arguere ignem non eſſe cauſam augmenti primam, cum ſit augmentabilis in infinitum. Non autem omnia fluida hoc habent.

Eſt augmentabilis ĩ infinitum virtute, et potentia, & non actu.

Videtur igitur mihi dicendum, quod Philoſophus non arguat ex proprijs, ſed ex conceſſis ab Empedocle, vt frequens eſt apud ipſum, dum arguit contra Antiquos: Vel dicẽdum, quod ignis bifariam conſiderari poteſt. Primo vt eſt quædam natura, & elementum in actu, & ſic quibuſdam terminis terminatur, vt patet in ſua ſphęra. Secundo quatenus habet virtutem comburendi, prout eſt in po-

potentia ad comburendum, omne combuſtibile ei appoſitum, & ſic dicitur augmen ab his in infinitum, ſed vt diximus in potentia, ad quam potentiam non habent naturalia actiuitatem vt naturalia ſunt.

Ad ſecundum reſpondendo. Primo notandum eſt, quod res dupliciter cõſiderari poſſunt. Primo Mathematice, i. vt quanta ſunt, & ſic ſunt augmentabiles ſecundum rationem in infinitum, & in eis non datur maximum, & minimum Secũdo phiſice, vt ſunt ſub determinata forma, & ſub determinatis accidentibus, & ſic in eis datur maximum, & minimum.

Secundo dicimus, quod & ſi homogenea vt ſunt ſimplicia corpora, ſ. elementa, Mathematice poſſint diuidi in infinitum, non tamen ętherogenea, i. diſſimilia.

Tertio notandum, quod omnia naturalia ſunt ſub determinata quantitate, loquendo de naturalibus diuiſibilibus in partes exiſtentes, quia non poſſunt remanere ſub minori parte, prout explicatum eſt primo Phyſ.

Argumẽtum de augmento ignis in infinitum ſoluitur.

Ad argumentum ergo, prout etiam tangit difficultatem de igne vt ſupra, aliqui dicunt, quod Ariſtot. abſolute non intellexit ignem eſſe augmentabilem, in infinitum, ſed comparatiue, i. poteſt excedere magnitudinem aliarum rerum. Sed reſponſio non eſt ad mentem Philoſ. cum abſolute dicat ignem eſſe augmentabilem in infinitum, ſi ei apponatur ſemper combuſtibile; Alij ergo dicunt, quod ignis dupliciter conſiderari poteſt. Primo ſecundum ſe, & ſic augmentabilis eſt in infinitum, ſi ei continuo apponantur combuſtibilia in infinitum; Secundo reſpectu vniuerſi, & ſic non poteſt augeri in infinitum, quia natura habet determinatum locum, & quantitatem. Secundo reſpondent alij, quod ignis vt vnus eſt per ſe, habet determinatam quantitatem, vltra quam nõ poteſt extendi (ſeruata ſua vnitate,) ſed vt vnus poteſt eſſe ſecundum aggregationem; videtur poſſe tendere in infinitum, ſed tũc tot eſſent ignes, quot combuſtibilia eſſent apposita; Sed ego reſpondeo, quod ignis bifariam poteſt dici augmentabilis in infinitum; Primo vt combuſtiuus eſt, & ſic eſt augmentabilis in infinitum, quia non eſt maior ratio quod comburat vnum combuſtibile, quam aliud. Secundo vt natura, & elementum eſt, & ita hoc nego, quia vltra ſuam ſpheram non poſſet ſe extendere, quoniam impediretur a natura vniuerſali, determinante vnicuique elemento ſuam ſpheram, & excedentiam.

LECTIO XXII. S.D.9.

Quoniam autem de potentia tex. 42.

HIc Philoſophus agit de potentia vegetatiua, & eius obiecto .i. de nutrimento, in cuius explicationem tria conſueta obſeruabimus. Primo ergo dicit Philoſophus, quod potentia generatiua, & nutritiua ad eandem animam vegetatiuam pertinent; vnde de obiecto eius prius agẽdum eſt, quia per hoc potentia vegetatiua diſtinguitur ab alijs animabus .ſ. a ſenſitiua, & intellectiua.

Generatiua, & nutritiua, ad vegetatiuam pertinent.

Alimenti conditiones.

Secundo ergo agit de alimento, ei aſſignando tres cõditiones. Prima eſt, quod alimentum ſit contrarium alito, quoniam omnis mutatio eſt de contrario, in contrarium, vel medium. Cũ ergo alimentũ conuertatur in ſubſtantiam aliti, ideo erit ei aliquo modo contrarium. Secunda eſt, quod ſit de numero contrariorum, quæ ita ſe habent, quod vnum ipſorum tranſmutatum, alterum augei; Nam duplex eſt genus contrariorum; Primum eſt contrariorum ſe corumpentium, prout calidum expellit frigidum; Secundum eſt perficientium, quæ ex appoſi-

tionę

tione contrarij poſſunt augeri, vt patet dum aqua transmutatur in aerem, vel aer in ignem; Tertia eſt, quod alimentum conuertatur in ſubſtantiam aliti, ſed non alitum in ſubſtantiam alimenti, aqua enim ſeu humor aquoſus reſoluitur in fumum,& ignem, ſed non ignis in aquam.

Alimentũ in principio, eſt contrariũ alito in fine ſimile.

Tertio dubitat quomodo alimentum ſit ſimile, vel contrarium alito. Nam aliqui dicunt, quod eſt ſimili, quia augmentum non fit niſi a ſimile. Alij dicunt, quod eſt ei contrarium, Primo, quia omnis mutatio fit de contrario in contrarium, & ſecundo, quia alimentum patitur ab alito, dum digeritur, & conquoquitur. Huic difficultati reſpondet Philoſoph. diſtinguendo; & dicendo, quod alimentum dupliciter conſiderari poteſt. Primo in principio digeſtionis, & ſic eſt contrarium alito, vt ſecunda opinio ſuſtinet, ſecundo in fine, vt iam factum eſt proxima materia aliti, & ita eſt ei ſimile, vt probat prima opinio.

Alimentum tripliciter conſideratur.

Quarto determinat Philoſoph. de alimento, prout conuenit operationibus animæ vegetatiuæ. Primo ergo dicit ſolum animata ali, & nutriri, non vero inanimata; Secundo ponit quot modis ſumatur alimentum, ex quibus modis ponit diſtinctionem in operationibus animæ vegetatiuæ. Alimentum itaque tripliciter conſiderari poteſt, Primo ſecundum ſuam ſubſtantiam, & ſic eſt obiectũ nutritiuæ, quoniam ſubſtantia non reparatur niſi per ſubſtantiam; Secundo ſecundum quantitatem, & ſic eſt obiectum augmentatiuæ, quia ex alimento res augetur; Tertio conſideratur vt eſt ſuperfluum alimenti, & ſic eſt obiectum generatiuæ, quoniam ſemen eſt de ſuperfluo alimenti. Ex his vero deducit diffinitiones ſingularum potentiarum, ponitque tria quæ in alimento reperiuntur. Primum eſt quod alitur, v.g. homo. Secundum quod alit, v.g. caro, vel panis. Tertium quo alit, ideſt augmentũ. Inſuper dicit quod id quod alit formaliter duplex eſt. Primum remotum, & hoc eſt anima, Secundũ proximum, & inſtrumentale .i. calor naturalis.

Ignis improprie nutritur.

Quoad ſ:m principale, primo notandum eſt circa id quod dicebatur, ſolum animata nutriri, inanimata vero minime, quod duplex eſt nutritio vt ſupra diximus. Prima dicitur propria, quæ ſolum conuenit animatis, conuertentibus alimentum in vnam ſuam met numero naturam. Secũda dicitur communis, & ſimilitudinaria, quæ potius apparens nutritio, quam vera nutritio dicenda eſt, vt dum ignis videtur combuſtibili nutriri, & tamen hæc non eſt propria nutritio, quia ignis nouum cõbuſtibile comburens, fit nouus ignis, vnde ignis ex multis combuſtibilibus conſtans non eſt vnus numero, & ſimpliciter, ſed ſolum per aggregationem, nam non remanet prior ſubſtantia ignis, ſed ex nouo combuſtibili, noua generatur.

Semen eſt ſuperfluũ alimenti.

Secundo notandum circa hoc, quod ſemen ſit ſuperfluum alimenti, quod aliquid poteſt dici ſuperfluum dupliter, Primo vt exerementum, Secundo quia non eſt augmentum. Primo modo ſemen non eſt ſuperfluum alimenti, immo eſt ex puriſſimo alimento, habens proprium locum in animato. Secundo igitur modo dicitur ſuperfluũ alimenti, quia ex cibo digeſto illa materia relinquitur, & propterea poſt mediam noctem, quando tempus nutritionis eſt circa finem, frequentiores ſolent eſſe pollutiones.

Tertio notandum, quod viuentia dupliciter differunt a non viuentibus in generatione? Primo, quia generatio viuentium ſolum propria generatio nuncupatur, quæ tranſit de non eſſe ſimpliciter, ad eſſe ſimpliciter, mediante agente naturali, ſibi ſimile producente ſecundum ſpeciem. Generatio vero non viuentium impropria eſt, &

non fit

non fit niſi mediante qualitate extrinſeca; Secundo, quia viuentia ab intrinſeco mouentur, & non viuentia ab extrinſeco, generatio autem eſt illa quæ ab intrinſeco vitam dat, & operationem.

Quarto notandum, quod dum Philoſoph. de alimento eſt loquutus, ait, figuraliter .i. vniuerſaliter de eo feciſſe ſermonem, quia alibi de eo abundantiori doctrina egit, vt in libris de Animalibus, de motu animalium &c.

QVAESTIO XV.

Vtrum virtus augmentatiua, generatiua, & nutritiua, ſint diuerſæ potentiæ animæ vegetatiuæ.

Videtur quod non. Nam Philoſoph. tex. 42. habet, quod eadem potentia eſt generatiua, & nutritiua.

Secundo. Si actus harum potentiarum ſunt idem, idem erunt & potentiæ; Sed actus generatiuæ, & nutritiuæ ſunt idem, ergo. &c. Probo minorem. Nam nutritio fit per conuerſionem alimenti non ſubſtantię aliti, in ſubſtantiam aliti, Hęc autem vocatur generatio ſubſtantialis, tranſiens de non eſſe, ad eſſe.

Tertio. Dato quod augmentatiua non eſſet, nutritiua non deeſſet, & augmentum faceret, nam nutritiua nouam apponit carnem, & nouum ſanguinem.

Quarto. Potentię diſtinguuntur per obiecta; At obiectum harum potentiarum eſt vnum, ideſt alimentum; Igitur & potentiæ vnum erunt.

Quinto. Nutritio eſt motus ad ſubſtantiam. Igitur erit generatio, quę eſt mutatio ſecundum ſubſtantiam.

Sexto. Magis, & min⁹ nō diuerſificāt ſpeciem; At nutritiua, & generatiua nō diſtinguuntur niſi ſecundum magis, & minus, nam nutritiua nutrit, & augmentatiua tunc auget nutritum.

Septimo. Nutritiua alimentum animat. Sed hoc idem facit generatiua, ergo ſunt idem.

Octauo. Potentiæ quæ vnum actum habent, idem ſunt realiter; Sic ſe habent augmentatiua, & nutritiua. Igitur &c. Probatur minor. Quia eodem actu quo res augetur, eodem actu nutritur, & dum res nutritur, augetur.

In contrarium ſtat S. D p. p. q. 78. art. 2. & q. 79. art. 7. & 2. cōtra Gentes cap. 89. Et Albertus hic cap 6. & Aegidius quod. 3. q. 12. Hi enim eas tres potentias realiter diſtinctas eſſe affirmant.

Pro dilucidatione huius quæſtionis; primo notandum venit circa nutritionem, quod dupliciter conſiderari poteſt. Primo communiter, & large, pro quanto agens generando improprie aliud eiuſdē ſpeciei, illud tale ſibi vnit, prout patet in igne, qui comburendo combuſtibile, eo ſe nutriēdo in ignem conuertit. Secundo proprie, pro quanto alitum per uirtutem nutritiuam conuertit alimentum in ſuammet ſubſtantiam, taliter quod ex his fit vnum per ſe, & non per aggregationem, vt poteſt eſſe in inanimatis. Ita pariter augmentatio dupliciter ſumitur. Primo communiter pro maiori extenſione ſubiecti, ſine acquiſitione nouæ materiæ. Secundo proprie, pro maiori extenſione ſubiecti, ex acquiſitione nouæ, & veræ materiæ, quia materia augetur per nutritionem. Ita quoque diſtinguendum eſt de generatione, quod duplex eſt. Prima communis, & impropria, quæ eſt partium, & non totius, vt dum calor naturalis conſumando cibum, nouas partes in viuente generat, caro nouam carnem, & ſanguis nouū ſanguinem. Secunda dicitur propria, quæ dicitur totius, & ſuppoſiti per ſe exiſtentis. Modo de nutritione, augmētatione, & generatione propria loquimur, & non de impropria, dum has potentias diſtinguimus.

Nutritio, augmētatio, & generatio dupliciter ſumūtur.

Secundo notandum, quod cum potentiæ

Alimentum eſt obiectum nutritiuæ augmentatiuæ, & generatiuæ. tentiæ per actus, vt per notiores cognoſcantur, hinc cum ex alimento tres effectus conſpiciamus, tres eſſe potentias deducimus, habentes pro obiecto alimentum; Nã primo videmus quod per conuerſionem cibi in ſubſtantiam aliti, alitum ſe conſeruat in eſſe. Secundo intuemur, quod ex alimento maiorem quantitatem acquirit. Et tertio quod generat ſibi ſimilẽ, & hinc deducimus tres eſſe operationes circa alimẽtũ, nam alimentũ tripliciter conſiderari poteſt. Primo vt eſt in potentia ad ſubſtantiam viuentis, & ſic fit obiectũ nutritiuæ, quoniam ipſa eſt quæ conuertit alimentum in ſubſtantiam viuentis; Secundo vt eſt in potentia ad maiorem quantitatem, & ita circa ipſum immoratur augmentatiua, quę ad auget quantitatem. Tertio vt ex toto alimento non conuerſo in partes coniunctas viuentis quædam ſuperflua remanent, ad proprias ſedes demandata, & ſic obijcitur generatiuæ, quia vt diximus, ſemen eſt de ſuperfluo alimenti.

Materiale. Tertio ex dictis igitur elicitur, quod alimentum eſt obiectum materiale trium ſupradictatum potentiarum. Nam calor naturalis in animali continuo extinguit humidum radicale, & ideo ad reparandum deperditum indiget nutritiua, conuertente cibum in ſubſtantiam aliti; Et quia genitum eſt ſub parua materia, & quantitate genitum, ideo indiget augmentatiua, ad hoc vt poſſit perduci ad tantam quantitatem, quæ ſufficiat ad exercendas operationes viuentis. Sed quia homo coruptibilis eſt, propterea vt ſempiternitatem haberet in ſpecie, ſortitus eſt aliam vim; ſ. generatiuam.

Nutritiua duplex finis. Quarto notandum circa nutritiuã, quod habet duplicem finem. Primus eſt proprius, & per ſe, & hic eſt conſeruare ſuppoſitum. Secundus eſt ſecundarius, & per aliud, ita dictus, quia conſequitur primum finem, & hic eſt rem augere. Nam ſi augmentatio eſſet finis primus nutritiuæ, non ſepararentur iſtæ potentiæ, & virtutes, quod tamen cernimus falſum, quia omnes nutriuntur; & non omnes augentur. Hinc deducitur diſtinctio realis augmentatiuæ, & nutritiuæ, quia .ſ. nutritiua per ſe primo reſpicit conſeruationem ſuppoſiti, & ſecundario augmentum eiuſdem, augmentatiua vero primo auget, & ſecundo conſeruat.

Augmentum duplex. Quinto notandum, quod augmentũ eſt duplex, Primum eſt partium ſe habentium vt vaſa, vt ſe habent oſſa, nerui, & venæ, & ſecundum has partes nõ attenditur decrementum, nec extenuatio, Secundum eſt partium fluentium, ſicut ſunt caro, & ſanguis, & ſecundum has partes attenditur attenuatio, & macies, quando .ſ. nutritiua non poteſt tantum augere, quantum foret neceſſarium.

Augmentatiua & nutritiua differunt. Sexto notandum, quod nutritiua, & augmentatiua multipliciter differũt. Primo ex fine, quia finis nutritiuæ eſt conſeruare ſuppoſitum, & augmentatiuæ augere. Secundo ex ſubiecto, quia nutritiua agit in omnes partes, augmentatiua vero nõ ſemper agit in partes duriores, vnde videmus quod oſſa, & nerui creſcunt ad determinatum tempus. Tertio differunt ex parte virtutis, quia augmentatiua maiorem requirit virtutem, quam nutritiua, nã nutritiua tantum conſumit cibi, quantum ſufficit ad conſeruationem indiuidui, at augmentatiua vlterius progreditur, augendo indiuiduum. Quarto differunt in tempore, quia nutritiua nunquam deficit niſi in fine vitæ, at augmentatiua ceſſat in quodam determinato tempore. Quinto differunt, quia nutritiua reſpicit ſubſtantiam, & augmentatiua quãtitatem; Sexto, quia nutritio fit ſecundum omnem dimenſionem, augmentatio vero magis ſecundum longitudinem.

Septimo notandum, quod nutriti-

ordinantur ad generatiuā. ua, & augmentatiua ad generatiuam ordinantur, nam nutritiua nutrit, vt rem perducat ad tantam quantitatem, vt poſſit generare, & ſic ſpeciem conſeruare.

Seminatiua duplex Octauo notandum, quod duplex eſt generatiua. Prima dicitur ſeminatiua, quæ ſemen generat, ex ſuperfluo alimenti, & hæc reperitur in corpore ſubiectiue, Secunda dicitur formatiua, & hæc reperitur in ſemine, quoniā ſemen attrahit ſanguinem menſtruū mulieris, & in ipſum agit, vt totum corpus formet. Ne credas tamen me cum Hypocrate lib. de genitura, & Alberto Magno hic, cap. 7. tenere, ſemen habere virtutem ſeminatiuam, in toto corpore diffuſam, & ex omnibus eius partibus ſemen attrahi. Hoc enim eſt contra Ariſtotelem, lib. 1. de generatione animalium, cap. 17. & Galenū lib. de ſemine, & eſt contra experientiam, quia arbores in determinata parte ſemen generant, & animalia in determinata parte lac, ſanguinem, &c. producunt.

Concluſiones probātur. Quoad ſecundum principale. Prima concluſio eſt. Vis nutritiua, & augmentatiua realiter diſtinguuntur. Probatur primo. Cauſa, & effectus diſtinguuntur realiter; At nutritiua cauſat augmentum. Ergo &c. Maior patet, quia ratio cauſæ realis, eſt diuerſa a ratione effectus realis. Minor nota eſt, quia ſi nutritiua non nutriret, augmentatiuę non augeret, vnde nutritiua ordinatur ad augmentatiuam, & ambæ ad generatiuam. Confirmatur. Quia & ſi anima intellectiua in homine omnes actus, & officia ſenſitiuæ, & vegetatiuæ præſtet, ab illis tamen in operibus potentiarum dicitur diſtincta, nā intelligere, & ſentire in homine realiter diſtinguuntur, quia ſunt per potentias diſtinctas realiter. Ita dicas, quod & ſi vegetatiua det nutrire, augere, & generare, attamen hoc non facit per vnam potentiam, ſed per tres, vt hic aſſerit Ariſtoteles.

Secundo. Illę potentiæ realiter diſtinguūtur, quæ habent actus proprios, fines diſtinctos, & differentias diuerſas; At ſic ſunt nutritiua, & augmentatiua, Ergo &c. Maior eſt nota. Minor patet ex ſupradictis, nam nutritiua nutrit, & ſemper, augmentatiua auget, ſed non ſemper &c.

Secunda concluſio. Nutritiua, augmentatiua, & generatiua diſtinguuntur realiter, hæc patet ex fundamentis, & ex particulari organo.

Argumēta ſoluuntur. Ad primum reſp. Caiet. quod Philoſ. per nutritiuam intelligit vegetatiuam, quæ non ponit in numerum cum alijs, ſicut genus non ponit in numerum cum ſpeciebus, vt animal, cum homine, vnde non dicimus hominem eſſe duo animalia ſeorſum, ſed in vno. Hæc reſponſio diſplicet multis, quia S.D. ibi nutritiuam pro nutritiua accipit, & non pro vegetatiua, quæ ſub ſe continet tres enumeratas potentias. At ego non video quomodo iſti aſſeuerent S.D. dicere, quod per nutritiuam non poſſit intelligi vegetatiua accommode, cum clare conſtet nutritiuam, & generatiuam diſtingui. Secundo reſpondetur, quod nutritiua, & generatiua ſunt idem radicaliter, non quidem ſubiectiue, ſed radice, quia fundantur in vna anima vegetatiua, realiter vero, & actualiter diſtinguuntur per proprios actus. &c. vt ſupra. Vel dicas eas eſſe vnā potentiā obiectiue, quia reſpiciunt idem obiectum, ſed materiale nam per formale diſtinguuntur.

Ad ſecundum negatur minor, quia nutritio dicit generationem nouæ ſubſtantiæ ſecundum partem, & generatio ſecundum totum, vt ſupra explicatum eſt, & ideo nutritiua vt nutrit, nō valet ſine augumentatiua augere, nec ſine generatiua generare, ordinate.

Ad tertiū dicimus, quod omne augmentum cum per ſe primo ſit ab augmentatiua, ideo non poteſt dari augmen-

mentum ſine ea; vnde hæ potentiæ ſe comitātur ſecundum modum quem habent, pro hoc, vel illo tempore.

Ad quartum dicendum, quod potentiæ diſtinguuntur per obiecta formalia, alimentum autem vt ſic, eſt eorum obiectum materiale.

Ad quintum diximus, quod nutritio eſt motus ad ſubſtantiam ſecundū partem, & generatio ſecūdum totum. Secundo dicitur, quod hic motus eſt permixtus, cum motu ad ſubſtantiam, qualitatem, & quantitatem, nam cibus vt alteratur habet motum qualitatis, vt augetur in carnem quantitatis, & vt apponit nouam ſubſtantiam, ſubſtantiæ. Si autem quis quærat, an ſemē ſit animatum. Dicito cum Ariſtotele hic, textu 10. & S. Doctore. p.p. quæſt. 119. art. vltimo, & 2. contra gen. cap 89. quod eſt animatum in potentia. Sed hoc intelligo, vt ordinatur ad nouam animam, & non reſpectu ſubiecti a quo deciditur, quia in eo, ſuo modo viuit, ſ. vita animæ vegeratiuæ, non ſenſitiuæ, vel intellectiuæ.

Ad ſextum negatur minor, cum differant ſecundum diuerſas rationes formales, vt ſupra explicatum eſt. Secundo dico, quod magis, & minus ſecundum gradus accidentales non diuerſificant ſpeciem, v g. magis calidum, & minus calidum non diuerſificant caliditatem, ac magis, & minus ſecundum diuerſos gradus eſſentiales, diuerſificant ſpeciem, v.g. intelligere Angeli & intelligere hominis, & hoc magis, & minus ſeruantur in propoſito.

Ad ſeptimum dictum eſt, quod generatiua totum animat, & nutritiua partes, generatiua organizat, & nutritiua ſupponit corpus organizatum, vel organizandum.

Ad octauum dicitur, quod habent diuerſos actus, ſed ſubordinatos, vt explicatum eſt.

LECTIO XXIII.

QVAESTIO XVI.

Vtrum alitum patiatur a nutrimento.

Videtur quod ſic. Nam contraria agunt, & patiuntur adinuicem; Hæc ſunt contraria, vt ſupra. Ergo.

Secundo. Experimur nos multum laborare ſtomaco, in concoctione cibi duræ digeſtionis, Ergo &c.

Tertio. Secundum Philoſoph. alimentum comparatur alito, ſicut aqua comparatur vino; Sed aqua debilitat vinum. Igitur.

Reſpondet Caietanus, quod alimētum concoctum patitur ab alito, dum ipſum conuertit in ſuam ſubſtantiam; Sed alitum non patitur ab alimento in fine digeſtionis, quia tunc alimentum eſt ſimile alito, nihil autem eſt quod patiatur a ſuo ſimile. Sed contra Caietanū inſtat Iauellus, quia Philoſ. in textu 45. aſſeruit, alitum non pati ab alimento, nullam mentionem faciendo de alimento cocto, vel non cocto. Sed erat, quia Philoſ. ibi mouet dubiū, quod poſtea determinat dicēdo, quod alimentum, & alitum ſunt contraria in principio, i. antequam alimentum ſit concoctum, ſed non in fine, i. dum alimentum concoctum eſt, & per hoc patet ad argumenta, concludunt enim quod ſunt contraria, & difficilia in principio digeſtionis, in quo comparantur vt acqua, & vinum, non autem in fine.

Alitum patitur a nutrimento in prīcipio, non in fine.

LECTIO XXIIII.

S.D. 10.

Hoc eſt quintum capitulum, in quo Philoſ. agit de ſenſibus in communi. In examine ergo lectionis deci-

mæ S.D.& textuum Ariſt. tria a nobis agenda ſunt. Primum explicabimus literam Philoſ. Secundum aliqua circa ipſam annotabimus, & tertio circa eam dubitabimus.

Quoad primum ergo, primo habet Philoſ. quod poſtquam determinauit de anima vegetatiua, quot ſint eius operationes, & potentiæ, & quomodo diſtinguantur, hic intendit tractare de ſenſibus in communi, & deinde in particulari. Duo autem hic aſſumit, ſuperius tractata de ſenſibus. Primum eſt, quod in hoc differunt potentiæ, vegetatiua, & ſenſitiua, quod vegetatiua non patitur a ſuo obiecto, i. ab alimento, quapropter non dicitur potentia paſſiua, ſed potentia ſenſitiua patitur a ſuo obiecto, vnde dicitur paſſiua; nam viſus non eſt qui agat in colores, ſed color eſt qui agit in uiſum, quod tali ratione probat. Quod alteratur, patitur; Sed potentia ſenſitiua alteratur a ſuo obiecto. Ergo patitur.

Secundum eſt, quod aliqui dicebant ſimilē pati a ſimili, cognoſci, & ſentiri, & ideo Empedocles dicebat, quod terra, terra cognoſcitur, & ignis, igne, ſed de his iam dixit in libris de generatione, & corruptione videlicet, quod id quod patitur in principio, eſt diſſimile agenti, ſed in fine fit ei ſimile, ſicut dictum eſt de alimento.

Secundo mouet dubium, quomodo ſenſus non agat in ſeipſum, & cur v.g. auditus non ſe audiat, nec oculus ſe videat, nec tactus ſe ſentiat.

Senſus eſt potentia paſſiua. Reſpondet autem dubio dicendo, hoc prouenire, quia ſenſus ſunt potentiæ paſſiuæ, reducendæ ad actum ab extrinſeco agente, ſicut combuſtiuum in potentia a ſeipſo nō comburitur, ſed ab exteriori combuſtiuo, & ita auditus non mouetur niſi a ſono, & viſus a colore, & ſic de cæteris. Secundo tamen explicat, quomodo ſenſus ſit in potentia dicendo, hoc poſſe dupliciter intelligi. Primo in actu primo, & in potentia ad actum ſecundum. Secūdo iñ potentia ad vtrunque, de qua re infra.

Vltimo docet, quomodo aliquid dicatur pati a diſſimili, ſ. in principio, & quodammodo a ſimili, i. in fine.

Quoad ſecundum primo notandū eſt, quod tactus dicatur ſe ſentire, hoc bifariam poteſt intelligi. Primo, vniuerſaliter, ita vt generaliter dicatur ſēſus tactus ſe ſentire, & hoc falſum eſt, cum tactus ſit potentia paſſiua. Secundo particulariter, reſpectu alicuius qualitatis, & hoc verum eſt, quod per vnā partem aliam ſentit, vnde infirmus ſentit ardorem febris, per ſanguinē ebullientem, nam ſenſus tactus eſt in neruis, ſanguis autem feruens, & alij humores agunt in neruos, vbi tactus reſidet. Item pars male ſe habens agit in partem bene ſe habentem, eam alterādo; hinc cum febris a ſanguine recedit, & conglutinatur cū neruis, carnibus, & oſſibus, tunc non ſentitur, & fit peſſima febris, i. ethica. *Tactus aliquomodo agit in ſeipſum.*

Secundo notandum circa illam conſequentiam, quam facit Philoſ. ſ. Si ſenſus tactus eſſet actiuus, ageret in ſe ipſum, quod hoc poteſt tripliciter intelligi. Primo vt intelligatur tunc ſenſus agere in ſe ipſum. Secundo vt intelligatur terminari actione immanente ad ſe ipſum. Tertio vt intelligatur a ſe ipſo pati, quia ageret, & pateretur a ſe ipſo. Duo primi ſenſus non ſunt intenti a Philoſ. ſed tertius, vt probat exemplum combuſtibilis, & quia aſſumitur quod tunc ſenſus ſimul eſſet actiuus, & paſſiuus.

QVAESTIO XVII.

Vtrum ſenſus ſit potentia paſſiua.

Videtur quod non. Nam potentia ſenſitiua eſt nobilior vegetatiua; Sed vegetatiua eſt actiua, & nobilius eſt agere, quam pati. Ergo.

Secundo. Materiale non poteſt agere in

te in immateriale; Sed res ſenſibiles ſunt materiales, & potentia ſenſitiua aliquo modo eſt immaterialis. Ergo.

Tertio. Senſus iudicat de ſenſibili; Sed iudicare eſt agere. Ergo eſt actiuus.

Quarto. Oculi menſtruatę ſpeculum inficiunt, & oculi baſiliſchi hominem interficiunt; Ergo ſenſus viſus agit.

Quinto. Quilibet ſenſus ſuas operationes producit, viſus viſionem, auditus auditionem &c. Igitur actiui ſunt.

Sexto. Senſus ſunt formæ. Igitur agunt. Probatur ſequela, quia forma eſt actiua, ſicut materia eſt paſſiua.

Potentia duplex. Pro deciſione ergo quæſtionis, notandum eſt primo, quod duplex eſt potentia. Prima dicitur actiua, quæ dicitur principium tranſmutandi aliud actiue, in quantum aliud. Secunda dicitur paſſiua, quæ ponitur principium tranſmutandi paſiue, i. vt poſſit tranſmutari, v.g. calor ignis receptus in manu dicitur potentia actiua, quia calefacit manum, manus autem dicitur potentia paſſiua, i. calefacta, & ita coloratum, quia cauſat viſionem, dicitur principium actiuum, & potentia viſiua dicitur principium paſſiuum, quia recipit ſpeciem colorati, qua mediante producit viſionem.

Senſus dicitur pati paſſione perfectiua. Secundo notandum, quod aliqua dicantur pati ſtat tripliciter. Primo per remotionem rei a ſua naturali diſpoſitione, vt dum aqua per calorem remouetur a ſua naturali frigiditate. Secundo per remotionem a forma conuenienti, vt dum homo remouetur a ſanitate, vel per remotionem ab inconuenienti, vt dum remouetur ab infirmitate, & reducitur ad ſanitatem. Tertio non per remotionem alicuius rei, ſed per receptionē, ita vt id quod erat in potentia ad aliquē actum, ſine abiectione alicuius illum recipiat, & hoc tertio modo ſenſus dicitur pati, & eſſe potentia paſſiua, v.g. viſus dicitur in potentia ad videndum coloratum, dū autem recipit ſpeciem colorati, ſine abiectione alicuius dicitur conſtitui in actu. Vel dicendum, quod duplex eſt paſſio, ſ. corruptiua, quæ eſt cum abiectione, & perfectiua, quæ eſt cum receptione actus, & hoc modo ſenſus dicuntur potentiæ paſſiuæ.

In ordine ad actum ſecundū. Tertio notandum, quod duplex eſt potentia paſſiua. Prima dicitur abſolute paſſiua, quia ſolum eſt in potentia, & nullo modo in actu. Secunda dicitur paſſiua ſecundum aliquid, i. reſpectu talis actus, vel obiecti. Primo modo ſenſus non dicitur potentia paſſiua, nam vt infra probabitur eſt in actu primo, & ſolum in potentia ad actum ſecundum. Dicitur ergo potentia ſecundo modo, i. reſpectu obiecti, quia per obiectum conſtituitur in actu, nam auditus non audit niſi per ſonum, nec viſus videt niſi per coloratum.

Viſio fit intramittendo. Quarto igitur notandum, quod Plato & Ariſt. in hoc contrarij ſunt, quod Plato tenuit viſionem fieri extra mittendo, credebat enim ex oculis quaſdam virtutes exire, quibus mediantibus fit viſio. Sed Ariſt. contrarium tenuit. i. quod viſio fiat intramittendo, i. ex receptione ſpeciei in virtute viſiua, v.g. dum video lapidem, viſio lapidis cauſatur a ſpecie eius in oculo impreſſa. Secundum ergo Ariſt. cum ſenſatio fiat pro intromiſſionem, deducitur quod ſenſus eſt potentia paſſiua, vnde ſi vera eſſet opinio Platonis, ſenſus eſſet potentia actiua, & non paſſiua.

Quinto notandum, quod ſenſus, ſeu potentia ſenſitiua dupliciter poteſt cōſiderari. Primo ante receptionem ſpeciei ab obiecto, & ſic concurrit tantum paſſiue, quia tunc ſolum recipit ſpeciē; Secundo poſt receptionem ſpeciei, & ſic aliquo modo, concurrit actiue, exēplij gratia. Aqua dupliciter conſiderari poteſt. Primo antequam ſit calida, & ſic

ſic ſolum paſſiuę recipit calorem. Secũdo vt iam eſt calefacta, & ſic medio calore calefacit, & ita in propoſito dic de ſenſibus.

Concluſiones probãtur. Quo ad ſecundum principale. Prima concluſio eſt. Senſus ſunt potentiæ paſſiuæ. Probatur primo. Si ſenſus non eſſet potentia paſſiua, ſed actiua, poſſet producere actionem ſine exteriori obiecto. Hoc falſum, nam auditus non audit niſi per ſonum, olfactus odore alteratur &c. vt ſupra. Ergo.

Secundo. Potentia comparata obiecto, ei comparatur vt paſſiuum actiuo, nam obiectum non patitur a pótentia. Ergo.

Secunda concluſio eſt. Potentiæ ſenſitiuæ ſunt aliquo modo actiuæ. Probatur. Operatio denominans actiue, eſt actiua; Sed dicimus quod oculus videt, auditus audit &c. Ergo.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum. Reſpondeo ad probationem minoris, ſ. quod actiuum ſit nobilius paſſiuo, quod hæc propoſitio nõ eſt vera abſolute, nam intellectus poſſibilis, qui eſt paſſiuus eſt nobilior vegetatiua; Intelligitur ergo, quod ſit nobilius paſſiuo ſui generis, vnde actiuum animæ vegetatiuæ, eſt nobilius paſſiuo eiuſdem animæ; ſed non animæ ſenſitiuæ, quæ eſt alterius generis.

Ad ſecundum, Reſpondetur ad minorem, quod res materiales agunt in ſenſus per ſpecies ſpirituales, non enim lapis viſus recipitur in oculo, ſed ſpecies lapidis.

Ad tertium dicimus, quod ſenſus non iudicat ex ſe ipſo, ſed ex obiecto, non enim tactus ſentit calorem, niſi ex calore.

Ad quartum dicimus, quod oculi menſtruatę, & baſiliſchi dupliciter conſiderari poſſunt. Primo vt potẽtiæ viſiuæ, & ſic ſolum concurrunt paſſiuæ; Secundo vt corpora phyſica, quibuſdam ſpiritib. ſubtilibus aerem corrumpentibus, affecta, & ſic agunt actiuæ, ſed nos loquimur primo modo.

Ad quintum dicendum, quod reſpectu obiecti ſunt paſſiuæ, ſed reſpectu productionis proprij actus, mediante ſpecie, ſunt actiuæ.

Ad ſextum dicendum, quod ſenſus dupliciter conſiderari poſſunt. Primo vt ſunt in actu primo, & ſic ſe habent vt formæ. Secundo vt ſunt in potentia ad obiectum, & ſic ſe habent vt potentiæ. Vel dicendum, quod ſe habent vt formæ, vt ſunt actuatę ſpeciebus obiectorum, & non ante.

QVAESTIO XVIII.

Secunda quæſtio oritur circa illam conſequentiam Philoſophi. Si ſenſus eſſet actiuus ſecundum ſe, ſentiret ſe, ſine exteriori ſenſibili. Videtur enim talis conſequẽtia non valere, quia multa ſunt, quæ habent potentiam actiuã, quæ tamen non agunt niſi extrinſeco obiecto præſente. Nam ignis habet de ſe virtutem combuſtiuam, & tamen non comburit, niſi ei appoſito combuſtibili.

Ad hoc dubium breuiter dicitur, quod Philoſ. ibi argumentatur contra Antiquos tenentes ſenſum eſſe actiuum, & paſſiuum ſecundum ſe, taliter quod ſecundum ſe poterat agere, & pati. Contra ergo hos Philoſ. tenuit ſenſum eſſe potentiãm paſſiuam, & nõ agere, niſi virtute ſpeciei ab obiecto receptæ. Sic ergo optime Philoſ. argumentatur contra Antiquos. Si ſenſus eſſet actiuus ſecundum ſe, ſe ſentiret. *Senſus ſi eſſet actiuus ſe ſentiret.* Hoc autem experientia conuincimur eſſe falſum. Ad argumentum ergo dicimus, quod ſi ignis ſimul haberet, & ſecundum ſe potentiam actiuam & paſſiuam ſe combureret, & ita ſi combuſtiuum haberet ſecundum ſe actiuã & paſſiuam potentiam, ſe abſque igne combureret, quia quatenus combuſtiuum eſt, ſe combureret vt combuſtibile, quod falſum eſſe cernimus.

LECTIO XXIV.

S.T. 11.

EX textu 55. in ſumma habemus, quod duplex eſt potentia, ſ. ad actum primum, & ad actum ſecundum, & quod illud quod reducitur de potentia ad actum pati dicitur, circa quæ plura ſunt dicenda.

Recipiens recipiēdo patitur.

Primo ergo notandum, quod ex textu habemus hanc concluſionem. Illud quod reducitur de potentia ad actum, dicitur pati. Probatur. Illud quod alterum recipit, illud recipiendo, patitur; At intellectus recipit ſpecies intelligibiles, & ſenſus ſenſibiles. Ergo eas recipiendo dicuntur pati.

Cum potētia.

Secundo ergo notandum, quod duplex eſt potentia. ſ. ad ſciendum, & ad ſentiendum. Prima dicitur potentia ſimpliciter, ſeu ad actum primum, prout talis dicitur intellectus, quando ſe habet vt tabula raſa, in qua nihil eſt pictum, i. ante receptionem oīum ſpecierum. Secunda dr̄ potentia ſecundū quid, ſeu ad actum ſecundum, quomodo intellectus informatus ſpeciebus intelligibilib. dicitur eſſe in potentia ad repræſentata per illas ſpecies intelligibiles, vt dum dormit, vel eis non attendit.

Differenter ad actum primum & ſecūdum.

Tertio notandum duplicem eſſe differentiam inter ea quæ ſunt in potentia ad actum primum, & ea quæ ſunt in potentia ad actum ſecundum. Prima eſt, quod quæ ſunt in potentia ad actum primum non poſſunt moueri, vel reduci ad actum, niſi ab extrinſeco agente, vt diſcipulus carens habitu ſcientiæ, non docetur niſi a Magiſtro. Quæ autem ſunt in potentia ad actum ſecundum, ſe ipſis poſſunt ſe reducere ad actum, vt habens habitum ſcientiæ, poteſt ſine alio magiſtro eo vti. Secunda differentia eſt, quod quæ ſunt in potentia ad actum primum, dum ad actū reducuntur, alterantur, & quandoque ex contrario habitu remouentur, vnde intellectus addiſcentis in principio redditur difficilis ad Philoſophica capienda, quæ autem ſunt in potentia ad actū ſecundum reducuntur ad actum abſque alteratione, & ſine remotione a contratio habitu.

Ignorātia duplex.

Quarto notandum, ſecundum S.D. in lectione, quod duplex eſt ignorantia intellectus. Prima dicitur ſimplicis negationis, quia conſiſtit in ſimplici negatione ſcientiæ, vt dum Petrus ignorat quid ſit roſa; Secunda dicitur prauæ diſpoſitionis, quia conſiſtit in errore, & peruicacitate, illam defendendi, vt ſi quis vellet defendere roſam nō eſſe florem, ſed lapidem. Ille qui primo modo fit ſciens ex ignorante, non mouetur ex contrario habitu poſitiue, ſed negatiue. At ille qui mouetur ex ignorantia prauæ diſpoſitionis, mouetur ad ſcientiam, ex contrario habitu.

Species actuāt intellectum.

Quinto notandum circa hoc, quod intellectus, & ſenſus dicuntur pati recipiendo ſuas ſpecies, quod hæc paſsio eſt talis communiter ſic dicta, quæ ſonat receptionem alicuius actus; vel formæ, non autem eſt paſsio proprie, quæ eſt cum abiectione propriæ perfectionis eſſentialis, vel accidentalis, vnde dicitur paſsio perfectiua; & non corruptiua, vt in præcedentibus notauimus, nā ſpecies actuant, & perficiunt ſenſum, & intellectum.

Et informant.

Sexto ſimiliter notandum, quod duplex eſt alteratio. Prima dicitur corruptiua, quia corrumpit, vel reijcit primam qualitatem, v.g. frigiditatem a manu, in ea inducendo aliam qualitatem, ſ. caliditatem. Secunda dicitur perfectiua, quia ſubiectum non mouetur ex contrario, ſed ex negatione, v.g. quia Petrus carens ſcientia fit ſciens; Alteratio primo modo eſt ſemper de contrario in contrarium per ſe, quia ad tertiam ſpeciem qualitatis, quæ eſt alteratio, eſt motus, qui eſt de contrario

in con-

in contrarium. At alteratio ſecundo modo, i. perfectiua, per ſe neceſſario non eſt ex contrario ſed permiſſiue, quia poteſt accidere, quod qui modo ſciētia imbuitur, prius fuerit in errore.

Septimo notat S.D. quod ille, qui reducitur ad actum primum ſcientiæ, reducitur ſemper ad actum ab eo quod eſt in actu, vel ab extrinſeco, vt a magiſtro, vel ab experientia, vel ab intrinſeco .i. a lumine intellectus agentis, vt accidit in inuentione ſcientiæ, vnde vera ſemper eſt hæc propoſitio. Quod qui reducitur de potentia ad actum, reducitur per ens in actu.

QVAESTIO XIX.

Vtrum neceſſe ſit ponere ſenſum agentem, ſicut ponimus intellectum agentem.

Videtur quod ſic. Primo. Quælibet potentia paſſiua reducitur ad actum, per aliquem agentem; Sed ſenſus ſunt potentiæ paſſiuæ; Ergo dandum eſt agens reducens eas de potentia ad actum. Nec valet reſpondere, quod reducuntur ad actum ab obiecto extrinſeco, i. a ſenſibili. Nam contra. Nihil poteſt agere vltra ſuam ſpeciem; Sed ſpecies recepta in ſenſu eſt ſpiritualis, & obiectum eſt quoddam materiale. Ergo ab eo non poteſt produci.

Secundo. Natura ſenſitiua partim eſt in potentia, & partim in actu. Ergo vt recipit ſpeciem, erat in potentia, & vt eam producit, erat in actu.

Tertio. Si non datur ſenſus agens, cui attribuitur ſenſatio? Non potentiæ paſſiuæ, quia eſſet actiua. Non ſpeciei ſenſibili, quia non dicimus ſpeciem videre, ſed hominem. Ergo ſenſui agenti attribuitur.

Pro reſolutione huius quæſtionis tria agenda ſunt. Primo ponenda ſunt aliqua notanda. Secundo aliquæ concluſiones probandæ. Tertio ſatisfaciendum eſt argumentis.

Opiniones. Quoad primum primo ſciendum eſt, quod de hac re ſunt duæ opiniones. Nam quidam tenent ſensū agentē (vt Apolliparis hic, quęſt. 13. & Iandunus quęſt. 16.) Alij illum negāt, vt S.D. & Thomiſtæ. Sed & primi in multas ſententias diuiſi ſunt. Nam quidam per ſenſum agentem intelligunt intelligentiam, orbem Lunæ mouentem, & in ſenſibus cauſantem ſenſationem; Alij dicunt, quod in anima ſunt quidam ſenſus actiui, & quidam paſſiui. Actiui autem ſunt illi, qui cauſant ſpeciem ſenſibilem in ſenſu; Alij dicunt, tot eſſe ſenſus agentes, quot patientes, vnde dicebant, quod datur auditus agens, & auditus patiens, & ſic diſcurrendo per alios ſenſus.

Obiectū imprimit ſpeciem. Secundo notandum, quod obiectū ſenſibile bifariam conſiderari poteſt. Primo vt eſt obiectum materiale, v.g. lapis, vt eſt lapis. Secundo vt imprimit; & agit in ſenſum per ſpeciem ſpiritualem, vt per ſpeciem lapidis. Primo modo obiectum non reducit potentiam ſenſitiuam ad actum, ſed ſecundo modo, i. per ſpeciem ſenſibilem, in ſenſu receptam.

Et cauſat ſenſationem. Tertio notandum, quod ſenſatio a duobus pendet, ſ. a ſenſu, & a ſpecie ſenſibili, vnde nec ſenſus præciſe, nec ſpecies præciſe producit ſenſationem, ſed vtrunque ſimul, i. ſpecies recepta in ſenſu tunc facit ſenſationem, nā v.g. viſio non eſt, niſi ſpecies colorati recipiatur in oculo.

Concluſiones probātur. Quoad ſecundum prima concluſio eſt. Non datur ſenſus agens, qui ſit ſubſtantia ſeparata. Probatur primo. Indigens aliquo extrinſeco ad hoc vt moueatur, non poteſt quocunque præſente moueri; Sed ſenſus præſentibus ſenſibilibus, abſque alio extrinſeco mouēte mouentur .i. operantur ſuis proprijs operationibus. Ergo.

Secundo. Quia vel mouentur libere, vel ex neceſſitate; Si primum, ergo

ſenſus non poterit ſemper ſentire, niſi quando illa intelligentia vult; Si ſecundum; ergo ſenſus poteſt ſubijcere neceſsitati intelligentiam.

Secunda concluſio. Non datur in Anima potentia ſenſitiua actiua. Probatur primò. Quia Philoſ. nullam de ea fecit mentionem, ſed tantum de obiecto, & medio. Secundo non bene dicimus oculum agere in coloratum, nec auditum in campanam ſonantem. Ergo.

Tertia concluſio. Non datur ſenſus agens. Probatur primo, Philoſ. ponens diſcrimen inter intellectum, & ſenſū dicit eos differre, quod obiectum intellectus mouet intellectū ab intra, obiectum vero ſenſuum mouet ab extra. Ergo mouens ſenſum, eſt extrinſecum, & non ſenſus agens, intrinſecum.

Secundo. Fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora, & ęque bene, Sed ſenſatio ęque bene cauſatur ab obiecto. Ergo.

Argumēta ſoluuntur. Ad primum admittimus reſponſionem ibi datam, & ad replicam dicimus, quod obiectum materiale bifariam ſpectari poteſt. Primo ſecundum ſuam materialitatem. Secundo ſecundum quod per ſpeciem participat naturam ſuperioris immaterialis, & hoc ſecundo modo materiale producit immateriale, ſicut contingit in propoſito. Secundo dico, quod ſenſatio producitur ab obiecto, non ſecundum ſe, ſed per ſpeciem, quæ eſt ſpiritualis.

Ad ſecundum dicitur, quod potentia ſenſitiua ſecundum ſe eſt potentia, & vt recipit ſpeciem ab obiectoconſtitui ur in actu, vt ſupra.

Ad tertium dicendum, quod ſenſatio attribuitur potentiæ, & ſpeciei, ſed ſimul, & nō præciſe, vt diximus ſupra; Patet ergo, quod non datur ſenſus agens, & datur intellectus agens; propterea quod intellectus recipit ſpecies intelligibiles vniuerſales, & quia obiecta a quibus eliciuntur, ſingularia, & materialia ſunt, ideo fuit neceſſarius intellectus agens, qui denudaret has res a conditionibus materialibus, & offerret intellectui poſsibili. Senſus autem mouetur ab obiecto ſingulari ſenſibili, & extrinſeco, quia ſenſatio terminatur ad rem, vt in ſe eſt, & intellectio ad rem vt ad intra eſt, ideo neceſſe fuit ponere intellectum agentem, ſed non ſenſum agentem, qui repræſentaret res ſine conditionibus materialibus, & vniuerſaliter.

QVAESTIO XX.

Secunda dubitatio accidit circa illam propoſitionem. Quod ſcientia ſenſibilium non poteſt in actum exire, ſine exteriori ſenſibili.

Contra arguitur. Quia, aut hoc intelligitur de ſingulari extrinſeco, in ſe ipſo, aut vt eſt in phantaſia. Si primū, hoc eſt falſum, nam intelligo roſam abſentem; Si ſecundum, hoc non eſt quid peculiare ſenſui, quia anima nihil intelligit pro hoc ſtatu, niſi conuertendo ſe ad phantaſmata.

Ars ſenſibilium nō exit in actum niſi per exterius ſenſibile. Ad hoc reſpondetur, quod per ſcientiam ſenſibilium duo poſſumus intelligere .ſ. vel ſcientificum habitum de ſenſibilibus, vel habitum intellectualem, qui dicitur ars. Si primum, Philoſ. hoc relinquit notificandum in ſequentibus; Si ſecundum (prout tenendum eſt Philoſ. eſſe loquutum,) patet quod ſcientia ſenſibilium .i. ars, quæ verſatur circa ſingularia non exit in actum ſine exteriori ſenſibili, v.g. ars ædificatiua, ſine his lapidibus, lignis &c.

LECTIO XXV. S. D. 12.

Intellectus differt a ſenſu. Hic Philoſ. oſtendit quomodo ſenſus dicatur eſſe in potentia. Primo ergo ponit diſcrimen, & conuenientiam inter intellectum, & ſenſum, dicendo, quod in hoc conueniunt, quod

N intel-

intelligere, & ſentire dicuntur paſſiones, & pati. Differũt vero, quia Senſus ponitur in actu primo, non per ſpeciẽ ſenſibilem, nouiter impreſſam, ſed a generante ipſo, vnde ſenſus ſemper eſt in actu primo. At itellectus cõſtituitur in actu primo non a generante, ſed a ſpecie intelligibili, & ponitur in actu ſecundo per ipſum conſiderare, & intelligere in actu. Secundo differunt, quia obiectum intellectus eſt vniuerſale, quod ſemper per ſpeciem eſt in intellectu, & ideo intellectus poſitus in actu primo per ſpeciem, poteſt ſemper intelligere obiectum per eam repræſentatum, ſed obiecta ſenſuum sũt ſingularia ad extra, & ideo quamuis ſenſus ſit in actu primo, non tamen poteſt ſemper ſentire, niſi ei fiat præſens obiectum, v.g. oculus non poteſt videre parietem coloratum, etiam ſi millies illum vidiſſet, niſi modo ſit illi pręſens.

Potentia remota, & proxima. Secundo dicit duplicem eſſe potentiam, ſ. remotam, & proximam. Remota eſt, quæ maxime diſtat ab actu, vt quod puer militet. Proxima eſt, quę poteſt exire in actum, vt quod vir factus poteſt militare. Ita in propoſito, ſenſus eſt in potentia remota dum a generante conſtituitur in actu primo, at in proxima potentia fit, dum poteſt exire in actum per obiectum præſens.

Senſus eſt in potẽtia ſolum ad actum ſecundum. Circa ſupradictà ergo, primo notandum eſt, quod dupliciter quis dicitur in potentia ad ſentiendum. Primo remote, vt dum eſt in potentia ad actum primum, vt eſt ille, qui nondum genitus eſt, & de hac potentia reducitur ad actum per generantem, & generationem. Secundo modo proxime, vt dum ſolum eſt in potentia ad actum ſecundum, quia. ſ. habet ſenſum, ſed actu non ſentit, & ad hunc actum ſecundũ reducitur per præſentiam obiecti. Intentio ergo Philoſ. eſt, quod omnis habens ſenſum non eſt in potentia ad actum primum ſentiendi, ſed ſolum ad ſecundum.

Et eſt ſingulariũ. Secundo notandum circa alteram propoſitionem, a Philoſ. aſſumptam, & a D.T. examinatam. ſ. Quod ſenſus eſt ſingularium, & ſcientia vniuerſalium. Quod enim ſenſus ſit ſingulariũ ſtat dupliciter. Primo tanquam obiectorum, & hoc falſum eſt, quia obiectũ ſenſuum eſt vniuerſale, ſicut obiectum viſus eſt coloratum, auditus ſonorum &c. & non hoc ſonorum; vel illud coloratum, vnde ſimul poſſumus videre multa colorata, & audire multa ſonora. Secundo tanquam rationis ſub qua obiectum attingitur, & hoc verum eſt, quia viſus non videt coloratum, niſi ratione huius, vel illius colorati. Ita pariter quod intellectus ſit vniuerſaliũ ſtat dupliciter. Primo vniuerſalitatum, i. ſecundarum intentionum, & hoc falſum eſt. Secundo rerum vniuerſaliũ, vt obiectorum, & vniuerſalitatum tanquam conditionum, ſine quibus illæ naturæ non intelligerentur, & hoc verum eſt, vt explicuimus in 9. cap. primi Poſt.

Non vniuerſalitatum. Tertio tamen notandum, quod ſenſus feratur in vniuerſale tanquam in obiectum dupliciter poteſt intelligi. Primo vt vniuerſale eſt quædam natura, & ſic eſt verum. Secundo vt eſt quę dã intentio vniuerſalis, & ſic nullo modo ſẽſus poteſt eſſe vniuerſaliũ, ſicut aliquo modo diximus eſſe intellectum.

QVAESTIO XXI.

Vtrum ſenſus ſit ſolum in potentia ad actum ſecundum.

Videtur quod non; ſed quod etiam ſit in potẽtia ad actum primum. Nam ſenſus per Ariſt. eſt receptiuus ſpecierum ſine materia, aut igitur ſpecies conſtituunt ſenſum in actu primo, aut ſolum in ſecundo. Si primum habemus intentum. Si ſecundum, cum ſpecies ſit prior ſenſatione; Igitur conſtituet ſenſum in actum primum,

mo, & ſenſatio in ſecundo.

Secundo. Agens exiſtens in actu primo illico poteſt operari, niſi impediatur vnde intellectus cõſtitutus in actu primo per ſpeciẽ lapidis poteſt toties, quoties vult lapidem intelligere; Sed ſenſus non poteſt operari, niſi actuetur ſpecie obiecti. Ergo.

Tertio, arguitur quod ſenſus non ſint potentiæ paſſiuæ, vt contra fundamentum quæſtionis. Nam ratio agentis, vt eſt ratio agentis, eſt nobilior ratione patientis, vt patiens eſt. Ergo quidquid eſſentialiter clauditur ſub ratione, agentis, erit nobilior eo, quod clauditur ſub ratione patientis; Sed vegetatiua reperitur ſub ratione agentis, & ſenſitiua ſub ratione patientis. Igitur ſimpliciter vegetatiua erit nobilior ſenſitiua, quod tamen eſt falſum.

Quarto. Opera vitæ non procedunt niſi ab actiuo; Sed videre, audire &c. ſunt opera vitæ. Igitur dimanant a formis actiuis.

Pro reſolutione huius quæſtionis. Primo aliqua notabimus. Secundo loco ponemus multas concluſiones, & probabimus, & Tertio loco argumenta diluemus.

Opiniones. Quo ad primum ergo primo aduertendum eſt circa hanc quæſtionem multas extitiſſe opiniones. Prima fuit Plotini, & Simplicij in ſecũdo de Anima dicentium, Animã eſſe principium ſenſationis, & ſpeciem obiecti ſolum concurrere ad expergeſaciendum animum ad ſentiendum, animam vero (vt dixi) per potentias ſibi inhærentes eſſe illam, quæ videt, audit, ſentit.

Secunda ſententia Alberto in ſumma de homine, & Caietano Tienenſi attributa fuit, potentiam ſenſitiuam ante, & poſt receptionem ſpeciei ſemper concurrere paſſiue, adeo vt potentia ſemper eſſet paſſiua, & ſpecies principium actiuum operationis, i. ſenſationis.

Tertia fuit Iauduni, & Appolinaris inquientium, in ſenſu duas eſſe rationes, ſ. actiuam .i. ſenſum agentem, & paſſiuam, i. ſenſum patientem, taliter quod ſenſus reſpectu ſenſus agẽtis erat actiuus, & reſpectu patientis paſſiuus.

Quarta eſt Toleti in præſenti loco, tenentis ſpeciem eſſe neceſſariam ad ſenſationem antecedenter, ex quo ſenſus eſt paſſiuus, quia tũc recipit ſpeciẽ; ſed poſt eius receptionem, cum ſenſus iam factus ſit in actu per ſpeciem, tunc ſe ipſo abſque ſpecie agit, taliter quod non mediante ſpecie, ſed ſe ipſo ſenſationem producit.

Quinta ſententia a Toleto, Caietano aſcripta, quæ tamen non eſt vera ſẽtentia Caietani, nec hic, nec prima p.q. 79. art. 2. fuit, ipſam receptionem ſpeciei eſſe ſenſationem, ita vt non prius concurrat ſpecies vt accidens, & deinde potentia eliciat actum, ſed ipſamet receptio ſpeciei eſt ſenſatio, v.g. dum ſpecies albi in oculo imprimitur, ipſa impreſſio viſionem cauſat, immo erat ipſamet viſio. Quę ſententia fuit Aegidij, & quorundam aliorum.

Sexta igitur ſententia, quæ eſt vera, habetur a S. D. p.p. q. 66. artic. p. & a Caietano locis citatis, quæ etiam eſt Ferrarienſis, ſecundo contra Gentes c. 57. & Scoti in 3. quæſt. 4. art. 2. & Capreoli ibidem. Hi inquam omnes defendunt potentiam ſenſitiuam ante receptionem ſpeciei paſſiue concurrere, & poſt receptionem actiue, adeo vt actio ſenſus, prius ſupponat paſſionem.

Secundo igitur notandum, quod ſẽſus vtm diximus, prout ens eſt, & corpus phiſicum habet rationem actiui, ſed vt potentia dicitur, & in genere cognoſcibilium, dicitur habere rationem paſſiui, prout per ſupradicta explicatum fuit. *Senſus eſt paſſiuus.*

Tertio notandum, quod bifariam poſſumus intelligere ſenſum eſſe potentiam paſſiuam. Primo modo vt paſſiuum diſtinguitur cõtra actiuam, quia *Reſpectu ſui obiecti.*

potentia paſſiua nullo modo eſt actiua, & hoc modo ſenſus non dicitur potentia paſſiua, quia poſt receptionẽ ſpeciei concurrit actiue. Secundo vt potentia comparatur obiecto, ita vt obiectum habeat rationem actiui, & potentia paſſiui, & hoc verum eſt. Nam hæc eſt differentia inter potentias vegetatiuas, & ſenſitiuas, quod vegetatiuæ ſuo obiecto comparatæ habent rationem actiui, quia agunt in alimentum, ſenſitiuæ vero habent rationem paſſiui, quia obiectum per ſpecies elicit actionem, & operationem potentiæ.

Formaliter iudicã do ipſum.

Quarto notandum venit, quod in ſenſatione duplex eſt motus. Primus eſt quo transmutatur ſenſus a ſenſibili in receptione ſpeciei, & hic motus eſt pati, ſed non eſt ſenſatio. Secundus eſt quo ſenſus ſuum ſenſibile percipit, & cognoſcit. Imaginandum eſt enim quod ſenſus ſit potentia paſſiua reſpectu obiecti ſui, vnde cum primo mutatur, patitur, non tamen tunc iudicat ſenſibile, quare non vocatur ſenſatio, & ideo poſt receptionem ſpeciei cũ ſenſus percipit, & iudicat ſuum ſenſibile, tunc fit ſenſatio, quapropter primus motus ſenſus dicitur pati (quod requiritur neceſſario antecedenter ad ſenſationem.) Secundus vero motus id eſt iuditium de ſuo ſenſibile dicitur ſenſatio formaliter.

Concluſiones probã tur.

Quoad ſecundum prima concluſio eſt contra primam opinionem .ſ. Anima non eſt principium proximum ſenſationis. Probatur primo. Anima ſemper eodem modo ſe habet reſpectu ſpecierum ſenſibilium. Ergo vel ſemper dormiret, vel expergefacta non cauſaret ſenſationem. Patet. Quia ipſa ponitur principium ſenſationis.

Secundo. Anima eſt actiuum principium eſſendi potentiæ, & ſenſationis. Igitur ſicut non indiget expergefactiuo vt det eſſe, ita nec vt det operari: nã non videmus quomodo in corpore ſoporata, indigeat expergefactiuis.

Secunda concluſio contra ſecundã opinionem eſt. Potentia non concurrit ſemper mere paſſiue ad ſenſationẽ. Probatur primo. Principium actionis vitalis, vitale eſt. At ſenſatio eſt principium vitale, & hoc per potentiam vitalem. Igitur.

Secundo. Forma accidẽtalis non poteſt agere niſi mediante materia in qua recipitur. At ſpecies eſt forma accidentalis. Ergo agit medianre potentia. Igitur potentia actiua concurrit[illegible]

Tertio. Si ſpecies eſſet totale principium ſenſationis, & nullo modo concurreret potentia paſſiua, actiue, inepte diceremus oculum videre, & aurem audire &c. non enim dicimus ſpeciem exiſtentem in potentia operari, ſed potentiam ipſam per ſpeciem, ergo [illegible]

Tertia concluſio contra tertiam opinionem eſt. Non datur ſenſus agens. Hæc ſatis ſupra probata fuit.

Quarta concluſio contra quartam opinionem eſt. Potentia etiam poſt receptionem ſpecierũ præciſe non concurrit actiue, ita vt ſe ipſa dicatur agere. Probatur primo. Illa potentia, quæ de potentia tranſit ad actum, ad cum tranſit, vt agat; At talis eſt potentia ſenſitiua, quæ per ſpeciem tranſit ad actũ. Ergo vt per actu agat. Probatur quia actus eſt principium actiuum potentiæ, vt omnis Philoſophia ſuadet, & vt patet in corpore; nam corpus recepta anima, nõ ſeipſo agit, ſed per animam.

Secundo. Si ſpecies ſolum informaret ſenſum, & non eſſet principium ſẽſationis, ſpecies non eſſet ſpecies, i. imago repræſenſatiua; Hoc falſum, cum ſpecies ſit repræſentatiua obiecti. Igitur debet elicere ſenſationem. Confirmatur, quia ſic ſolum informaret ſenſum, & non repræſentaret obiectum, rapræſentat enim illud, vt principium ei ſimile.

Quinta concluſio eſt. Receptio ſpeciei non eſt ipſamet ſenſatio. Probatur primo. Nam potentia diuerſimode

fertur

fertur in obiectum propinquum, & remotum; At ſi receptio ſpeciei ſola eſſet ſenſatio, eodem modo fereretur in obiectum propinquum, & remotum, quia ſola receptio cauſaret ſenſationē.

Secundo. Qñ ſpecies recipitur, potētia actuatur, & nō in aliud tēdit, quia potentia eodem actu non patitur, & agit; At ſenſatio fit dum potentia tendit in obiectum, ipſum iudicando. Ergo.

Sexta concluſio. Actio Potentiæ ſenſitiuæ mediante ſpecie elicita, eſt ſenſatio. Probatur. Dum potentia recipit, paſſiue concurrit, cum ſit actio immanens, terminata ad potentiam, tanquā ad ſuſcipientem actionē, & tamen potentia agit, & agendo fit ſenſatio. Igitur ſenſatio ſtat in actione cauſata a ſpecie ſenſibili.

Argumēta ſoluuntur. Ad primum dictum eſt, quod ſpecies concurrit, vt dans ſecundum actum; Nam in eodem inſtanti in quo ſpecies recipitur, deuenit ad actum ſecundum, non quod receptio ſpeciei ſit ſenſatio, ſed quia tunc immediate cauſatur, vnde ſenſus dicitur eſſe in actu primo, q̄ ita eſt diſpoſitus, vt īmediatę operetur, & non indiget aliquo diſponente, ad producendum ſuam operationem.

Ad ſecundum dicendum, eſſe differentiam inter intellectum, & ſenſum, quod intellectus retinet ſpecies in actu primo, ſed ſenſus nequiquam, vnde ſēper indiget præſentialitate obiecti.

Ad tertium dicendum ad maiorem, quod valet in vniuocis; nam omne actiuum eſt nobilius quolibet paſſiuo, ſub eo contento, potentiæ autem vegetatiuæ, & ſenſitiuæ non continentur ſub vno actiuo, vel paſſiuo vniuoco, ſed analogo; Vel ſecūdo dicitur, quod omne actiuum eſt nobilius quolibet paſſiuo ſibi corriſpondente tanquam paſſiuo, modo potentiæ ſenſitiuæ non coreſpondent potentijs vegetatiuis tāquam actiuis, ſed alimentum correſpōdet tanquam paſſiuum potentijs vegetatiuis; At actiuum potentiarum ſenſitiuarum ſunt ſpecies ſuorum obiectorum.

Ad quartum dictum eſt, quod potentia informata ſpecie, eſt actiua.

LECTIO XXVI.

S. D. 13.

De ſenſibili, & ſenſu, & obiecto viſus. Sextum capitulum.

Poſtquam Philoſ. tractauit quomodo ſenſus ſe habeat ad ſenſibilia, hic modo docet quomodo aliqua ſint ſenſibilia cōmunia, & aliqua propria. Primo ergo videbimus literam Philoſ. Secundo aliqua annotabimus circa ipſam, & Tertio dubitabimus.

Senſibile per ſe duplex, commune, & propriū. Quoad primum ergo Philoſ. ponit ſuam intentionem dicendo, quod poſtquam tractauit de ſenſu, & ſenſibili, modo agendum venit de proprijs obiectis omnium ſenſuum. Diuidit deinde ſenſibile in per ſe, & in ſenſibile per accidens, & iterum ſubdiuidit ſenſibile per ſe, in ſenſibile proprium, & commune. Sēſibile igitur p̄ ſe eſt, quod ab vno ſenſu ſentitur, & non ab alio, vel alijs, circa quod non contingit ſenſum errare, vnde viſus pro obiecto habet colorem, auditus ſonum &c. Vnde viſus non decipitur circa colorem, nec auditus circa ſonum. Poteſt tamen ſenſus quandoque decipi circa ſenſibilia per accidens, quæ aſſociantur ſenſibilia per ſe v.g. auditus non decipitur circa ſonum, ſed bene poteſt decipi circa rem ſonantem. Communia autem ſenſibilia quinque eſſe dicit; ſ. motū, quietem, numerū, figurā & magnitudinē, q̄ a plurib. ſenſib percipi poſſunt. Senſibile vero per accidens eſt, quod non ſentitur per ſe, ſed quia accidit alicui ſenſibili per ſe; ſicut accidit quod Sortes albus ſit filius talis.

Quoad

Ordo naturæ & doctrinæ. Quoad ſecundum autem primo notandum eſt circa ordinem, quod Philoſ. quandoque ſeruauit ordinem naturæ,& quandoque doctrinæ, prout negotium poſtulabat;cũ igitur hic imperfecte egerit de ſenſu communi,& proprio, (nam de his ſuis proprijs in locis ſermonem facit)ideo mirum non erit ſi de obiecto non loquatur, nec ab ipſo incipiat,ordinem naturæ ſeruando.

Senſus interiores, & exteriores. Secundo animaduertendum venit circa diuiſionẽ ſenſibilis, φ ſenſus ſũt in duplici differentia. Quidam enim ſunt interiores, vt cogitatiua, & æſtimatiua,& ſenſus communis,& quidam exteriores,vt viſus,& auditus.Dũ ergo Philoſ. diſtinxit ſenſum in proprium, & communẽ,ſolum loquutus eſt de ſenſibus exterioribus; nam omne ſenſibile proprium a ſenſu communi,qui eſt ſenſus interior percipitur, & non ſolum a ſenſu exteriori cognoſcitur,vnde ſic nullum eſſet ſenſibile proprium. Et vlterius,quia inimicitiæ luporum,& pecorum,& amicitiæ hominis, & leonis, quæ eliciuntur ex ſpeciebus ſenſatis non eſſent ſenſibilia per accidens, quia ſunt propriẹ phantaſiæ. Et quamuis textus Arabicus abſolute loqui videatur, tamen ſermo non eſt abſolutus,ſed applicatus ad ſẽſus exteriores.

QVAESTIO XXII.

Vtrum ſenſus decipiatur circa proprium ſenſibile.

VIdetur quod ſic. Nam intellectus non eſt minus certus circa propriũ obiectum,quam ſit ſenſus.Sed intellectus poteſt errare circa proprium obiectum, tribuendo vni rei, quod ei non conuenit. Igitur hoc idem poteſt & ſenſus.

Secundo. Vbi nulla eſt veritas, ibi nullus poteſt eſſe error. Sed in ſenſu nulla eſt veritas; cum veritas conſiſtat in compoſitione,& diuiſione, compõnere autẽ, & diuidere ſit proprium intellectus, & non ſenſus. Ergo ſenſus poteſt errare circa proprium ſenſibile,

Pro reſolutione huius quęſtionis tria ſunt obſeruanda. Primo enim annotãda erunt aliqua. Secundo loco concluſio erit probanda, & tertio demum argumenta ſoluenda.

Opiniones. Quoad primum ergo, primo ſciendum eſt, quod ſecundum Auerroem hęc propoſitio. Senſus non decipitur circa proprium ſenſibile, non eſt ſemper vera,ſed vt in pluribus; At ſecundum Albertum abſolute vera eſt,quia ſenſus eo modo cognoſcit, quo ſpecie informatur, ſed ſemper eodem modo ſpecie informatur, nam ſi nigrum videat a longe,& appareat ei album,exiſtimat illud album eſſe, quia tunc informatur ſpecie nigri,ac ſi eſſet ſpecies albi. Communis autem expoſitio eſt, hanc propoſitionem eſſe veram quibuſdam conditionibus ſeruatis.

Senſus non errat circa proprium ſenſibile. Secundo notandum venit,quod per ſenſũ intelligimus potentiam paſſiuã ſenſitiuam, vt viſum, vel auditum &c. pro ſenſibili vero intelligimus propriũ obiectum,vt coloratum,vel ſonorum; ſenſus igitur non dicitur errare circa proprium ſenſibile, circa commune vtique.

Facta vera informatione & ſenſu non impedito. Tertio ſciendum, quod iuditium rectum :i. ſine errore ſignificat determinationem appræhenſionis Ad hoc autem duo neceſſaria ſunt. Primum eſt quod ſenſus, vel intellectus informentur ſpecie ſenſibili,vel intelligibili.Secundum eſt,quod iuditium, & determinatio appræhenſionis cauſata a ſpecie non impediatur ab aliqua cauſa, prout impeditur lingua febricitantis dum iudicat dulce amarum, quia non habet palatum ſanum. Teneas autem in ſenſibus exterioribus neceſſariã eſſe præſentiam obiecti,vel ſaltem conſeruationem eius ſpeciei, vt ſine his non poſſit potentia immutari etiã per abſolutam

lutam Dei potentiam, quoniam ſpecies immutat formaliter. Quod docuit S.D.3.p.quæſt. 16.artic.8 & alij multi relati a Ruuio lib.2.de anima, tract. de obiectis,ſenſib.lib.de ſpeciebus,q 14.

Non intuendo rẽ ſub oppoſita ratione. Quarto notandum,quod non errare circa proprium ſenſibile idem eſt, quod iudicare rem ita ſe habere, ſicut ſe habet; Hoc autem bifariam intelligi poteſt. Primo ſecundum rem, v.g. iudicando album eſſe album, & non eſſe nigrum. Secundo ſecundum modum,i. appræhendendo rem eo modo quo habet eſſe in ſe,& non ĩ intellectu, vel ſenſu. Primum igitur iuditium eſt illud, quod dicitur neceſſarium non vero ſecundum, quia intellectus appræhendit rem materialem immaterialiter,coruptibile,incoruptibiliter, & cõpoſit:, ſimpliciter,& ita ſenſus appræhendit obiectum ſuum ſine materia, quamuis habeat eſſe in materia. Ad veritatem igitur rei requiritur, quod res non iudicetur ſub oppoſita ſibi ratione entitatiua, quamuis poſſit alio modo percipi, vt cognoſcibilis eſt.

Loquendo de obiecto adquato. Quinto notandum, quod duplex eſt obiectum ſenſus. Primum dicitur adęquatum, & eſt illud cuius ratione omnia quæ cadunt ſub illa potentia appræhenduntur Secundum dicitur inadęquatum, quia continetur ſub adęquato,& non habet totam eius amplitudinem, v.g. obiectum adęquatum visus eſt coloratum, quia omnia quæ videntur,oportet eſſe colorata. Inadęquatum vero erit album, vel nigrum, quæ videntur,quia ſunt colorata. Quãdo ergo Philoſ.dicit, quod ſenſus non errat circa proprium ſenſibile,intelligitur circa obiectum adęquatum,non vero quod non poſſit errare circa obiectum inadæquatum. Dum autem tex. 161.ponit ſenſum errare circa commune ſenſibile ſæpe,non circa proprium, habet ſenſum,quod cum ſenſibile commune non imprimat propriam ſpeciẽ poteſt inducere errorem in modo ſenſationis, faciendo apparere magnum, paruum ſed ſic non facit quod coloratum non videntur vt coloratum.

Et inadequato cũ conditionib. 3. Sexto notandum eſt, quod ſi volumus extendere propoſitionem Philoſ. ad obiectum inadęquatum, adiungendæ erunt tres conditiones. Prima eſt, quod ſenſibile ſit debite approximatum ſenſui,nam ſi nimis diſtet, album videbitur nigrum,& econtra, & lapides præcioſi a longe igniti apparebũt. Secunda eſt,quod organum ſit debite diſpoſitum,& non alteratum, vel impeditum,nam palato non ſano, pęna eſt panis, qui ſano eſt ſuauis. Tertia conditio eſt,quod medium ſit bene depuratum,nam manus alba vltra vitrũ rubeum poſita,rubea iudicabitur,& tamen erit alba, quia medium non eſt bene depuratum. Et ita oculus videt ſolem per aerem admixtum vaporibus igneis,& ideo eum iudicat rubeum,& tamen rubeus non eſt.

Et per ſe. Septimo tandem mihi venit dicendum, quod ſenſus non poſſit errare circa proprium ſenſibile bifariam intelligi poteſt. Primo quo ad ea, quæ habet de obiecto ſuo adęquato. Secundo quo ad ea etiam quæ comitantur ſenſibile, ſeu obiectum ab extrinſeco, vel per accidens. Primo modo ſenſus non errat circa proprium ſenſibile,quia ſe habet vt propria cauſa ſenſationis. Secundo autem modo errare poteſt, quia ſic vel impeditur, vel alteratur &c. Dum autem ſenſus decipitur circa ſenſibile, nõ prouenit ex falſa ſpecie,ſed ex indiſpoſitione potentiæ, factæ obiecto improportionatæ.

Concluſio probatur Quoad ſecundum concluſio eſt. Senſus nõ decipitur circa propriũ ſenſibile,quatenus ſenſibile eſt. Probatur. Potentia non decipitur in ſuo naturali actu; Sed ſenſibile eſt proprius actus potentiæ. Ergo.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum ergo dicendum, quod intellectus poſſit errare ſtat dupliciter. Primo per ſe, & Sic nec ſenſus,nec intelle-

tellectus errant circa proprium obiectum, vt explicabitur in tertio, Secundo per accidens, quatenus primę operatione intellectus admiſcitur ſecunda .ſ. compoſitio, & diuiſio, & ita poteſt errare, ſicut & ſenſus, in applicatione ad ſubiecta.

Ad ſecundum dicimus, quod veritas ibi ſumit materialiter, i. pro eſſe rei, & non formaliter, i. pro compoſitione, & diuiſione, facta ab intellectu; ſed de his ſuo loco.

Ad motiuum Alberti dicẽdum eſt, quod ſenſus decipitur ſi rem appræhẽdat aliter quam ſit, vnde error poteſt eſſe duplex, i. vel circa rem, vel circa appræhenſionem. Non erit igitur error in appræhenſione, quia ſenſus eo modo appræhendit, quo ſpecies imprimit, erit tamen error in re ex diſtantia, vel alio impedimento, ex quo pullulabit error.

LECTIO XXVII.

QVAESTIO XXIII.

Vtrum ponendæ ſint ſpecies ſenſibiles.

AD Plenam intelligentiam dictorum hucuſque de obiectis, potentijs, & ſpeciebus ſenſibilibus, quæritur vtrum ponendæ ſint ſpecies ſenſibiles quæ ab obiectis emiſſæ, ſenſus immutent.

Videtur quod non. Nam (experientia teſte,) quædam animalia ſolo viſu interficiunt, & menſtruatę ſpeculum inficiunt. Ergo non eſt quod potentia v.g. viſiua recipiat ſpeciem ab obiecto, ſed potius quod emittat virtutem ſuã ad obiectum.

Secundo. Quia mirabile videtur, quod ſpecies iſtę poſſint eſſe imagines totius cœli, montis ingentis, & totius vnius Ciuitatis, & contineri intra paruum oculum.

Tertio. Quæro an tota ſpecies recipiatur in potentia, vel aliqua eius pars; Non tota, cum illa ſpecies poſſit eſſe magna, & diuiſibilis, dum totum obiectum, & hoc magnum repręſentat; Non pars, quia totum obiectum videtur.

Quarto. Senſus percipit diuerſorum obiectorum ſitus; Durum autem videtur ſi informaretur tunc diuerſis ſpeciebus, hos ſitus rapræſentantes.

Quinto. Si ſpecies v.g. eſt in oculo tanquam imago, & ſimilitudo obiecti directe cognoſceretur a potentia ſenſitiua; Sed hoc eſt falsum, quia abſurdum videtur, quod potentia ducatur in cognitionem obiecti, per repræſentatiuum ab ea non cognitum.

Sexto. Per Ariſt. Ignis & multa lucida per longiſſimam diſtantiam videntur. At hoc videtur mirabile, quod hæc per tam longum ſpatium ſpecies multiplicent vſque ad viſum.

Septimo. Si v.g. duo alba multiplicant ſuas ſpecies in medio, & recipiuntur in potentia, duo accidentia eiuſdẽ ſpeciei erunt in eadem potentia, contra Ariſt. 5. Meth.

Octauo. Sic duo contraria perfecta erunt in eadem potentia perfecte, v.g. ſi album, & nigrum viſum immutent.

Nono. Cum iſtæ ſpecies ſint accidentia materialia, & educantur de potentia materiæ, ſic non poterunt educi in inſtanti; Sed hoc eſt falsum; cum v. g. oculus in inſtanti videat. Ergo.

Secunda quæſtio oritur. An ſpecies ſenſibiles tantum cauſent diſpoſitionem, vt conditionem determinantem ipſam potentiam. Videtur enim quod ſic. Nam duo non poſſunt eſſe principia immediata eiuſdem actionis. At potentia eſt principium actionis. Ergo non ſpecies, niſi vt conditio determinatiua potentiæ.

Secundo. Si ſpecies eſſet principium ſenſationis, vbicunque poneretur, ſenſationem cauſaret, & ſic etiam in medio, quod eſt abſurdum.

Ter-

Tertio. Sic tolleretur actiuitas a potentia, ponendo ſpeciem eſſe principiū actiuum, & non diſpoſitiuum tantum.

Opiniones. Pro reſolutione harum difficultatum. Sciendum eſt, quod circa hanc rem extiterunt diuerſæ ſententiæ. Prima itaque fuit Platonis, & Platonicorum, ſpecies ſenſibiles negantium, & aſſerentium viſionem fieri per extramiſſionem quorumdam ſpirituum ad obiecta, & non per receptionem ſpecierum. Democritus autem Platone antiquior, vt refert Alexāder lib. de ſensu & ſensato affirmabat, ex obiecto exire quædam corpora ſubtilia, quæ in oculum recepta cauſabant viſionem. Galenus vero tenuit obiectum ipſum in debita diſtantia poſitum cauſare viſionem, vnde negat omnem ſpeciem & receptionem ſpecierum apud Greg. Niſſenum lib. 4. ſuæ Philoſophiæ cap. 2. Quā opinionem videtur ſequi Seneca lib. 2. naturalium quæſtionum. Ocham tandē in 2. quæſt. 17. & 18. & Gabriel in 2. diſt. tertia quæſt. 2. negant prorſus oēm ſpeciem ſenſibilem, tā in ſensu, quam in medio; At Gregorius Ariminenſis in primo, diſt. 3. quæſt. 1. & Durandus in 2. diſt. 3. quæſt. 6. affirmant ſpecies neceſſarias, ſed tantum in cognitione abſtractiua, ſed non in cognitione intuitiua; Sed Thomiſtæ cum veris Peripateticis eas in vtraque cognitione eſſe neceſſarias affirmant.

Concluſiones probātur. Prima ergo concluſio ſit. Species ſenſibiles neceſſariæ ſunt, ad hoc vt potentiæ illis informatæ ſenſationes producāt. Probatur primo. Sentire eſt quodam pati per Ariſt. ſupra; At hoc non eſt niſi per receptionem ſpecierum, vt patet per eundem Philoſ. ſupra. Ergo.

Secundo. Sublatis ſpeciebus, ruit tota ſcientia Perſpectiuæ; Sed hoc eſt abſurdum. Ergo. Probatur aſſumptum ſic, quia non poſſumus aſſignare rationē cur in ſpeculo videatur homo poſitus a tergo; nec cur in ſpeculo confracto poſſint plures videri, niſi dicamus, quod ſpeculum mittit ſpecies ad potentiam.

Tertio. Senſus in actu, eſt ſenſibile in actu, per Ariſt. 3. de Anima, tex. 138. Sed ſenſus in actu non eſt ſenſibile in actu materialiter; quia oculus non eſt lapis viſus, niſi intentionaliter per receptionem obiecti intentionalem, vt idem Philoſ. fatetur. Ergo.

Quarto. Patet quod memoria ſenſitiua in abſentia obiectorum de illis recordatur. Ergo neceſſe eſt fateri, quod ſpecies receperit, & eas conſeruauerit.

Secunda concluſio eſt. Species non eſt forma, neque imago expreſſa obiecti, ſed bene impreſſa, & intentionalis. Probatur. Quod videtur eſt coloratum, & quod auditur eſt ſonorum. At ſpecies viſibilis, & audibilis, neque eſt colorata, neque ſonora realiter, ſed ſolum intentionaliter. Ergo.

Tertia concluſio. Species ſenſibilis cum potentia concurrit actiue ad ſenſationem, eſtque principium quo agendi, & non ſe habet vt calor in aqua, vt aliqui dixerunt, quia aqua dicitur calida prout ſuſtentat calorem, vnde eſt ſicut calor in igne, qui eſt principium quo calefectionis. Probatur. Quia formaliter actuat potentiam, & ſic ei dat actionem.

Argumēta ſoluuntur. Ad primum iam dictum eſt, hoc prouenire ex complexione oculorum, vt corpora ſunt; & non vt potentia ſunt.

Ad ſecundum dicendū, quod species non recipiuntur vt res, ſeu imagines realiter expreſſæ; ſed vt species impreſſæ, & intentionales, & ideo non eſt mirabile, quod in paruo oculo poſſint imprimere ſui ſimilitudinem.

Ad tertium dicendum, quod obiectum dupliciter conſiderari poteſt? Primo, vt quoad aliquam partem eſt oculo ſemotum, & ſic neque cauſat, nec conſeruat totam ſpeciem. Secundo, vt toti potentiæ eſt apertum, & ſic totam ſpeciē cauſat, & totum recipitur, vel habet eſſe intentionale; ſicut enim non dici-

mus partem luminis eſſe in parte cameræ illuminatæ, ſed totum in tota, ita dicimus, ꝙ tota ſpecies intentionaliter recipitur, & ſi augeretur eſſet vna ſpecies, quia pars addita ſimilis, radicaliter fuit eiuſdem rationis cum ea cui additur.

Ad quartum dicendum, quod iſtæ ſpecies intentionaliter recipiuntur, & quia ſeruant ordinem ad ſua obiecta, ideo etiam repræſentãt eadem vt diuerſa, & vt in diuerſis ſitibus collocata. Teneas autem ſpecies productas ab obiecto in medio, alias poſſe multiplicare, vel ſaltem partes in medio, & potentia, cum actuali tamen ſemper dependentia ab obiecto, cuius virtute producuntur, vt docuit S.D. de verit. q. 16. art. 1. ad ſecundum.

Ad quintũ negamus, quod ſpecies directe cognoſcatur ab intellectu, vel ſenſu, & ſi directe repræſentet obiectũ, quia ſe habet vt quo intellectus cognoſcit, vel ſenſus ſentit, & non vt obiectũ quod intelligitur, vel ſentitur; actus enim, & habitus ſunt principia cognitionis, nec tamen eadem cognitione cognoſcuntur.

Ad ſextum dicendum, quod ignis & luminoſa ob lumen habent magnã efficaciam, & ideo lõge poſſunt imprimere ſpeciem.

Ad ſeptimum, & octauum dicendũ, quod illa accidentia ibi ſunt imperfecto modo, & intentionaliter, neque hoc eſt inconueniens.

Ad primum ſecundæ quæſtionis dicimus, quod ſenſibile, & ſenſus in ſenſatione, & intelligibile, & intellectus in intellectione vnum fiunt, & magis ꝙ̃ fiat vnum ex materia & forma, ſecundum Philoſ. & ideo concurrunt vt primum principium operatiuum.

Ad ſecundum negatur aſſumptum, quia in medio ſpecies non eſt vnum facta cum potentia.

Ad tertium dicimus, quod potentia eſt actiua, ſed cum ſpecie, vt vnum facta eſt cum ipſa.

LECTIO XXVIII.

Ad pleniorem notitiam ſupradictorum ſuperſunt aliqua difficultates ſoluendæ.

QVAESTIO XXIV.

An ſenſibile ſufficienter diuidatur in ſenſibile proprium, commune, & per accidens.

Videtur quod non. Nam illa diuiſio non eſt bona, quæ datur per membra coincidentia. Talis eſt iſta, quia ſenſibilia communia, & per accidens non ſentiuntur, niſi prout ſentiuntur proprie ſenſibilia. Ergo.

Secundo. Senſibile commune aut eſt ſenſibile per ſe primo, aut ſecundo. Non primo, quia hoc conuenit ſenſibilibus proprijs. Non ſecundo, quia hoc nõ eſt per ſe ſentire, ſed per aliud.

Tertio. Si daretur aliquod ſenſibile commune, quod ſuam ſpeciem non imprimeret, hoc maxime eſſet ſubſtantia; Sed ipſa imprimit propriam ſpeciem. Ergo. Probatur minor, quia ſic in intellectu non eſſet, cum nihil ſit in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu.

Quarto. Numerus, & magnitudo ſunt quædam Mathematica. Ergo nõ ſenſibilia, aliter Mathematica ageret de ſenſibilibus. Motus autem, & quies videntur potius eſſe qualita, ergo.

Quinto. Motus non appræhenditur ſenſu exteriori. Igitur non eſt ſenſibile commune. Probatur antecedens. Nã de ratione motus eſt prius, & poſterius, id eſt præteritum, & futurum. Sed præteritum, & futurum non appræhẽduntur niſi per memoriam.

Sexto. Nihil ſentitur niſi ſit præſes, At de tempore, & quiete, nihil eſt præſens, niſi inſtans indiuiſibile; Igitur.

Septimo. Nullum priuatiuum eſt per

per ſe ſenſibile; Talis eſt quies, v.g. tenebræ, quæ ſunt priuationes lucis. Ergo.

In contrarium eſt Philoſ. textu 63. & 64. & 65.

Opiniones. Primo igitur notandum pro intelligentia quæſtionis, & difficultatum in ea poſitarum, quod quidam perſpectiui tenuerunt, ſenſibilia communia, & propria in hoc diſcriminari, quod propria ab externis ſenſibus cognoſcũtur, & communia ab internis. At nos oppoſitum tenemus; ſ. quod ſenſibilia cõmunia a ſenſibus exteriotibus ſentiuntur, & non ab interioribus, aliter nullum eſſet ſenſibile commune extrinſecum, quod aperte falſum eſt.

Senſibile aliud per ſe, aliud p accidens. Secundo igitur notandum, quod duplex eſt ſenſibile. Primum dicitur per ſe, quia per ſe ſentitur, & hoc duplex eſt; ſ. proprium, ſic dictum, quia ab vno tantum ſenſu percipitur, & commune, quia a pluribus ſenſibus ſentitur, & talia ſenſibilia ſunt motus, quies, numerus, magnitudo, & figura. Secundũ ſenſibile dicitur per accidens, eo quia accidit ſenſibili per ſe, v.g. ego video album; album eſt viſibile per ſe; ſed quod hoc albũ ſit homo, vel lapis, hoc eſt per accidens.

Commune a pluribus ſentitur. Tertio notandum venit non eſſe neceſſarium, quod ſenſibilia communia ab omnibus ſenſibus ſentiantur, vt tenuit Themiſtius, capit. 6. ſed ab omnibus, vel ſaltem a duobus, vel pluribus. Nam motus, & quies ab omnibus ſenſibus percipi poſſunt, figura a tactu & viſu, & ſic diſcurrendo. Et ſic excluſã habeas opinionẽ Appollinaris, cap. 8. quod ſenſibilia ideo dicuntur communia, quia a ſenſu communi percipiuntur, patet enim quod iſta ſenſibilia ab externis ſenſibus percipiuntur.

Modificat propria. Quarto notandum venit, quod tam ſenſibilia communia, quam propria, hoc ſibi eſſentialiter vendicant, quod paſſionem in ſenſibus cauſent. Sed hoc ſtat dupliciter. Primo effectiue, cauſando effectum, ſ. imprimendo ſpeciem ſenſui, & ſic cauſando ſenſationem, & hoc conuenit ſolum proprijs ſenſibilibus, & omnibus; Secundo modificatiue, i. modificando effectum, ſeu ſpeciẽ, v.g. viſus recipit ſpeciem a viſibili, ſed modificatur a figura, tali, vel tali, & hoc ſecundum conuenit ſenſibilibus communibus .i. modificare ſpecies.

Senſibili per accidens conditiones. Quinto notandum, quod ad ſenſibile per accidens tres conditiones requiruntur. Prima eſt, quod accidat ſenſibili per ſe, vt quod album accidat homini. Secunda eſt, quod ſenſibile per accidens ab alia potentia cognoſcatur per ſe. Nam ſubſtantia, quæ eſt ſenſibilis per accidens, ab intellectu cognoſcitur per ſe, & oues per exſtimatiuam cõgnoſcunt quod lupus ſit illis inimicus, & alia pecora amica. Tertia eſt, quod ſenſibile per accidens vt tale eſt, illum ſenſum non immutet, quem ſenſibile per ſe immutat.

Senſibile proprium, & commune differunt. Sexto notandum, quod inter ſenſibile commune, & proprium tres ſunt differentiæ. Prima eſt, quod ſenſibile proprium ab vno tantum ſenſu ſentitur, commune vero a pluribus, vt diximus. Secunda eſt, quod ſenſus non fallitur circa proprium ſenſibile, at circa commune vtique. Tertia eſt, quod ſenſibile propriam ſpeciem imprimit, & commune illam modificat. Senſibilia autem communia per ſuas diuerſas rationes diſtinguuntur.

Concluſio probatur. Secũdo loco principali ponitur hęc concluſio. Recte diuiditur ſenſibile, in commune, proprium, & per accidens. Hęc patet eſt ſupradictis, quoniam ſufficienter explicat naturam diuiſi, i. ſenſibilis, illamque explicat ſufficienter.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum dictum eſt, quod ſenſibilia communia per ſe ſunt ſenſibilia, & qualificant ſpeciem ſenſibilem, ſed ſenſibilia per accidens, neque modum, neque ſpeciem imprimunt. Secundo dicitur, quod & ſi ſenſibilia communia non per ſe primo ſentiantur, quod eſt

O 2 ſen-

ſentiri per aliud; ſentiuntur tamen per ſe, vt per ſe diſtinguitur contra per accidens.

Ad ſecundum ideo dicendum, quod ſenſibilia communia ſentiuntur per ſe ſecundo, quia quantitas, & quæ quantitatem conſequuntur, conſequuntur etiam qualitates ſenſibiles in eſſe naturali, & ſenſibili, quia cum ſenſus ſit alligatus organo corporali, nõ poteſt ſeparari a materia, nec a conditionibus materialibus. Hinc patet quod ſentiuntur per ſe, & ſi non per ſe primo.

Ad tertium dicendum, quod ſubſtãtia non eſt quoddam ſenſibile commune, ſed per accidens. Ad probationem autem dicitur, quod illa propoſitio, nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu, habet magnam latitudinẽ, quia ſufficit eſſe in ſenſu, vel per ſe, vel per accidens, vel in ſuo oppoſito, vel in ſuo ſimili, vel vt in cauſa, vt alibi magis explicauimus.

Ad quartum dicendum, quod omnia enumerata in argumento ſunt ſenſibilia communia; Ad id autem quod obijcitur de magnitudine, & numero, dicimus, Mathematicam agere de re ſenſibili, non tamen ſub hac ratione ſicut facit Phyſica, ſed vt abſtrahit a motu, & a materia ſenſibili. Ad id quod obijcitur de numero, dicitur quod numerus biſariam conſiderari poteſt. Primo vt eſt menſura, & ſic ſenſu non capitur. Secundo vt importat diſcontinuationem, & multitudinem in rebus ſenſibilibus, & ſic viſu, & tactu percipitur. Ad illud de quiete, & motu dicitur, quod nec motus, nec quies, vt dicit aliquid poſitiuum, & continuum, ponuntur ſenſibilia communia, ſed vt dicunt principium mouendi, vel quieſcendi, quæ ſunt in inſtanti.

Ad quintum aliqui concedũt, quod de ratione ſenſibilis cõmunis eſt, quod cadat ſub ſenſu exteriori, & conferatur cum ſenſibus interioribus, i. cum cogitatiua, & extimatiua, quæ aliquam collationem faciunt, cuius ſententiæ videtur fuiſſe S. D. quæſt. p. de ver. art. 11. ibidem aſſerens, quod iudicium de communibus ſenſibilibus, eſt per collationem factam in homine a cogitatiua, & in alijs ab extimatiua, ex quibus verbis clare deducitur, quod iudicium ſenſibilium communium attinet ad ſenſus interiores, & exteriores, cuius oppoſitum ſupra determinauimus. Ad ſaluandam igitur noſtram ſententiam dicendum venit, quod ſenſus exterior iudicat de ſenſibili cõmuni per ſenſationem veram, & realem, cogitatiua vero, vel extimatiua potius per quandam participationem rationis, repertam in collatione. Ad argumentum igitur reſpondetur, quod motus non percipitur a ſenſu exteriori, niſi prout habet rationem præſentis, & coexiſtentis ipſi cognitioni; In motu igitur duo ſunt: Vnum quod conuenit motui, vt eſt motus in actu, & dicit mobile actu motum, & hoc modo ſenſũ immutat per modificationem, quia sẽſus percipit rem mobilem moueri. Secundum eſt, quod de eo poteſt extimatiua, cogitatiua, & memoria facere aliquam collationem præteriti, præſentis, vel futuri, & ſecundum hunc sẽſum procedit argumentum. Nos vero quoad primum loquimur.

Ad ſextum dicendum, quod inſtans cognitionis ſenſus correſpondet motui, & quieti pro toto tẽpore, pro quo res mouetur, vel quieſcit; non quod ſenſus exteriores poſſint conferant, & intelligant præſens, vel futurum, ſed quia continuant ſenſationem, &c.

Ad ſeptimum dicendum, quod priuatiua, negatiue immutant ſenſus, i. non cauſant paſſionem, quia ſinunt potentiam ſub eadem quiete ſiſtere. Colligas autem hic, quod quamuis Ariſtoteles alibi, plura alia fecerat ſenſibilia communia, præter quinque enumerata, tamen illa ad iſta reducuntur, vt ad numerum, diſtinctio, & vnitas. Ad figuram,

guram, obtuſum, acutum, aſperum, ſlene, curuum, & rectum, & ad magnitudinem diſtantia, & ſitus.

LECTIO XXIX. & XXX.

QVAESTIO XXV.

Verum ſenſibilia communia per ſe immouent ſenſum.

Videtur quod non. Omne enim quod per ſe ſentitur ab aliqua potentia, ſub obiecto illius potentiæ continetur. Sed ſenſibile commune non cōtinetur ſub obiecto alicuius ſenſus, v.g. magnitudo non continetur ſub colore, vel ſono &c. Ergo.

Secundo. Nullum priuatiuum poteſt eſſe præſens ſenſui, & conſequenter per ſe ſentiri; Sed quies eſt quoddā priuatiuum motus. Ergo.

Tertio. Nullum compoſitum ex inſenſibilibus eſt ſenſibile; Sed numerus componitur ex vnitatibus inſenſibilibus, & ſimplicibus. Ergo.

Quarto. Per ſe ſentiri ſic conuenit ſenſibili proprio, & communi. Ergo ſunt idem. Hoc falſum. Ergo.

Quinto. Sumo corpus triangulare coloratum; hoc fiat quadrangulare; tunc nulla eſt facta mutatio in ſenſu, vel ſenſibili, & tamen ſenſibile eſt variatum figura. Ergo.

Sexto. Magnitudo, & figura ſunt diuerſa entia, Igitur per diuerſas ſpecies, & non per vnam ſentiuntur.

Septimo. Senſibile per ſe propriam ſpeciem imprimit; Sed commune non imprimit propriam ſpeciem, vt patet. Ergo.

Octauo. Sicut color videtur per ſe, ita ſenſibile per ſe ſentitur; Sed viſibile imprimit propriam ſpeciem; Ergo, & commune; Hoc falſum. Ergo etiam illud ex quo hoc ſequitur.

Nono. S. D. p. p. quæſt. 17. artic. 2. ait, quod in ſenſu eſt ſimilitudo, i. ſpecies figuræ, & magnitudinis, & aliorū ſenſibilium communium.

Decimo. Si quis eſſet poſitus in concauo orbis lunæ, & ſurſum manū porrigeret, reſiſtentiam ſentiret, propter tactum quantitatis cęli; & non propter qualitates tangibiles, cum non dentur in cęlo; Sed quantitas cęli, & inferiorum eſt diuerſæ rationis. Igitur vel plura ſunt ſenſibilia communia quā ſupra enumerata, vel pauciora ſūt.

Pro explicatione huius difficultatis Primo in medium proponam diuerſorum D. D. ſententias, cum ſuis rationibus, Secundo adducam fundamenta quæſtionis. Tertio opinionē Caiet. rationibus firmabo. Quarto argumentis aduerſariorum reſpondebo.

Prima igitur opinio fuit Com. cont. 65. ſuſtinentis, ſenſibilia communia per ſe eſſe ſenſibilia. Prima eius ratio eſt. Quia ſenſibile commune, neceſſario ſenſibili proprio adiūgitur, ita vt ſenſibile proprium, non poſſit ſine ſenſibili communi ſentiri. *Opiniones.*

Secunda. Quia ſenſibile commune, eſt per ſe obiectum ſenſus communis; Sed omne obiectū alicuius ſenſus per ſe ſentitur. Ergo.

Secunda ſent. fuit Philos. Caietani Thienenſis, Pauli Veneti, Franciſci Toleti, & Dominici Bānes, ſ. quod ſenſibilia communia ſunt quidem per ſe ſēſibilia, ſed tamē in ſenſu propriam ſpeciem non imprimunt, ſed ſolum ſpeciē proprij ſenſibilis modificant, v.g. oculus diuerſimode videt colorem magnū, & paruum, vnde magnitudo ſolū modificat ſpeciem viſibilem, & non imprimit in oculo ſpeciem ſuam propriā magnitudinis. Quod probant. Senſus per modum vnius percipit ſenſibile proprium, & commune; Ergo per vnicam ſpeciem. Tenet ſequela, quia duæ ſpecies nō conueniūt in vna, vt duæ ſūt.

Secundo. Sic ſequeretur quod ſenſibile commune eſſet per ſe ſenſibile ſine proprio. Probatur. Quia ſic habet

pro-

propriam ſpeciem, quæ eſt principium ſenſationis.

Tertio. Videtur impoſſibile, quod a multitudine vna ſpecies ſimplex dimanet, a motu ſpecies permanens, & ſic diſcurrendo.

Quarto. S. D. in hoc 2. lec. 13. dixit, quod ſenſus immutatur per ſpeciem à proprio ſenſibili; & per modum a communi, & non per ſpeciem agentis.

Quinto idem S. D. p. p. quæſt. 17. & quæſt. 88. art. 3. ad ſecundum aſſerit. Sẽſibilia communia non immutare ſenſum per ſe primo, ſed ratione ſenſibilis qualitatis; At de ratione ſpeciei propriæ eſt immutare ſenſum, & repræſentare ſuum obiectum directe.

Sexto. Figura, & quantitas non diſtinguuntur realiter, ſecundum opinionem ſatis probabilẽ Soto 2. Phyſ. Ergo ſi quantitas non producit propriam ſpeciem, nec figura, Et confirmatur, quia inimaginabile videtur, quod numerus ternarius producat aliam ſpeciem, a tribus vnitatibus;

Septimo. Si ſenſibilia communia immutarent ſenſum per propriam ſpeciem, vnum eſſet principium immutationis plurium ſenſuum; Sed hoc eſt falſum, quia vnica ſpecies vnicum immutat ſenſum.

Octauo. Sic ſequeretur, quod v. g. viſibile quantum diuerſis viſionibus videretur, videlicet vt viſibile per vnã ſpeciem, & vt quantum per aliam; nã vnumquodque videtur per ſuam ſpeciem; Immo ſequeretur, quod ſaltẽ per abſolutam Dei potentiam poſſet percipi commune ſenſibile per ſuam ſpeciem ſine proprio, quod abſurdum eſt, cum fundetur neceſſario in proprio.

Nono. Species coloris repræſentat quantitatem modificatam; Ergo fruſtra datur alia ſpecies.

Tertia ſententia S. T. p. p. quæſt. 17. loco citato. Scoti in 4. diſt. 12. quæſt. 12. Alberti 2. de Anima c. 5. Ianduni q. 17. Ferrarienſis quæſt. 11. & Caiet. capit. 6. eſt, quod ſenſibilia communia cauſant in ſenſum propriam ſpeciem, ſed modificatam. Et quia nobis hęc ſententia placet, magis eam 2. loco fundamentis explicabimus, & deinde probabimus.

Primo igitur notandum vt ſupra explicuimus etiam, hanc eſſe differentiã inter obiectum, & ſenſum; quod obiectum habet rationem actiui, & ſenſus paſſiui, vnde dicitur pati, ideo valet, ſi ſenſus ab aliquo ſenſibili per ſe aliquid patitur, illud erit ſenſibile per ſe, ſi vero ab eo non patiatur per ſe, ſed per accidens, erit ſenſibile per accidens. Cum igitur ſenſibilia communia per ſe ſentiantur, deducere oportet, quod vel inducant ſpeciẽ in ſenſus, vel quid aliud per ſe cauſatiuum paſſionis. *Senſibilia cõmunia per ſe ſentiuntur.*

Secundo notandum, quod per ſe dupliciter ſumitur. Primo vt idem ſonat quod & ſecundum quod ipſum; Secundo vt diſtinguitur contra per accidens, ita vt omne id quod non dicitur per accidens, per ſe dicatur. Immutare ergo ſenſus, & cauſare ſenſationẽ per ſe, primo conuenit ſenſibilibus proprijs, quia omnis immutatio oritur a proprio obiecto, per ſe vero ſecundo, ſẽſibilibus communibus conuenit, prout coniuncta ſunt cum ſenſibilibus proprijs.

Tertio notandum, quod ſenſibilia communia in ſenſus agant per ſe, bifariam intelligi poteſt. Primo in particulari, vt ſi dicamus magnitudinem pro ut magnitudo eſt, in oculum agere, & hoc falſum eſt, quia talis proprietas eſt ſenſibilis proprij; Secundo in communi vt ſit ſenſus. Quod ſenſibilia communia reſpiciant ſenſus, non vt tales, ſed vt ſenſus ſunt; & hoc verum eſt; nam v. g. magnitudo non immutat viſum vt eſt potentia viſiua colorati, ſed vt eſt viſiua cuiuscunque rei ſtantis ſub colore. *In communi.*

Quarto notandum, quod immutare ſenſum fiat dupliciter. Primo vt obiectum, ſicut color viſũ immutat, & audi- *Modificatiue.*

audibile auditum. Secundo vt modus obiecti, & ſic ſenſibilia communia potentias ſenſitiuas immutant, nam color fluens diuerſimode immutat viſum a colore permanente, & magna figura alio modo immutat quam parua.

Cauſando ſimilitudinem. Quinto notandum, eſſe magnam differentiam inter cauſare ſimilitudinē, & ſpeciem in ſenſu, & ſecundum talē ſpeciem agentem in eo facere differentiam. Ad primum quidem ſufficit, quod obiectum ſeu modus obiecti cauſet aliq̃ ſimilitudinem; ſeu ſpeciē in ſenſu. Ad ſecundū vero neceſſarium inſuper eſt, quod ſpecies recipiatur non vt variās tantum modum, ſed etiam ſubſtantiam ſenſationis, ſicut color variat ſubſtantiam auditus, & ſoni. Hoc ergo ſecundo modo immutant ſenſus ſenſibilia propria, & primo modo communia.

Suo modo Sexto tandem notandū venit, quod communia ſenſibilia pariant in ſenſū propriam ſpeciem, bifariam poteſt intelligi. Primo eo modo quo obiectum ſenſuum particularium eam producunt, & hoc falſum eſt, & a nullo aſſertum, quoniam certum eſt ſenſibilia cō munia non pręire, ſed comitari ſpecies obiectorum ſenſuum particularium. Secundo ſuo modo, ita vt quamuis nō habeant veram, & ſtrictam rationem ſimilitudinis, & ſpeciei; quoniam tamen habent modum modificatiuum propriæ ſpeciei, ideo modus ipſorum poteſt vocari ſpecies modalis, ſeu modaliter, & hoc eſt quod affirmamus, & in quo non apparet magna differentia, cum ſuſtinentibus ſecundam opinionem.

Concluſio probatur. Quoad tertium ergo concluſio eſt. Senſibilia communia ſuo modo inducunt proprias ſpecies in ſenſus exteriores. Probatur primo Sententia D.T. p.p. loco ſupracitato, dicentis, in ſenſū eſſe ſimilitudinem figuræ, & magnitudinis, & cæterorum ſenſibilium communium. Sed reſpondet Banes, S.D. per ſimilitudinem non intellexiſſe ſpeciem, ſed notitiam, quia ſi per ſimilitudinem ſpeciem intellexiſſet, ſequeretur, quod hoc idē haberet etiam ſenſibile per accidens, quia hoc idem aſſerit ibi S.D. de eodem. Sed hæc reſponſio nulla eſt, quia S.D. ibidem fatetur in ſenſibus eſſe ſimilitudinem communium ſenſibilium per ſe, ſed nō primo Ex hoc infero, quod eo modo igitur in ſenſu eſt ſimilitudo ſenſibilis communis per ſe, ſed non primo, quo modo eſt in ſenſu ſimilitudo ſenſibilis proprij per ſe primo, modo conuenienti, vtrique.

Secundo, color vt color ſolum repręſentat coloratum, & non magnitudinem, neque figuram &c. aliter ſemper hæc repræſentaret. Igitur danda eſt ſpecies, quæ iſta repræſentet, nam omne repræſentatum per aliquam ſpeciē repræſentatur. Reſpōdet Banes, quod ſimilitudo ſenſibilium propriorum efficitur etiam ſimilitudo ſenſibilium cō munium: Sed nec hæc reſponſio quadrat, quia dato quod ſimul ſint, non tamen habent eandem rationem, & modum immutandi, nam v.g. de ratione colorati decem cubitorum, duo ſunt; Primum, quod coloratum moueat viſum, & ſecundum, quod eum tali modo moueat, at cum hic modus non ſolum ſe habeat vt quo, ſed vt quod videtur, quia talis magnitudo videtur, igitur dicendum quod propriam ſpeciē modificatiuam producat in ſenſum. Confirmatur, quia ſi ſenſus alio modo patitur a ſenſibili proprio, & a communi, vt patet, quia aliud eſt videre coloratum, & aliud videre tale, vel tale, in parua, vel magna quantitate, figura, & motu, (diuerſimode enim in his viſionibus alteratur potentia;) ergo neceſſe eſt dicere, quod ſenſibilia communia ſuo modo habeant propriam ſpeciem. Probatur, quia per Ariſt. Species eſt illa quæ in ſenſu inducit paſſionem.

Ter-

Tertio, Species non ſolum recipit coloratum, ſed & figuram colorati, ergo hoc idem fit etiam in oculo. Item manus alicui appoſita habenti oculos clauſos facit, quod hic ſentit quantitatem, & non videt colorem, igitur quantitas producit propriam ſpeciem. Reſpondet Bánes, quod manus, & figura non imprimunt tunc propriam ſpeciẽ, ſed modificant ſpeciem ſenſibilis proprij. Sed hæc reſponſio non ſubſiſtit, quia color, vt color non habet producere talem figuram, igitur hoc habet per ſpeciem propriam figuræ; & ita dic de alijs.

Ad primum Commentatoris dicitur, quod ſenſibilia communia ſint neceſſario coniuncta proprijs, duobus modis poteſt intelligi. Primo vt res ſunt, & hoc eſt falſum; nam calor ignis neceſſario eſt coniunctus igni, & tamen non eſt ſenſibilis per ſe; Secundo vt ſenſibilia ſunt, & hoc eſt verum, quia non immutant, niſi vt coniuncta ſunt ſenſibilibus proprijs.

Ad ſecundum ſimiliter dicendum, quod ſenſibilia communia non ſibi vendicant ſenſum communem interiorẽ; ſed bene ſenſus exteriores in communi, vt dictum eſt.

Ad primum ſecundæ ſententiæ dicitur, quod illę ſunt duæ ſpecies, ſed nõ diſtinctæ, ſed quod vna aliam modificat.

Ad ſecundum negatur aſſumptum, quia ſpecies ſenſibilis communis ponitur vt modificatiua proprij ſenſibilis, & ideo neceſſe eſt vt ſimul ſint.

Ad tertium dicendum, impoſſibile eſſe ſpeciem ſimplicem dimanare, quę non ſit modus modificans ſpeciem ſenſibilis proprij, prout ei conuenit.

Ad quartum dicendum, S. D. non negaſſe ſenſibili cõmuni ſpeciem, ſed eã negaſſe ſpeciem non habentem rationem modi, & per hoc patet ad quintum.

Ad ſextum ſimiliter dicitur, quid ſit de opinione Scoti pro nunc, quod ſenſibile commune non intelligitur ſeorſum producere propriã ſpeciem, ſed ſimul cum ſenſibili proprio, cum hoc, quod vna aliam modificet.

Ad ſeptimum negamus aſſumptũ, quia talis ſpecies ſemper concurrit vt modus inſeparabilis.

Ad octauum & nonum per ſupradicta patet reſponſio.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primũ principale dicitur, quod ſenſus particularis bifariam conſiderari poteſt. Primo vt talis ſenſus eſt, & ſic reſpicit tale obiectum, v.g. viſus, colorem. Secundo vt ſenſus eſt, & ſic reſpicit & proprium obiectum, & ea quæ ipſum comitantur, vt ſunt ſenſibilia communia. Secundo reſpondemus, quod ſenſibilia communia continentur ſub obiectis ſenſuum particularium, vt modi eorum.

Ad ſecũdum dicimus, priuationem eſſe ſenſibile quoddã per ſe priuatiue. Vel dicas, quod res exiſtens ſub priuatione, eſt illa, quæ cauſat ſenſationem, & hæc dicitur quies materialiter.

Ad tertium diximus, numerum non vt eſt numerans, ſeu vt menſura, eſſe ſenſibile commune, ſed vt eſt res numerata.

Ad quartum dicimus diſtingui, quia ſenſibile proprium eſt ſenſibile per ſe primo, & ſenſibile commune, per ſe ſecundo. Sed contra hanc reſponſionem inſtat Caiet. Primo, quia ſenſibile commune non ſentitur ſine proprio, ita nec proprium ſine communi; Ergo eadem erit ratio per ſe primo vtrique conueniens. Secundo, quia ſic ſequeretur, quod ſenſibile commune in ſe non haberet ſufficientem cauſam ſuæ ſenſibilitatis, & ſic non eſſet ſenſibile in 1. modo dicendi per ſe. Sed reſpondemus ad primum, non eſſe eandem rationem, quia ſenſibile commune non eſt ſenſibile niſi, vt comitatur proprium, quia ratio videndi figuram, non eſt figura, ſed color figuræ. Ad ſecundum dicitur, quod

quod ſenſibile commune ſuo modo habet in ſe ſufficientem cauſam ſuæ ſenſibilitatis, ſ. vt modificat ſenſibile proprium.

Ad quintum dicendum, quod variatio figuræ variat modum ſenſationis, vnde vna eſt viſio, ſed diuerſi ſunt modi huius viſionis.

Ad ſextum dicimus, formam, figurā, & magnitudinem diuerſificari in genere entis, ſed non in genere ſenſibilis, quia tunc habent rationem vnius communis ſenſibilis. Hic autem deducas eſſe neceſſarium ad hoc vt aliquid ſentiatur, quod non habeat indiuiſibilitatem, quare Chriſtus Dominus noſter, non poteſt videri in hoſtia ſancta, quia ibi eſt per modum indiuiſibilis, vt docuit S.D.3.p.quæſt.76.ar.6.& ad longum diſputat Ruuio 2. de anima, tractatu de obiecto, & ſpeciebus ſenſibilibus, quæſt. 12.

Ad ſeptimum, octauum, nonum ſupradictum eſt.

Ad vltimum dicendum, quod tunc homo ſe cognouiſſet impeditum ad porrigendam ſurſum manum, vel per intellectum, vel per ſenſum interiorē. An autem hoc cognoſceret per tactū. Aliqui dicunt quod ſic, ſed per tactum Mathematicum, & non Phyſicum. Sed reijcitur, quia tactus Mathematicus fictitius eſt, cum abſtrahat a motu, & a materia. Ideo reſpondet Caietanus, quod hoc ſentiret per tactū negatiue. Nam eadem potentia cognoſcit poſitiuum, & negatiuum, vt eadē viſione cognoſco lucem poſitiue, & tenebras negatiue; Sed contra inſtatur, quia commune ſenſibile non poteſt percipi ſine propria ſpecie, ſenſibilis proprij; modo talis non eſſet. Ergo tūc non eſſet aliqua ſenſatio. Sed reſpondetur, ꝙ maior valet quando illud cognoſcitur poſitiue, & diſtincte, modo hoc priuatiuum non percipitur niſi per carentiam actus poſitiui, proprij obiecti; Nam tenebræ non tanguntur, & tamen inducunt cognitionem negationis lucis. Reſpondent tamen alij ad principale argumentum, quod obiectum tactus non ſolum eſt calidum, & frigidum, ſed etiam durum, & molle, vnde, & ſi manus in Cęlo porecta non ſentiret ipſum, vt calidum, vel frigidū, ſentiret tamen vt molle, vel durum, & hoc ſufficit.

LECTIO XXXI.

S. D. 14.

Hic Philoſ. incipit tractare de obiecto viſus, & de potentia viſiua, circa quæ, & nos immorabimur, tria conſueta faciendo.

Quoad primum igitur habet Philoſ. quod illud dicitur viſibile, quod a viſu percipi poteſt. Ea autem quæ a viſu percipiuntur ſunt in duplici differentia. Quædam enim ſunt colorata, & hæc videntur ratione coloris. Quædam vero ſunt quæ non habent proprium nomen, & videntur ratione qualitatis eis inhærentis, vt ſunt quæ de nocte videntur, vt noctilucæ, putredines quercuum, & ſimilia, de quibus infra agendum erit. *Viſibile eſt quod videtur.*

Secundo diffinit colorem dicendo, quod illud quod videtur eſt coloratū, vnde color dicitur cauſa quod aliquid videatur, & hoc probat tali ratione. Illud quod mouet diaphanum ſecundū actum, illud dicitur viſibile. Sed color eſt illud quod mouet diaphanum ſecundum actum. Igitur erit viſibilis per ſe. Diaphanum autem eſt medium tranſparens. Subiungit, quod diaphanum non fit in actu ſine lumine, quia mediante lumine diaphanum dicitur illuminatum, & ideo vt de actu prius agendum eſt de lumine. *Vt coloratum.*

Tertio oſtendit quid ſit diaphanū, & quid lumen, & ait, quod diaphanū cum moueatur a lumine, aliquid dicendum eſt. Diaphanum ergo non habet *Diaphanum eſt ſuſceptiuum extranei coloris.*

P pro-

proprium colorem, ſed perſpicuū, uel transparens, & ſuſceptibile extranei coloris vocatur, vt ſunt aer, aqua, & multa ſolida, vt vitrum, & lapides qui dam.

Addit, quod aer, & aqua, & ſimilia perſpicua dupliciter conſiderari poſſunt. Primo quoad eorum qualitates .ſ. quatenus aqua eſt frigida, & aer ſiccus, & ſic diaphanum has naturas nō conſequitur ſecundum earum qualitates. Secundo poſſunt conſiderari pro ut conueniunt in vna qualitate communi etiā corporibus cæleſtibus (quæ corpora ſunt diaphana & maxime aliter non poſſemus videre ſtellas fixas, ſi corpora cęleſtia non eſſent diaphana, & transparentia) & hoc modo aer, & aqua, & ſimilia dicuntur diaphana.

Secundo diffinit lumen dicendo, lumen eſt actus diaphani, quatenus diaphanum eſt; nam videmus quod aer, & aqua non transparent niſi ſint illuminata, vnde quando actu illuminantur, actu transparent, Diaphanum autem eſt in potentia ad lumen, & ad tenebras; & fit in actu a corpore lucenti. Lumen autem, & color diſtinguuntur, quia color actu non mouet, perſpicuum lumen autem ſic; neque lumen habet contrarium poſitiuum, ſicut habet color, v.g. albedo, nigredinem: neceſſe eſt tamen quod color participet de luce, ſi videri debeat.

Lumen non eſt corpus. Quarto oſtendit, quod lumen non eſt corpus, ſicut quidam ipſum poſuerunt dicentes ipſum eſſe ignem, vnde tres ſpecies ignis faciebāt, ſ. carbonē, flammam, & lumen. Sed neque eſt aliquod corpus fluens, ſicut poſuit Democritus, dicens lumen eſſe quoſdam attomos, fluentes a corporibus lucidis. Huic ſententiæ videtur ſuffragari D. Aug. 2. lib. de libero arb. faciens lumē primum corpus. Arguit ergo Philoſophus, lumen non eſſe corpus ſic. Duo corpora non poſſunt eſſe ſimul; Sed ſi lumen eſſet corpus, duo corpora ſimul eſſent .ſ. diaphanum, & lumen. Ergo lumen non eſt corpus. Adiungit autē quod lumen, & tenebra, habent idem ſubiectum, quia contraria fiunt circa idem ſubiectum; Sed lumen, & tenebra ſunt duo contraria. Igitur erunt circa idem ſubiectum .i. circa diaphanum. Secundo, omne corpus mouetur motu locali ſucceſſiue, & ſucceſſiuo. Sed lumen & illuminatio fiunt in inſtanti. Ergo. Ita ſcias lucem non eſſe formam ſubſtantialem, quia ſic eſſent duæ formæ ſubſtantiales in corpore lucido, de qua te vide S. D. p. p. queſt. 67. art. 3. Nam D. Augu. dum dixit lucem eſſe corpus, lucem ſumpſit pro corpore lucido, i. eam conſiderauit ſubiectiue, ſed non entitatiue.

Viſus excellit ſupra alios ſenſus. Quoad ſecundum, primo adnotandum venit, quod Philoſ. prius agit de viſibili, & viſu, antequam de cæteris ſenſibus tractet, & hoc propter multas cauſas. Prima eſt, quia a nobilioribus eſt incipiendum, ſed ſenſus viſus inter cæteros præſtat, quadrupliciter. Primo quo ad obiectum, quia lumen, & lux quæ ſunt obiecta viſus, alias qualitates ſenſibiles excedunt. Secundo quo ad cognitionem, quia viſus oſtendit plures differentias rerum, vt corpora ſuperiora, & inferiora, & mollia, quæ nō habent oſſa, & terram, & ignem, & aerem, quæ non habent carnem. Tertio quo ad naturam ſuam, quia eſt immaterialior, & ſpiritualior, primo in velociſſima cognitione, prius enim videmus fulgur, antequam tonitruum audiamus; ſecundo in manifeſta cognitione, & tertio quia nō impedimur in viſu ad aliquid cognoſcendum, ſicut accidit in cæteris ſenſibus, nam v. g. guſtus ſi amarum guſtabit, non poterit dulcia percipere, niſi poſt longum tempus. Quarto quoad efficacitatem, quia multum diſtantia videmus, non ſic autem ea ſentimus.

Secundo notandum venit, quod illa verba. (Viſibile eſt enim color &c.) diuerſi-

Color eſt viſibilis per ſe in primo modo perſeitatis.

uerſimode interpretantur. Nam D. Th. dicit, quod color ſit viſibilis per ſe ſtat duob. modis. Primo, in primo mō dicendi per ſe, q̄do .ſ. prædicatum eſt de definitione ſubiecti, vt rationale de definitione hominis. Secundo in ſecundo modo perſeitatis .ſ. quia ſubiectū eſt cauſa prædicati, vt homo riſibilitatis. Modo in propoſito, hæc propoſitio non eſt vera in primo modo perſeitatis, ſed in ſecundo, quia color eſt cauſa viſibilitatis, & non viſibilitas coloris. Sed hanc reſponſionem dupliciter impugnat Toletus. Primo, quia Philoſ. non dixit, quod color ſit viſibilis ſecundum ſe; & ſecundo, quia color nō cauſat viſibile, cum aliqua videantur, quæ non ſunt colorata, vt infra manifeſtabit Philoſ. Dicit ergo Ariſt. voluiſſe declarare, quis nam color eſſet viſibilis, ſ. ille, qui eſt in externa ſuperficie. Sed hæc expoſitio aduerſatur textui dicenti. Sed quoniam in ſe ipſo habet cauſam eſſendi viſibile, hoc autem de ſuperficie verificari non poteſt, quia non habet in ſe cauſam, vt ſit viſibilis, vt habet color. Ad primum ergo dicitur, quod p illa verba elicitur quod color ſit viſibilis ſecundum ſe, & Ad ſecundum ſimiliter dicitur, quæ omnia videntur ſub ratione alicuius coloris, cōmuniter ſumpti; Sed de hoc infra.

Lux, lumen, radius, & ſplendor diſtinguūtur.

Tertio notandum pro intelligentia coloris, & diaphani, quod nō eſt idem dicere lux, lumen, radius, & ſplendor vt annuit. S. D. quæſt. 9. de uerit. art. 1. ad 7. & hic lect. 14. quia lux eſt qualitas primi corporis alterantis, & videtur ſoli attributa, a quo omnia lucem habent; Lumen vero eſt qualitas dimanans a corpore lucido, in aliquo ſubiecto ſuſcepto, vt ſi lumē ſolis a ſole procedens, modo ſuſcipiatur in viridario. Si autem lumen per rectam lineam illuminet, vel ingrediatur aliquem locum, dicetur radius: ſi vero ſplendor cauſetur ex reuerberatione dicetur ſplendor.

Corpora quædam lucida, quædam diaphana, & quædam opaca.

Quarto ſimiliter ſciendū, quod quędā ſunt corpora lucida; vt ſol, & aſtra, & quædam diaphana, i. perſpicua, & tranſparentia, vt aer, & aqua. Et quædem opaca, vt terra, lapides, & ſimilia. Nobiliſſima autem corpora ſunt illa, quæ ſuapte natura ſunt lucida; quia max ime ſunt depurata a materia, & a compoſitione elementari; poſt hæc ſequuntur corpora diaphana, & vltimū locum tenent opaca, quæ multum rētinent de cōpoſitione, & materialitate.

Diaphanum uidetur colore externo.

Quinto notandum circa diffinitionem diaphani, ſ. quod diaphanum eſt quod videtur colore externo, quod p colorem externum intelligit S. D. diaphanum non eſſe viſibile, niſi ſit illuminatum, qua propter lumen comparatur ad diaphanum, ſicut quidam eius color.

Sed contra hanc expoſitionem inſurgit Frāciſcus Toletus, quod Philoſ. ſic nihil peculiare dixiſſet, quia non ſolū diaphana, verum etiam opaca non vidētur niſi per lumen. Dicit ergo, quod per colorem externum intelligit corpus opacum, quia diaphanum non videtur niſi ei obijciatur corpus opacū; quod duabus experientijs probat. Prima eſt, quod ſi lumen ponatur in olla, in tenebris, & os eius ſit apertum, tunc non videbimus lumen in aere, ſed ſolum in ſuperiori parte opaca. Secunda eſt, quia non videmus guttas aquæ deſcendentes. Sed quāuis verum ſit, quod lumen cauſetur etiam a corpore opaco in diaphano, tamen ſtat quod prius illuminetur diaphanum, antequam lumen terminetur ad corpus opacum. Prius dico prioritate naturæ, & non tēporis, cum illuminatio fiat in inſtanti; vnde inſtantiæ nullæ ſunt, quia mediū vere eſt illuminatum, & ſi non videatur illuminatum, & ita guttæ vere ſūt in aere dum deſcendunt; modo conſiderandæ veniunt naturæ, & eorum actiuitates ſecundum ſe, & non prout nobis tantum videntur.

QVAESTIO XXVI.

Vtrum uiſibile, ſeu color ſit proprium obiectum uiſus.

Videtur quod non. Nam obiectum ſi præsens eſt, ſemper a potentia percipitur; Sed color non ſemper percipitur a viſu .i. de nocte, etiam quod ſit præsens. Ergo.

Secundo. Obiectum ſub ſe continet omnia quæ ſub potentia cadunt; Sed corpora celeſtia videntur, & tamen non ſunt colorata. Igitur.

Tertio. Aut obiectum viſus erit color vniuerſalis, aut particularis v.g. albedo. Non ſecundum, quia ſic non videretur nigredo. Non primum, quia ſolum intellectus eſt vniuerſalium, ſenſus vero ſingularium eſt. Ergo.

Quarto. Vnius potentiæ vnum eſt obiectum; At viſus habet pro obiecto viſibile. Ergo non colorem.

Quinto. Magnitudo, numerus, & multa alia ab oculo videntur, & tamen ſub colore non continentur. Ergo.

Sexto. Vnius potentiæ ſpecificæ, vnum debet eſſe obiectum ſpecificum. Sed color viſibilis eſt obiectum genericum, & potentia viſiua ſpecificum. Ergo.

In explicatione huius quæſtionis. Primo notandum venit, quod obiectũ multiplex eſt. Quoddã enim vocatur obiectum adęquatum, quoniam ſub ſe continet omnia quæ cadunt ſub potentia, & tale obiectum viſus eſt viſibile, hoc enim adęquat totam vim potentiæ viſiuæ. Secundum dicitur obiectũ nobilius, ſeu principalius, quia maiorẽ nobilitatem retinet, & hoc erit lux, quæ ſpiritualiſſima eſt. Tertium dicitur obiectum proportionatum, quia habet magnam conuenientiam cum potentia, & tale in propoſito erit color, qui eſt qualitas fecunda, reſultans ex luce, & diaphano terminato, non eſt

Obiectum triplex ad equationis, principalitatis, & proportionis.

autem inconueniens, quod eadem potentia ſub diuerſis rationibus reſpiciat diuerſa obiecta.

Secundo ad memoriam reuocandũ eſt id quod in ſuperioribus explicuimus, ſ. quod duplex eſt obiectum potentię, ſ. materiale; i. res viſa, & formale .i. ratio videndi. Obiectum ergo formale viſus erit viſibile, quia omnia videntur quatenus viſibilia ſunt, ſed hoc vocatur obiectum formale ſpecificatiuum, vnde obiectum formale ſub quo erit color, quia color eſt ratio attingendi viſibile, cum viſibile non videatur niſi ſub ratione colorati. Tandem obiectũ materiale erit res viſa, & lux erit prima ratio mouẽdi effectiue potentiam, ſed non formaliter, ſicut facit color.

Vt materiale & formale.

Tertio tamẽ ſciendum eſt, quod lux dupliciter conſiderari poteſt. Primo vt eſt interminata, & ſic non eſt viſibilis noſtris ſenſibus. Secundo vt eſt terminata ad corpus opacum, & ſic videtur. Corpus autem opacum dicitur terminare lucem, & eam recipere; non ſolũ ſecundum ſuperficiem, ſed etiam ſecundum profunditatem, non quidem in omnibus eius partibus, (niſi corpus ſit omnino tranſparens), ſed in partibus ſuperficiei proximioribus, magis, & minus, ſecundum diuerſitatem capacitatis earum, vt docet S.D. in 2. diſt. 14. art. 3. ad 10. & de ſenſu, & ſenſibili, lectione 6.

Lux videtur vt termina ta ad corpus opacũ

Quarto notandum, quod color dupliciter conſiderari poteſt. Primo vt luci compatatur, & ſic ſe habet tanquã obiectum materiale, quia lux dat colori, vt poſſit mouere viſum, & ideo diximus lucem eſſe primam rationem mouendi potentiam. Secundo conſideratur color, vt ad res coloratas refertur, & ita dicitur obiectum formale viſus, quia ipſum mouet, & tandem terminat, quia res non videntur, niſi vt coloratæ.

Et præualet colori.

Quinto notandum, quod color dupliciter ſumi poteſt. Primo communiter

Color ſumitur cõmuniter, & ꝓprie. ter .i. ſiue ſit proprius color, ſiue lux, ſiue terminetur ad opacum, ſiue ſit actus diaphani. Secundo proprie, pro ſecunda qualitate conſurgente ex admiſtione primarum qualitatum, vnde debet habere tres conditiones. Prima eſt, quod habeat lucem, nam ipſa ſe habet vt forma coloris. Secunda eſt, quod dicat diaphanum, vt materiam, & tertia quod importet opacum, quod ſe habet vt terminus coloris. Primo modo diffiniebatur a Philoſ. pro extremitate perſpicui terminati. Secundo modo prout omnia participant de colore, ſi videantur.

Omnia q̃ uidentur, ut colorata uidentur. Sexto tandem dico, quod corpora cœleſtia, ignis, & lucida dupliciter conſiderari poſſunt. Primo vt ſunt entia, & ſic non ſunt colorata. Secundo vt ſunt viſibilia, & ſic neceſſe eſt quod aliquo modo participent de colore, ſi videntur. Nec tunc ſenſus decipitur; nam deciperetur, ſi non participarent aliquam rationem colorati; vel ipſa videret, & viſibilia non eſſent, vnde poſſumus facere colorem in tota ſua latitudine ſumptum obiectum adæquatum potentiæ viſiuæ.

Concluſio probatur. Secundo loco principali ponitur hæc concluſio. Color eſt obiectum potentiæ viſiuæ. Probatur, quia omnia quæ videntur, videntur ſub ratione colorati.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum reſpondetur ad maiorem, quod obiectum ſemper percipitur a potentia, datis requiſitis, & ſublatis impedimentis, modo in nocte non eſt lux, quæ eſt debita diſpoſitio, & ideo tunc colorata non videntur.

Ad ſecundum dictum eſt in ſexto notabili.

Ad tertium dicendum, quod eſt color vniuerſalis. Ad improbationem autem dicitur, quod duplex eſt vniuerſale. Primum dicitur vniuerſale quod, abſtractum a ſenſibus. Secundum dicitur vniuerſale quo, i. ratio vniuerſalitatis, qua mediãte, v.g. color in hoc & in illo particulari ſubiecto videtur. Argumentum procedit de primo vniuerſali, nos de ſecundo loquimur.

Ad quartum dicendum ad maiorem, quod eſt vnum obiectum, ſed ſub diuerſis vniuerſalibus multiplicatur.

Ad quintum dicendum, quod loquimur de viſibilibus per ſe primo, ſenſibilia autem communia non videntur niſi per ſe ſecundo.

Ad ſextum dicendum, quod in ratione cognoſcentis, & cogniti, viſibilis, & viſus ſunt vnius ſpeciei.

LECTIO XXXII. S.D.15.

POſtquam Philoſ. diffiniuit colorẽ, diaphanum, & lumen, modo intendit oſtendere quomodo ſe habeat diaphanũ ad colores. Ait ergo, quod diaphanum eſt ſuſceptiuum coloris; hocque ſic probat. Sicut ſe habet non ſonans ad ſonum; ita ſe habet ſuſceptiuum coloris ad colorem; ſed non ſonans eſt in potentia ſonans, & poteſt ſonare; Ergo & diaphanum erit in potentia ad ſuſcipiendum colorem. Ergo ſe habebit vlterius tanquam ſubiectũ recipiens contraria .i. tenebras, & lucẽ. Habendum eſt autem quod diaphanũ ſit inuiſibile ſecundum ſe, & in potentia, ad hoc vt videatur, ſtat dupliciter. Primo ita vt ſimpliciter, & omni modo dicatur inuiſibile, & hoc falsũ eſt, quia diaphanum aliquo modo percipitur. Secundo, quia cum difficultate, & fere imperceptibiliter videtur, & ſic tenebroſum, & diaphanum poſſunt dici viſibilia. *Diaphanum eſt ſuſceptiuum coloris.*

Secundo determinat de quodam viſibili innominato, quod in tenebris videtur, & dicit quod non omnia in lumine videntur, ſed ſolum proprius color vniſcuiuſque rei, vnde ſunt quædã lucida, quæ ſolum in nocte videntur, vt ſquamæ piſcium, putredines quercuum, oculi catulorum, & multa ſimilia. Hæc autem non videntur in nocte *Lucida de nocte.*

ſub ratione colorati, ſed ſub ratione lu idi, ſed per dicm vt colorata videntur, ſed non vt lucida. De cauſa autem huius dicit aliam eſſe rationem.

Color non videtur ſine diaphano. Tertio dicit manifeſtum eſſe, quod color non poteſt videri ſine diaphano, ſeu medio tranſparenti. Probat autem hoc quoddam ſigno. Quia ſi color immediate poneretur ſupra oculum, ſine aliquo medio diaphano, color non videretur, quia color non videtur niſi in diaphano, cum ſit eius actus: Et quia dixerat, diaphanum eſſe neceſſarium, ad hoc vt res coloratæ viderētur; hinc deducit errorem Democriti dicentis, diaphanum non eſſe neceſſarium, immo eſſe impedimentum ad videndum coloratum, quia ſi eſſet formica in Cęlũ, & non eſſet medium diaphanum .i. aer, facillime videretur. Sed contra hunc ſic arguit. Videre eſt quoddam pati. Sed hæc paſſio non cauſatur ab obiecto, i. colore. Igitur a medio, i. a diaphano; ſed ſi daretur vacuum nullum eſſet medium. Igitur nulla eſſet paſſio, & ſic nullum eſſet videre.

Lucida ſunt maxime actiua. Quarto docet quomodo ignis, & lucida corpora videātur, & inquit quod hæc non ſolum videntur in lumine vt colorata, ſed etiam in tenebris vt lucida; & ratio eſt, quia ſecundum ſe habent maximũ quid actiuitatis, & ideo poſſunt etiam in tenebris agere, & cauſare viſionem.

Quinto tandem oſtendit, quod ſicut viſus mouetur a medio, ita auditus, & odoratus &c. de quibus infra erit agendum.

Diaphanũ eſt in potentia proxima ad lumē. Primo autem notandum eſt circa ſupradicta, ſ. quod diaphanũ ſit quoddam ſuſceptibile luminis in potentia, quod duplex eſt potentia. Prima dicitur remota, quæ non peruenit ad actũ ſuum ad quem ordinatur, niſi prius diſponatur. Secunda dr̃ proxima, quia ſemper eſt in vltima diſpoſitione ad hoc vt actum recipiat. Diaphanum nō eſt in potentia ad lumen primo modo, cum ſit proxima diſpoſitio colorati, & luminis; diſpoſitionis autem non eſt diſpoſitio, erit ergo in potentia ſecundo modo, vnde fit quod illuminatio ſit in inſtanti, & non in tempore.

Diaphani diffinitio explicatur. Secundo notandum circa eandem deſcriptionem diaphani, quod diaphanum inuenitur in corporibus cęleſtibus, in corpore opaco, & in tranſparētibus, vt in aere, & aqua, ſed ſolum diaphanum in corporibus tranſparentibus repertum, vere vocatur diaphanũ, quia corpora lucida, & opaca proprie non poſſunt nũcupari trāſparentia. In eius aũt diffinitione tres particulæ, & omnes neceſſariæ appoſitæ ſunt. Prima eſt, quod ſit viſibile, & hoc ad differentiam eorum quæ non videntur. Secunda eſt quod diaphanum non eſt viſibile ſecundum ſe, & hoc ad differentiam lucidorum, ſicut ſunt corpora cęleſtia, & alia ſimilia. Tertia eſt, quod videatur per colorem extraneum, & hoc ad differentiam coloratorum, q̄ videntur per colorem intrāneum, nam diaphanum videtur per colorem extraneum, vel ex aliquo aſpectu, vel reuerberatione, &c.

Tertio notandum cur aliqua luceāt de nocte, & non videantur de die, vt oculi catulorum. S. ergo D. pro ratione aſſignat, quia retinent ſecum aliquid lucis, & ſpiritualis, nam cum illa ſint compoſita ex elementis, in eis remanet aliqua ſpiritualitas ignis, & aliqua trāſparentia aeris, & aquæ, quæ in eis non totaliter occupantur ex opacitate terræ, & ideo videntur de nocte, ſicut lucida. Per diem autem non videntur, quia cum maior lux minorē offuſchet, & hæc parum habeant de luce, adueniente maiori, neceſſe eſt vt minor ceſſet.

QVAE.

QVAESTIO XXVII.

Vtrum color ſit per ſe viſibilis.

VIdetur quod non. Nam vel color videtur per lucem, vel lux per colorem. Non ſecundum, quia lux eſt obiectum formale, quo omnia videntur. Ergo color videtur per lucem; Ergo non per ſe.

Secundo. Color eſt extremitas perſpicui, in corpore terminato, vt dicit Philoſ. de ſenſu & ſenſato; Sed perſpicuum, non eſt perſpicuum niſi per lucem; Ergo nec color videtur niſi per lucem.

Tertio. Qui iacet in tenebris, videt colorem exiſtentem in luce, & non exiſtentem in tenebris. Ergo color per aliud .ſ. per lucem videtur.

Quarto. In collo Columbæ luci oppoſitæ varios colores videmus. Ergo per lucem, nam ſine ea non videntur.

Quinto. S. D. aſſerit. quod lumen facit omnes colores eſſe viſibiles actu. Igitur color non eſt per ſe viſibilis.

Titulus explicatur. Pro enodatione huius quæſtionis, animaduertendum eſt nos quærere, an color ſecundum ſe ſit viſibilis, ita vt in ſua natura actum includat, per quem poſſit ſecundum ſe videri, & ſi non videtur proueniat, quia indiget medio diaphano illuminato, taliter quod neceſſitas non ſumatur ex obiecto .i. ex colore, qui ſecundum ſe eſt viſibilis, ſed ex medio, quia .ſ. indiget medio illuminato.

Opiniones. Secundo notandum, quod circa hãc quęſtionem fuerunt multæ opiniones. Prima fuit Auicennę, dicentis lumen requiriri propter colorem, quia color ſecundum ſe non poteſt immutare viſum, vnde indiget lumine, tanquam cauſa. Auerroes uero ſuſtinet colorem ſecundum ſe eſſe uiſibilem, & non indigere medio, niſi ratione potentiæ .i. ad eam immutandam. Albertus uero quaſi uelit ſupradictos conciliare ait, quod color dupliciter conſiderari poteſt. Primo quoad ſuum eſſe materiale .i. quoad ſuas qualitates. Secundo quo ad ſuum eſſe formale, i. ut eſt color, tũc ſubinfert, quod color quoad ſuas qualitates, i. materialiter eſt etiam uiſibilis ſine luce, ſed non formaliter, quia hoc habet a luce. Primo modo dicit eſſe loquutum Auerroem, & ſecundo modo Auicennam. Sententia autem S. D. eſt, quod color obiectiue ſumptus ſecundũ ſe eſt uiſibilis, unde non indiget medio tranſparenti, niſi tanquam diſpoſitione, ad hoc ut poſſit demandare ſuas ſpecies oculo, & ſic immutare uiſum.

Color permanẽs eſt per ſe uiſibilis. Tertio igitur notandũ, quod de colore dupliciter loqui poſſumus. Primo de colore permanenti, i. de illa re colorata, quæ habet colorem permanentẽ, tanquam propriam formam, qua quidem res illa, colorata dicitur. Secundo de colore tranſeunti, & accidentali, qualis eſt color Iridis, a ſole cauſatus; nam hæc ſecundum ſe, & ex ſua natura non habet illum colorem, unde prouenit ex denſitate nubis irroratæ a ſole. Nos loquimur de coloratis primo modo, dicentes hęc eſſe per ſe uiſibilia, non autem de ſecundis, quia illorum color cauſatur ab extrinſeco, i. a ſole, & eſt in continuo receſſu.

Cum lumine. Quarto notandum, quod in colore uiſo duplex lumen poteſt conſiderari. Primũ dicitur intraneum, & intrinſecum, quia color eſt quædam lux obũbrata, unde continet aliquid de lumine, & luce, quæ ei comparantur ut eius forma. Secundũ dicitur intrinſecum, ſeu qualitas alterantis, i. ſolis, uel alterius illuminantis. Si loquamur de colore primo modo aſserimus lumen eſſe ei neceſſariũ, quia ſine eo non eſt uiſibilis. Diſputatio ergo eſt de lumine extrinſeco, de quo dicimus illud non eſſe neceſſarium propter colorem, i. ut faciat eum uiſibilem, ſed propter medium,

dium, i. ad hoc vt medium diſponat taliter, quod poſſit agere in ipſum.

Illuminatio eſt diſpoſitio neceſſaria ex parte materiæ. Quinto notandum, quod medium illuminatum eſt diſpoſitio neceſſaria ad hoc vt lumen poſſit mouere viſum. Diſpoſitiones autem ſunt in duplici differentia. Quædam enim ſunt neceſſariæ reſpectu ſubiecti; ſ. ad diſponendam materiam, ad hoc vt poſſit recipere actionem agentis. Aliæ vero ſunt diſpoſitiones neceſſariæ ex parte agentis, ad hoc .ſ. vt agens poſſit agere. Illuminatio medij non eſt diſpoſitio neceſſaria ex parte agentis, i. ex parte luminis, cum ſit eius effectus, erit ergo diſpoſitio neceſſaria ex parte materiæ, i. aeris, & potentiæ, ad hoc vt reperiatur apta ad videndum.

Vt conditio ſine qua non. Sexto igitur dicendum venit, quod lumen requiratur ad viſionem coloris bifariam intelligi poteſt. Primo tanquã cauſa formalis, i. vt formaliter faciat quod colores ſint viſibiles, ita vt ſi lumen non eſſet, colores minime videri poſſint. Secunda, tanquam conditio ſine qua non. Primo modo lumen non requiritur ad videndum colores, quia cum ipſi habeant propriam lucem, poſſunt etiam habere propriam viſionẽ. Concurrit ergo ſecundo modo, i. tanquam conditio ſine qua color non videtur, nam vltra ſuam lucem, aliam lucem requirit, medium diſponentem, ad hoc vt color poſſit agere in potentiam viſiuam, vnde poſſumus dicere, quod color fundamentaliter eſt per ſe viſibilis, omni dempta conditione, ſed formaliter indiget lumine, nõ propter ſe, ſed propter potentiam viſiuam, & hoc, vt conditione ſine qua non. Quamuis autem ad videndum colorem neceſſarium ſit medium eſſe illuminatũ, vt docet S.D. hic, lecti. 14. & Comentator tex. 67. tamen an ſit neceſſaria talis illuminatio medij ad videndum ea, quæ ſua natura ſunt lucida, vt ſunt ſtellæ, noctilucæ, catulorum oculi, & ſimilia, multi negant, & videtur eſſe ſententia Ariſtotelis de ſenſu, & ſenſibili ca. 2. & S. Doctoris ibidẽ, dicentium iſta videri, & hæc non emittere lumen illuminatiuum medij. Ideo videtur dicendum, quod hæc vt lucida poſſunt videri ſine apparenti illuminatione medij, ſed vt colorata, opus eſt vt aliquo modo ſupponant illuminationem imperceptibilem medij, quia hæc eſt expreſſa ſententia Ariſtotelis hic, textu 67. & 73.

Concluſio probatur. Quoad ſecundum ergo ponitur talis concluſio. Color ſecundum ſe eſt viſibilis. Probatur. Quod conuenit alicui per propriam formam, conuenit ei per ſe; Sed videri conuenit colori per propriam formam, i. per proprium lumen, vt declaratum eſt. Ergo.

Secundo. Colores agũt in medium, videmus enim quandoque aerem ex reflexione colorari. Igitur ſignum eſt quod ſi agunt in medium, poſſunt etiã agere in potentiam. Hoc expreſſe docuit Ariſtoteles, dum dixit. Color eſt motiuus perſpicui in actu .i. de ſe poteſt mouere perſpicuum, ſi ſit in actu, .i. ſi ſit actu illuminatum, vt exponit S. D. 3. de anima, tex. 18.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum primo dicendum eſt, quod color videtur per lucem propriã, & intrinſecam, & non per lucem extrinſecam, niſi vt ſupra. Secundo dicitur, quod color non videtur per lucẽ, nec lux per colorem, ſed per quoddã commune innominatum, ſuperius ad lucem, & colorem.

Ad ſecundum dicendum, quod duplex eſt perſpicuum. Primum dicitur totale, i. per totum, ſicut ſunt diaphana, quæ vndequaque ſunt tranſparentia. Secundum dicitur partiale, i. ſolũ per exteriorem ſuperficiem, vt ſolida, & colorata, & hoc ſecundo modo intelligit Philoſ. colorem eſſe viſibilem per propriam lucem, & ſecundum exteriorem ſuperficiem.

Ad tertium dicendum, quod ſtans in tenebris videt ea quæ ſunt in luce,

quia

quia habent conditionem ſine qua nõ, qua carent ea, quæ ſunt in tenebris.

Ad quartum dicendum, quod illud prouenit ex colore recepto in corpore, cum varijs reflexionibus.

Ad quintum dicendum, quod S. D. intelligit quod fiant in actu vltimato, non autem fundamentali, & proprio.

QVAESTIO XXVIII.

Vtrum lumen habeat eſſe in medio reale, uel intentionale.

Reſpondetur ſecũdum S. D. quod habet eſſe reale in medio, quam uis Aegidius oppoſitũ tenuerit. Probat hoc S. D. Primo, quia a lumine recepto in aere, aut in aqua prouenit actio Phyſica, ſ. calefactio, ex, ſecundo Cęli tex. 46. Secundo, quia a forma intentionali non denominatur ſubiectũ tale, non enim denominatur oculus albus, quia recipit ſpeciem albedinis. Sed lumen denominat ſubiectum in quo recipitur, quia vere, & realiter aer dicitur illuminatus lumine. Dicendum ergo venit, quod lumen in medio habet eſſe reale, vt illud actuat, & denominat; ſed in potentia habet eſſe intentionale, quia eam ſpiritualiter immutat, vnde uiſus dicitur ſenſus ſpiritualis. Quare ad uiſionem luminis adhuc ſpecies eius requiritur, ut docet S. Doctor quæ. 10. de ueritat. art. 8. ad. 10. Nec oppoſitum ſenſit. p. p. quæſt. 66. art. 3. in corpore, niſi quod dixit, lucem per ſe poſſe imprimere ſui cognitionem in oculo obiectiue, quia ipſa ſua natura imprimit ſpeciem, & non per extraneum, ſicut faciunt alia uiſibilia per lucem.

LECTIO XXXIII. & XXXIV.

S. D. 16.

De ſono cap. 7.

Hoc eſt ſeptimum capitulum in quo Philoſ. agit de ſono, & uoce.

Primo ergo ponit ſuam intentionẽ dicendo, quod prius eſt agendum de ſono, & olfactu, antequam de alijs obiectis. Diſtinguit autem ſonum .i. ſubiectum ſoni, in ſonum in actu, & in ſonum in potentia. Sonant in potentia quæ non actu ſonant, ſicut ſunt capilli, & ſpongia. Sonant in actu, quæ actualiter ſonant, ut æs, & cætera plana, & lenia. Sonus autem eſt medij .i. aeris, & auditus ſonum audientis. *Sonus actu, & in potẽti*

Secundo dicit, quod ad ſonum in actu tria concurrunt, ſ. percutiens, percuſſum, & medium. Probatur. In omni uerberatione facta cum motu locali neceſſe eſt quod ibi ſit uerberans, uerberatum, & medium in uerberatione. Sed ſonus non ſit niſi cum uerberatione ſonantis, & cauſantis ſonum, & hic ſonus motu locali ad aures peruenit. Igitur hæc tria neceſſario requirit. Sed ſcito non eſſe neceſſarium iſta tria corpora eſſe diſcontinua, ſed bene diſtincta, & hæc erunt extrema cum medio, ſed illa quæ cauſant ſonum effectiue, ſunt extrema ſolida, ſe collidentia, ut docet Ariſtoteles hic, tex. 79. *Requiſit ad ſonũ*

Tertio oſtendit quot conditiones requirantur ad generandum ſonum; ſed de his in annotationibus. Circa ſupradicta igitur primo uenit notandum circa ordinem, quod duplex eſt modus procedendi in aliqua ſcientia. Primus dicitur ſecundum ordinem naturæ, ut dum ſeruamus ordinem quem natura ſeruat. Secũdus dicitur ſecundum nobilitatem, incipiẽdo ſ. a nobilioribus. Philoſ. primum ordinem non ſeruat; *Precedit tactũ nobilitate.*

Q quia

quia ſic prius egiſset de tactu, qui eſt fundamentum totius vitæ animalis. Seruat igitur ſecundum ordinem, vnde prius egit de uiſu, qui inter ſenſus eſt nobiliſſimus. Secundo egit de auditu, qui duplici nobilitate ſupra alios ſenſus gaudet. Prima eſt, quia eſt immaterialior, nam alij ſenſus immutantur aliqua qualitate tangibili; auditus uero immutatur ſono, qui eſt qualitas ſpiritualis. Secunda, quia multas differentias rerum oſtendit, nam ſimul plures, & diuerſas uoces audimus.

Generatur ſucceſſiue. Secundo notandum eſt, quod hic Philoſ. determinat de generatione ſoni, & tamen non determinauit de generatione coloris, ſaporis, uel odoris. Ratio eſt, quia odor, color, & ſapor ſe habent tanquam formæ permanentes, immutatiuæ illorum ſenſuum. Permanent enim, ſed ſonus non habet eſſe permanens, ſed ſucceſſiuum, & tranſiens, i. dum fit, & propter hoc egit de generatione ſoni, ut de difficiliori cognitione.

Sonantia ſunt in triplici differentia. Tertio notandum, quod corpora ſonantia in triplici differentia collocantur. Quædam enim bene ſonant in actu, ut cãpana, & æs pulſatũ; Quędã bene ſonant in potentia, vt cãpana non pulſata; Quędã uero ſonant; ſed nõ bene, nec habent potentiã ſm ſe ad bene ſonandum, ſed tamen poſsunt diſponi ut bene ſonent; ut ſunt corpora mollia. Nam ſonus cauſatur ex reſiſtentia ſonantis, cum autem huiuſmodi corpora non habeant reſiſtentiam, ideo nõ ſonant; ſed ſi comprimantur, & adunentur, ſicut habebunt reſiſtentiam, ita cauſabũt ſonum magis perfectum, & minus perfectum, ſecundum eorũ duritiem, & eius qualitatem ut apparet in nube emittente ſagittam, & bombarda ſtrepitu n. Alia uero nec ſonant actu, nec potentia ſonare poſsunt, ut omnino mollia, ut aer, & aqua. Non quod ſub aqua non poſſit fieri aliquis ſonus duorum corporum ſolidorum, ſe collidenti ũ, & cauſatus ex diſruptio ne aquæ, facta a piſcib. natantibus, iuxta Ariſtotelem 4. hiſt. animalium cap. 9. Sed quia talis ſonus eſt mutus, & imperfectus, ut annuit hic S. D. lect. 15.

Sonus eſt auditus, & medij. Quarto notandum circa id, quod affirmabat Philoſ. ſ. ſonum eſse auditus, & medij, quod ſonum habet eſſe ſubiectiue in aere, & in auditu, ſed diuerſimode, nã habet eſſe ſubiectiue reale ĩ aere, q̃a in aere, realiter reperit ſonus, ſed in aure habet eſſe ſpirituale, & intentionale ſubiectiue:

Soni perfecti conditiones. Quinto notandum elicitiue ex Philoſ. quod quatuor conditiones requirũtur ad hoc, ut ſonus cauſetur. Prima eſt, quod corpora ſonantia ſint dura, nam corpora mollia, ut aer, & aqua nõ faciunt ſonum perfectum. Secunda eſt, quod ſint lenia, & eorum ſuperficies ſint planæ, quia tunc totus aer, & corpus percutitur, & ſic fit ſonus. Tertia, eſt quod ſint concaua, quia tunc aer recluditur, & egredi non poteſt, ut apparet in campana, unde in ea remanet ſonus longus. Quarta eſt, quod ſint ueлociter mota, quia ſic continuatur repercuſſio, & conſequenter fit ſonus. Sed hæ conditiones requiruntur ad ſonum perfectum, non autem ad imperfectum.

Ecchon cauſatur ex reflexione vocis. Sexto notãdum circa ſonum Ecchõ. ſ. reuerberationis, quod hic ſonus ex reflexione uocis cauſatur, & dat exemplum Philoſ. quod ſi in aqua proijcitur lapis, uidemus multas circulationes, ex lapide deſcendenti cauſatas; ſi autem una illarum impedimentum inueniet, reflectitur, & ita noui circuli cauſantur. Ita ſimiliter occurrit in ſono, nam ſonus qui eſt uerberatio aeris egreditur; ſed cum inuenit obicem reflectitur, & tunc illa reſonantia cauſatur, ex quo uidemus, quod pcipue Eccho cauſatur in uallibus, uel locis concauis, in quibus uox, uel ſonus concluditur, & tunc reflectitur, & auditur. Si autem quis quærat, an ſemper cauſetur Ecchon

chon, Reſpondet Philoſ. quod ſemper vbi eſt reſiſtentia, quamuis ſemper nõ audiatur, ex diffuſione vocis, vel ſoni, vel ex minima reſiſtentia.

Similis. Septimo, notandum, quod duplex eſt reflexio vocis. Prima dicitur ſimilis, quia fit cum repercuſſione vocis, vel ſoni ſimilis, & hic ſonus proprie dicitur Ecchõ. Secunda dicitur diſſimilis, vt cum bombarda aerem percutit, & ex illa percuſſione, nouus ſonus cauſatur primo correſpondens, quamuis debilius, & hic non vocatur Ecchon.

Octauo notandum ad maiorem intelligentiam eorum quæ diximus, ſ. quod tria concurrunt ad formationem ſoni, videlicet duo corpora ſe percutiẽtia, & medium. Quod non eſt ſemper neceſſarium, quod illa corpora ſint diſcontinua, vt diximus ſupra; nam quandoque continua ſunt, vt dum virga aerem verberat, nam aer ſe habet vt percuſſum, & vt medium. Si tamen ſonus debet cauſari, neceſſaria ſemper eſt aliqua reſiſtentia.

QVAESTIVNCVLAE.

28. 29. & 30.

Vtrum ſonus ſit ſolum ſubiectiue in aere, ita ut non poſſit fieri in aqua.

Videtur enim, quod ſolum fiat in aere. Nam videmus, quod ſi ſonus fiat in fundo ampullæ, quod quædam bullæ ſupernatant, quę ſunt partes aeris incluſi in aqua cauſantis ſonum.

Secundo. Similiter cernimus piſces fortiter mouentes brancas non cauſare ſonum, ſed dum ſuper aquam veniunt, vbi terminatur cum aere, tunc ſonus fit.

Secunda quæſtio eſt. An Ecchon ſit idem numero ſonus cum priori.

Videtur enim, quod non ſit idem, ſed ſpecie diſtinguatur. Nam ſonus vox, & ſonus non vox ſpecie diſtinguũtur; Sed Ecchõ non eſt ſonus vox, quia talis fit ab ore animalis, & ille non. Ergo.

Tertia quæſtio eſt. Vtrum ſonus ſit qualitas diſtincta a motu ſoni. Videtur enim quod non. Quia Ariſt. dicit, quod ſonus eſt ictus, & motus. Igitur.

Quarta eſt. Vtrum ſonus ſit motus, vel qualitas. Videtur enim quod non ſit qualitas. Nam omne ens ſucceſſiũ vel eſt motus, vel tempus; Sed ſonus eſt ens ſucceſſiuum, & non eſt tempus. Ergo erit motus.

Secundo. Non eſt in aliqua ſpecie qualitatis, prima, vel ſecunda, ergo. Probo antecedens. Quia non eſt prima qualitas, cum talis ſit tangibilis, & ſonus non. Non eſt ſecunda, quia non conſtat ex qualitatibus tangibilibus. Ergo. Nec eſt de tertia ſpecie qualitatis, quia paſſio, vel paſſibilis qualitas eſt principium phyſicæ alterationis. At ſonus non cauſat phyſicam alterationem, vt patet. Nec cauſatur ex motu locali, quia mirabile videtur, quod lapillus cadens a pauimento cauſet alterationem in toto ſpatio circunſtãte.

Opiniones. Pro reſolutione harum quæſtionũ primo notandum eſt fere nullam eſſe difficultatem quod in aqua non poteſt fieri ſonus, niſi ibi includatur aer; ſed an abſque aere fieri poſſit, vt in fundo maris, vel putei; duplex eſt opinio. Prima eſt Auerrois, Ianduni, & Iauelli, quod ſonus non poſſit generari niſi in aere; Altera eſt Temiſtij, Auicenę, & Caietani tenentium, quod etiam poſſit generari in aqua. Primi probant ſuam opinionem. Primo ex Ariſt. tex. 70. vbi docet, quod ſonus generatur ex repercuſſione reperta inter percutiens, & percuſſum mediante aere nullam mentionem faciendo de aqua.

Secundo eam probant ex S. D. dicente, neceſſariũ eſſe ad generationem ſoni, quod adſint percutiẽs, percuſſũ, & medium, qui eſt aer, ſiue fiat ſonus

in aere, ſiue in aqua.

Sonus ſemimutus eſt ĩ aqua. Secundo notandum venit, quod duplex eſt ſonus; Primus dr̃ perfectus, & a nobis perceptibilis. Secundus dicitur imperfectus, & fere mutus. Primus reperitur in aere. Secundus in aqua. Nam aer defert vocem ex ſuo motu, & ſpiritualitate vſque ad aurẽ; aqua vero ex ſua groſſitie fluxibilitate, & tarda fractione impedit ſonum, vt patet in natatione piſcium, nam cũ rumpant aquas, neceſſe eſt vt aliquem ſonum cauſent, vt diximus ſupra.

Prima concluſio. Secundo loco principali ponuntur hæ concluſiones Prima eſt. Sonus imperfectus poteſt generari in aqua. Patet ex Philoſ. tex. 79. dicente, non eſſe proprium aeri, vel aquæ cauſare ſonũ. Igitur erit vtrique commune. Reſpondet Iauellus, quod ſenſus verborum Philoſ. eſt, quod aer & aqua ſecundum ſe conſiderata non poſſunt cauſare ſonum, cum ſint corpora mollia. At ego ſubinfero. Ergo ſicut aer ponitur medium in ſono, ita, & aqua.

Secundo. Vbi reperiuntur conditiones cauſantes ſonum, ibi poteſt reperiri ſonus. Sed in aqua reperiuntur hę conditiones. ſ. percutiens, percuſſum, & medium. Ergo ibi poterit eſſe ſonus. Reſpondet Iauellus, quod ibi non reperiuntur cum tanta perfectione, quod poſſint generare ſonum; Sed ego ex his arguo, quamuis ibi non reperiatur ſonus perfectus, non tamen poteſt negari, quod ibi non reperiatur ſonus imperfectus: quod experientia comprobari poteſt, cum ex motu natationis piſcium alij congregentur, & alij fugiant.

Ad primum ergo argumentum dicitur, quod illæ bullæ oriuntur ex commotione aquæ, & ex aere, tunc genito, & incluſo, ſed tamẽ abſque illis bullis eſt ſonus.

Ad ſecundum dictum eſt, quod in aqua fit ſonus imperfectus, & in aere perfectus.

Ad primum Iauelli dicimus primo, quod ſufficiebat Philoſ. quod ibi feciſſet mentionem de vno medio ſimili, quia virtualiter etiam agebat de alio ſimili.

Ad ſecundum dicitur, quod S. D. loquebatur de medio ſoni perfecti.

Ad ſecundum dubium reſpondendo. Notandum eſt primo, quod circa hanc difficultatẽ ſunt tres opiniones. Prima eſt dicentium, quod illi ſoni diſtinguuntur ſpecie.

Secunda, quod ſint idem numero ſonus, vt tenet Toletus. Primo, quia non eſt ibi aliqua reflexio cauſata cum diuerſitate, vnde vox reflectitur eodẽ modo, quo emittitur.

Secundo, quia non eſt alius homo qui ſe videt in ſpeculo ab eo, qui non ſe inſpicit in ſpeculo, & ita pariter nõ eſt alia vox illa, quæ reflectitur in Ecchon ab ea, quæ non reflectitur.

Tertio quia habet eaſdem articulationes &c. Tertia ſententia eſt Thomiſtarum, quod hi ſoni ſint idem ſpecie, ſed diſtinguantur numero.

Cõcluſio igitur eſt. Sonus, & Ecchõ diſtinguuntur numero. Probatur primo. Motus continuus, & reflexus non ſunt vnus numero motus, per Philoſ. 8. Phyſ. Sed primus ſonus eſt directus, & Ecchon reflexus. Ergo.

Secundo. Sicut ſe habet pila dum parietem percutit, & ad manum redit, ita ſe habet ſonus egrediens per motum directum, & regrediens per Ecchõ reflexum per Ariſt. hic; ſed motus ille pilę non eſt vnus numero, nam ſic eſſet ſub contrarijs. Ergo idem dicendũ eſt de Ecchon, & ſono.

Ad argumentũ ergo dicitur, quod Ecchõ erit etiam vox ab ore animalis reflexiue; ſi prior ſonus ſit ab ore animalis, & hoc virtualiter, & ſi non formaliter.

Ad primum Toleti dicitur, quod ibi eſt diuerſitas, ſ. reflexio, & motus contrarius.

Ad ſe-

Ad ſecundum dicitur, quod exemplum non eſt ſimile, quia ſpecies non recipitur in ſpeculo, niſi intentionaliter; neque eſt in medio, ſonus autem & reflexio ſunt in medio, & in fieri reali.

Ad tertium dicitur, quod ſufficit diuerſitas reflexionis, ſed etiam apparet multa diuerſitas in articulatione. Colligas autem hic cum S. D. Alberto M. Simplicio, & Alexãdro, Ecchô fieri per reflexionem ſoni realis in corpore obſiſtente, & per reuerſionem eius vſque ad auditum, vel vſque ad aliquam partem medij, ex qua ſpeciem ſui producat in organo, quod aperte Ariſtoteles indicauit, dicant quicquid velint alij.

Ad tertiam quæſtionem dicitur, quod eſt alia qualitas. Et ad propoſitionem Philoſ. reſpondetur, quod hæc propoſitio. Sonus eſt ictus, eſt vera cauſaliter, i. ſonus cauſatur ex ictu; ſed nõ formaliter .i. quod ſit ictus, in quo ſenſu procedit argumentum.

Ad quartam quæſtionem dicitur, quod ſonus non eſt motus, ſed qualitas de tertia ſpecie. Probatur primo. Quia habent diuerſas differentias, nã motus dicitur velox, vel tardus, ſonus vero dicitur grauis, vel acutus. Secundo, quia motus eſt ſenſibile commune, & ſonus proprium. Tertio quia dicit Ariſt. in libris de hiſt. An. cap. 8. quod piſcatores piſcantes nullam mittunt vocem, ne piſces illam audiant; inimaginabile eſt autem quod vox communiter moueat aquam. Quarto quia in tertia ſpecie per Ariſt. ſunt obiecta omnium ſenſuum; ergo in ea erit etiam obiectum auditus. Quĩto quia patet ſonum campanæ durare, ceſſante motu corporum ſonantium. Eſtq; ſententia Alberti Magni in ſumma de homine p. 2. q. 1. & D. Thomæ hic, lect. 16.

Ad primum huius difficultatis dicitur, quod duplex eſt ens ſucceſſiuum. Primum dicitur ſucceſſiuum per ſe, & formaliter, quia intrinſece dicit ſucceſſionem, & hoc eſt motus, & tempus. Secundum dicitur ſucceſſiuum denominatiue, & per accidens, ſicut eſt illuminatio ſucceſſiue facta a lucerna; Nõ eſt enim tunc quod lumen ſuccedat, ſed quia ſuccedit illuminatio in illuminato, & hoc pacto etiam ſonus eſt ens ſucceſſiuum, quia ſuccedit continuus ſonus cauſatus ex motu locali eius. Habet tamen aliquam permanentiam in ſe, ſed in effectu .i. auditione tenet ſucceſſionem, quouſque tantum durat motus aeris.

Ad ſecundum dicendum, quod non eſt nec prima, nec ſecunda qualitas, ſed altera, de tertia ſpecie, nec dum Ariſt. diuiſit qualitates in primas, & ſecũdas diuiſit omnes qualitates expreſſe, ſed ſolum tangibiles.

Ad tertium dicendum, quod phyſica alteratio eſt duplex. Prima dicitur corruptiua, & talis nõ eſt ſonus. Secunda dicitur ſuſceptiua ſecũdum eſſe perfectum & non tantum ſecundum ſuã ſpeciem, & ſic eſt qualitas. Dicitur autem ſonus paſſio, quia cum facilitate remouetur, & non paſſibilis qualitas, quia hæc cum difficultate a ſubiecto remouetur.

LECTIO XXXV. & XXXVI.

S. D. 17.

POſtquam Philoſ. tractauit de generatione ſoni, modo vult determinare quomodo ſonus ſit obiectum auditus, & eum immutet.

Primo ergo laudat Antiquos ĩ hoc, quod dicebant vacuum maxime inſeruire auditui, vocantes vacuum aerem, propterea quod non videtur, nec tangitur, dicit ergo quod ſonus cauſatur ex continuo motu aeris, vſque ad auditum, & quod lene eſt illud quod dicitur bene ſonare, aſperũ vere nequaquam. Lene autem dicitur corpus habens partes æquales, quarum vna alteri non ſupereminet, ſicut reperitur in *Aer inſeruit auditui.*

aſpe-

aſpero. Et hinc eſt, quod leue bonum facit ſonum, quia ſeruat magnam vnitatem ſuperficiei, ex qua fit ſonus continuus, in aſpero vero non eſt ſic, quia ex eius diſcontinuitate aer frangitur, & ſonus. Ait itaque Philoſ. aerem eſſe conaturalem auditui, ſicut eſt oculo humor chriſtallinus, vnde animal non vbique audit, neque vbique videt, ſed videt vbi habet humorem chriſtallinum, & aqueum, qui eſt tanquam materia viſionis, & audit tantum vbi habet illum aerem incluſum, quo mediante audit.

Vt eſt immobilis in aure. Secundo oſtendit, quomodo aer deſeruiat auditui, & non, & dicit, quod aer dupliciter poteſt conſiderari. Primo ſecundum ſuam naturam, & ſic dicitur inſenſibilis. Secundo vt reprimitur a reſiſtentia corporis duri, & ſolidi, & ſic dicitur cauſare ſonum, quia ad generationem ſoni, neceſſaria eſt reſiſtentia, & percuſſio duorum ſolidorũ in aere. Subinfert ibi diſtinctionem quandam, ſ. quod duplex eſt aer. Primus dicitur conaturalis auditui; i. incluſus in aure, & hic eſt immobilis, ex quo apparet, quod auris etiam in aqua poſita audit, quouſque aer in illa incluſus non corrumpitur, ſi autem ex aqua intrante corrumpatur, animal non amplius audit, ſicut etiam ſi frangitur, vel corrumpitur illa pellicula auditũ circundans, quæ dicitur meringa. Talis autem aer omni motu caret, quia debet percipere omnium ſonorum qualitates, ſicut etiam pellicula oculum circundans, non eſt aliquo colore colorata, ad hoc vt poſſit omnem colorem videre, nam intus exiſtens prohibet extraneum.

Probat autem quadam coniectura Philoſ. aerem in auribus eſſe incluſum, quia videlicet ſi digito aurem claudamus, audimus ſonum tanquam ſonum cornu; vnde quia ille aer continuo mouetur, & non relinquit aerem intus incluſum immobilem, hinc oritur, quod illi qui habent talem motum aeris in aure infirmi ſint auditus, quia ille motus aeris impedit propriam, & ſtabilẽ rationẽ audiẽdi. Secundus dicitur aer extrinſecus, & hic eſt, qui cauſat diuerſitatem ſonorum.

Tertio mouet quandam difficultatem circa generationem ſoni, ſ. an cauſa ſoni ſit verberans, vel verberata. Determinat autem eſſe vtrunque, ſed diuerſimode, ſ. percutiens vt cauſa, & percuſſum vt reſiliens, ex quo duo corpora tantum dura ſunt illa, quæ bonũ faciunt ſonum. *Sonus fit ex percuſſione duorum corporum.*

Quarto determinat quid ſentiendũ veniat de differentijs ſoni. Et primo dicit, quod ſonus in potentia non cauſat diuerſitatem ſoni, ſed vt eſt in actu, vnde ſicut color non percipitur ſine actuali lumine, ita nec ſonus auditur ſine actuali ſonatione. Secundo dicit, ꝙ acutum, & graue ſecundum metaphoram dicuntur differentiæ ſoni, quia vere, & realiter ſunt qualitates tangibiles. Tertio dicit, quod acutum mouet ſenſum in pauco tempore .i. auditum, & graue illud mouet in multo tempore. Quarto docet graue, & acutum nõ eſſe idem quod velox, & tardũ. Quinto addit, quod habent ſimilitudinem cum qualitatibus tangibilibus, ſ. acuto, & hebeti. *Acutum & graue ſunt differentia ſoni.*

Circa autem ſupradicta primo notandum venit, quod illud actiuum auditus tres debet habere conditiones. Prima eſt, quod habeat vnitatem, & continuitatem motus, & aeris ab aliquo corpore ſolido. Secunda eſt, quod in aure ſit incluſus aer, in quadam pellicula. Tertia eſt, quod ille aer ſit immobilis, vnde ex defectu harum conditionum, tria impedimenta oriuntur. Primum eſt, quod quando ille aer incluſus in aure corrumpitur, vt ſi in aure intret aqua; tunc non poteſt ſonus audiri, & præcipue in aqua. Secundum eſt, quando pellis meringhæ læditur. Debemus enim imaginari, quod illa *Auditus impedimẽta.*

pel-

pellis ſit ſicut pellis pergamina diſtenta, vel ſicut pellis timpani, apta ad cauſandum ſonum, dum bene diſtēditur, dum ergo illa pellicula lęditur, vel ex nimia humiditate defluente, vel ex vehementi ſono illam percutiente, tunc ex eius relaxatione efficitur animal ſurdum. Tertium eſt, quando aer incluſus in aure fit mobilis: nam tunc non relinquit auditum ſonos audire proprios.

Secundo notandum, quod in Philoſ. in textu non ponuntur niſi duo modi ſoni, ſ. ſoni grauis, & acuti, quia omnes alij modi, vel ſpecies ad hos reducuntur; nam ſi graue & acutum formaliter ſumantur, dicuntur ſpecies ſoni; ſi autem materialiter idem ſunt, quod ſonus multo, & pauco tempore durans, vnde non eſt idem dicere, velox, & tardum, quod graue, & acutum, ſicut non ſunt idem motus, & ſonus, nam velox, & tardum, ſunt cauſæ ſoni, grauis, & acuti, ſicut & motus eſt cauſa ipſius met ſoni.

QVAESTIO XXXI.

Quod nam ſit medium auditus.

RESpondetur, quod in audiēdo aer, & aqua ſunt medium. Quare autem Philoſ. hoc ſemper non explicuerit, duæ rationes adducuntur. Prima eſt, quia quod ſemel dixit, ſemper ſubintelligendum voluit, & quia quod de vno ſimili dicitur, a cæteris ſimilibus non eſt excludendum. Secundo quia experimur, quod in aere bene audimus, & hi qui ſub aqua natant piſces, & homines, ſonum & ſtrepitum loquentium, & vociferantium audiunt.

QVAESTIO XXXII.

Vtrum hæc ſit bona diffinitio ſonatiui, ſ. Sonatiuum eſt motiuum aeris, vnius continuitate, vſque ad auditum.

VIdetur .n. quod non, & primo arguitur ly motiuum. Quia longius ſonum audimus, quā commotio aeris pertingat. Nam hodie bombardas Mediolani audiui in hoc loco S. Mariæ de Baſella, quæ a ſupradicta ciuitate diſtat per viginti octo milliaria. Mirabile autem videtur, quod ille aer, qui erat in bombarda Mediolani, in tā paruo tempore Baſellam venerit.

Secundo. Nō ſolum ſonatiuum audimus in aere, ſed & in aqua, vt ſupra. Ergo male dicitur in diffinitione, quod ſit motiuum aeris.

Tertio arguitur contra ly vnius cōtinuitate. Nam in domo vndequaque clauſa audimus clamorem, in platea factum. At inter plateam, & nos exiſtentes in aula clauſa intercedunt parietes, & portæ; Ergo non poteſt dari hęc continuitas.

Quarto arguitur contra ly auditū. Nam auditu remoto, adhuc ſonatiuū daretur, ſicut adhuc eſſet ſonatiuum, ſi campana ſonaret, & nullus eam audiret. Ergo male dicitur in diffinitione, quod ſonus in actu dicitur, quando ad aures peruenit.

Quinto. Quia videtur iſta particula ſuperflua, vſque ad auditum. Nam hęc non fuit de colore expreſſum, ſ. quod dicatur viſibile dum peruenit ad viſum. Ergo nec hoc erat exprimendum de auditu.

Pro reſolutione huius quæſt. primo notandū venit, quod circa eā ſunt duę opiniones præcipuæ. Prima eſt S. D. in 2. diſt. 1. quæſt. 2 art. 2. ad ſecundum, & Thomiſtarum, tenētiū quod aer mutetur, & moueatur realiter per aliquam diſtantiam, vltra quam non moue- *Opiniones.*

mouetur realiter, ſed ſolum intentionaliter transferendo ſuas ſpecies vſque ad auditum, ſicut videmus colorem vſque ad certum locum colorare aerē, ſed vltra illum locum non, ſed ſolum mittere ſuam ſpeciem ad oculum intētionaliter. Hanc ſequuntur Conimb. quæſt.2 art.2. Ex oppoſito, Alij ſentiūt, quod moueatur realiter per totum ſpatium vſque ad auditum. Ita tenent Albertus Magnus in ſumma de homine tract. de auditu. Alexander cap. præſenti. Aegidius tex.84. & alij, & ſi differant in modo.

Sonus conſideratur vt audi- tur. Secundo notandum, quod de ſono, ſicut & de alijs obiectis ſenſuum bifariam loqui poſſumus. Primo vt res sūt, conſiderando ea vt ſunt tales, & tales naturæ. Secundo vt obiecta ſunt, v.g. quatenus ſonus auditur, color videtur &c. Philoſ. hic conſiderat ſenſibilia ſolum ſecundo modo per ſe, & ſi aliquando per accidens agat de eorum natura, vt de generatione ſoni, &c. vt ſupra. Dicit ergo tex.82. ſonum commouere aerem ad auditum, non eundem, ſed contiguum, vſque ad certam diſtantiam, vnde dicitur idem aer non formaliter, ſed cauſaliter, & nō ſuſceptus in potentia realiter, ſed intentionaliter.

Et vt eū immutat. Tertio notandum, quod ſenſibile neceſſario habet immutare ſenſum, quia ſe habet tanquam obiectum, & actus diſtinguens, & actuans potentiā. Sed quamuis neceſſario immutet potentiam, non tamen neceſſarium eſt, quod tantum hoc, vel illo modo eam immutet, i. realiter tantum, vel intentionaliter, ſed ſufficit quod ſenſum immutet vel intentionaliter vel realiter, prout potentia talis, apta nata eſt immutari.

Concluſio probatur. Secundo ergo loco principali ponitur hæc concluſio. Aer non ſonat realiter agitatus vſque ad auditum. Probatur. Quia multi ſimul & in vno inſtanti, vnius vocem audiūt, & paruam quandoque. Sed auditus plurium non poteſt commoueri ex parua voce cum aere motu locali volante, & in inſtanti ſonante in omnium eorum aures, etiā per magnam diſtantiam. Confirmatur primo, quia piſces audiunt voces piſcātium aqua manente immota. Confirmatur ſecundo quia ſonus habet aerē ſemper diſpoſitum ad recipiendam ſpeciem ſuam intentionaliter, & ſpiritualiter, ſicut conſpicitur etiam in viſu, a longe vidente.

Ad primum patet, quod medium intentionaliter in longa diſtantia mouetur; & in proxima realiter. *Argumēta ſoluuntur.*

Ad ſecundum patet ex ſupradictis.

Ad tertium dicendum, quod in domo, vel aula, vndecunque clauſa, ſunt aliqui porri, & aliqua foramina, ex q bus aer exterior cum interiori continuatur, & conſequetur ſit ſonus; quod experiētia probatur. Quia ſi ponamus muſcam in cimbalo, vndequaque obturato, adhuc ſonum ſentimus. Sed hæc reſpōſio nō placet Toleto. Primo, quia videtur purum figmentum ſimiles porros ponere. Secundo, quia illa particula aeris paruiſſima eſt, & non poteſt motum recipere, & ſonum cauſare. Tertio, quia illi porri ſunt inordinati, & particulis corporis circundati, impedientibus tranſitum. Quarto, quia piſces audiūt voces, ipſis immotis. Sed hæ rationes friuolæ ſunt, ſuppoſito q̄ ille motus, & tranſitus aeris ſit intentionalis, & continuatio ſit intentionalis, pro quanto neceſſarium eſt ad audiendum. Vnde ad primum patet, quod hoc docuit Ariſt.

Ad ſecundum dr̄ quod quantus eſt aer, tantus eſt ſonus, ſi paruus, paruus, ſi paucus paucus, ſi magnus, magnus.

Ad tertium, & quartum ſimiliter dicitur, quod ibi ſunt porri, per quos ſpecies ſoni exiſtentes in aere tranſeunt intentionaliter.

Ad quartum dicendum, quod ſonatiuum duobus modis poteſt conſiderari. Primo ſecundum ſe. Secundo vt eſt

audi-

audibile, & hoc ſecundo modo dicimus nõ poſſe eſſe ſine auditu,& ſi primo modo vtique. Secundo dicimus quod tunc ſonatiuum eſſet audibile in potentia,& ſi non in actu.

Ad quintum dicendum, quod immutare medium, eſt omni ſenſibili commune, ſed non eodem modo,nã color immutat, ſed ſemper per ſolam continuitatem medij, quia viſio fit per lineam rectam: at ſonus ex omni parte auditur,& ideo habet quid amplius. Teneas autem hic cum expoſitoribus Ariſtotelis, contra Paulum Venetum,& Vegam,de arte medendi,lib. 1. ſonum non eſſe ſubiectiue in corporibus ſonãtibus,ſed in aere, ſeu medio, in corporibus vero ſe collidentibus repetitur effectiue. Nam ſonus per Ariſtotelem tex.78. & 88. recipitur in medio,per actionem ſe percutientium, & ideo corpora ſonantia efficiunt ſonum, ſed illum non recipiunt, niſi ratione partium porroſarum,vt patet in campana,poſt ictum ſonante.

QVAESTIO XXXII.

An aer incluſus in aure: ſit immobilis.

VIdetur enim quod Philoſ.ſibi cõtradicat.Nam prius dicit illum aerem eſſe in auribus complantatũ, & immobilem, & deinde dicit quod ſemper mouetur, quodam motu proprio.

Secũdo. Quia videtur ponere pro ſigno boni auditus, audire,ſonare aurem ſicut cornu, & tamen hoc eſt inditium mali auditus, quia intus exiſtens, prohibet extraneum.

Aer imobilis in aure cauſat bonum ſonum.

Ad hanc quæſtionem reſpondent aliqui dicendo,quod in propoſito duplex eſt motus. Vnus qui fit per ingreſſum,& egreſſum aeris. Alter qui fit quaſi per circulum. Tunc dicunt aerem eſſe immotum primo modo, aliter non poſſet cauſare ſonum egrediendo,ſecundo autem modo dicunt ipſum moueri in aure a calore cordis; Sed hæc reſponſio non poteſt ſtare, quia ſi auditus debet percipere cẽm ſonum,& omnem differentiam ſoni, nullo modo debet moueri, quia intus exiſtens,prohibet extraneum. Habet ergo S.D.quod ille aer dupliciter poteſt conſiderari. Primo vt exiſtit in bona diſpoſitione,& ſic immotus cauſat ſonum. Secundo vt exiſtit in mala diſpoſitione, & ſic mouetur, & ex illo motu malus auditus cauſatur; quod experientia teſtatur, quia ille qui audit tinnitum in aure, male audit,quia intus exiſtens, prohibet percipere omnem differentiam ſonorũ. Sed inſtant aliqui contra hanc reſpõſionem, pro quanto negat aerem in bona diſpoſitione non moueri,quia ſi aurem digito concludamus, tinnitũ in aure audimus, hic autem non poteſt procedere ab aere extrinſeco, cũ non poſſit intrare. Igitur erit a motu aeris incluſi. Aliqui huic argumento dicunt, hoc poſſe procedere vel a calore cordis, vel a vaporibus ſurſum aſcendentibus, vel a venis collocatis circa aurem. At ego potius dicerem hoc procedere ab aere externo, intus incluſo.intra meringam, & digitum comprimentem,qui quærit exire, & dum nõ poteſt,cauſat talem ſonitum ſurdum,qui videtur motus aquarum decurrentium.

QVAESTIO XXXIII.

Vtrum aer ſecũdum ſe ſit inſonabilis.

VIdetur quod non.Quia ventus ſupra montes perflãs,& ſine aliquo impedimento tranſiẽs, ſonum facit.

Adhoc dicendum, quod aer poteſt dupliciter conſiderari.Primo ſecun-

Aer ſecundum ſe eſt inſonabilis. cundum ſuam naturam,& ſic dicitur inſonabilis, ſi relinquatur ſuæ naturali diſpoſitioni. Secundo vt ſit ei aliqua violentia, vt dum vnus ventus ſupra montem alteri contrariatur, vel virga cedit aerem, vel dum vna pars vult alteri ſuccedere,& tunc cauſatur ſonus, quia tunc illæ duæ partes ſe habent tanquam duo corpora dura.

De Voce.

LECTIO XXXVII.

S. D. 18.

POſtquam Philoſ. egit de ſono, hic agit de voce, vnde in explicationem huius, tria adducemus. Primo quæ dicuntur a Phil. Scdo ea quæ circa illa digna ſunt annotatione,& tertio quædam dubia.

Vox cõuenit ſolum an matis. Quoad primum, primo habet Philoſ. quod ſolum animatis cõuenit formare vocem. Nam differentia eſt inter ſonum, & vocem, quod ſonum etiam inanimata faciunt, vt ſi duo lapides mutuo ſe percutiant, ſed ſonũ vocem niſi animata formant. Adiungit tamen, quod ſolum animata forment vocem ſtat dupliciter. Primo proprie, & hoc eſt verum. Secundo ſimilitudinarie, & ſic etiam inanimata dicuntur formare quaſdam voces, ſimiles vocibus animatorum. Hæc autem ſimilitudo in tribus attenditur. Primo in extenſione, quia ea percuſſione cauſatur extenſio ſoni, ſicut & vocis. Secundo in melodia, quia etiã res inanimatæ, ſicut & res animatæ faciunt ſonum graue, vel acutum. Tertio in diſtinctione aliqua ſyllabarum.

Habentibus ſanguinem. Secundo oſtendit differentiam inter animata, & inanimata, & etiam inter ipſa animata in formatione vocis. Supponit ergo inanimata differre ab animatis, quia inanimata non formant vocẽ, ſed nec oĩa animalia vocẽ formãt, ſed ſolum quæ habent ſanguinem, vnde non habentia ſanguinem eam non formant, ſicut patet in piſcibus, lumacis, vermibus,& ſimilibus. Et ratio eſt, quia vox formatur ex attractione aeris,& eiuſdem met reſpiratione. Sed talia animalia non habẽt propriam reſpirationem: ergo nec poſſunt formare vocem. Nec valet dicere inquit Philoſ. quod piſces natantes in Achelao flumine Arcadiæ vocem emittant, qa illa non eſt vox, ſed ſtrepitus quidam, ex commotione aquæ cauſatus. Multa autem fabuloſa dicebantur de illa regione Arcadiæ, vnde de his non curat Philoſ.

Cum conditionib. Tertio ponit aliquas conditiones neceſſarias ad formationem vocis. Prima eſt, quod formans vocem, per reſpirationem attrahat aerem, vnde nõ in omni loco animal emittit vocem; ſed vbi eſt propria attractio,& repercuſſio alicuius ad aliquid. Secũda eſt, quod formans vocem habeat linguã, nam ſicut natura vtitur palato, neceſſario propter guſtum,& ſaporem, & ad bene eſſe ad interpretationem, ita natura vtitur neceſſario aere attracto,& reſpirato ad mittigandum calorem cordis, & ad bene eſſe ad formationem vocis, quæ ſi perfecta eſſe debet, neceſſaria erit lingua. Tertia erit, vt qui format vocem, habeat arteriam ex qua fit attractio aeris ad pulmonem, quia hęc pars maxime eſt coniuncta cordi, & ideo maxime calida; & propterea ad eius temperamẽtum trahitur aer. Hinc diffinit vocem dicendo, quod vox eſt reſpirati aeris percuſſio, ad arteriam vocalem, quæ primo cauſatur ab anima. Probat autem quod ſonus vocalis ſit ab anima ſic. Quia non omnis formatio vocis vox dicitur, vt patet in tuſcientibus, & formantibus conſimiles ſtrepitus, vnde oportet quod non ſit formata cum imaginatione, & aliquid ſignificet, vel naturaliter, vel ad placitum,

anima

anima aũt, eſt principiũ imaginationis,& origo ſignificationum, aer aũt concurrit vt inſtrumentum animæ.

Quarto oſtendit duplici experimẽto veritatem illius particulæ,reſpirati aeris. Primum,quia homo non format vocem dum attrahit,vel expellit aerem,ſed dum eum retinet. Secundum,quia piſces propterea non reſpirant,quia nec guttur habent,nec arteriam attrahentem aerem.

Sonus vox & ſon° nõ vox conueniũt & diſconueniunt. Quoad ſecundum pro maiori explicatione dictorum. Primo notandũ eſt,quod inter ſonum,vocem,& ſonũ non vocem triplex eſt ſimilitudo, & triplex diſſimilitudo. Prima ſimilitudo eſt in extenſione, & diſſimilitudo in modo extenſionis, quia vox inanimatorum vt pote cauſata ex ſola percuſſione cito tranſit;ſed ſonus vox cũ ſit percuſſio aeris reſpirati ad arteriã ex imaginatione animæ, longo tempore poteſt durare,& extendi. Secunda ſimilitudo eſt in conſonantia, ſed differentia eſt in modo,quia ſonus nõ vox eſt vniformis, cum ſit naturalis, ſed ſonus vox eſt difformis,prout placet animali emittere vocem grauem, vel acutam. Tertia ſimilitudo eſt in formatione,ſed in modo ſtat diſſimilitudo,quia ſonus non vox habet continuationem,ſed ſonus vox poteſt habere continuationem, & diſcontinuationem,prout animal vult exprimere ſuum appetitum.

Animalia nõ habentia ſãguinem non formãt vocẽ. Secundo notandum,quod illa animalia,quæ non habent ſanguinem dicuntur inapta ad formandam vocẽ. Sed hoc intellige de perfecto ſanguine,per venas diffuſo, nam piſces & ſimilia aliquem ſanguinem habent, ſed imperfectum. Horum autem animalium vocem non formantium quatuor ſunt genera. Primum eſt illorũ, quæ nimis mollem carnem in exteriori habent,vt ſunt pupi, & ſepiæ. Secundum eſt illorum, quæ habent caput molle, ſicut eſt cancer. Tertium eſt illorum, quæ habent caput durum, & conſtrictum. Quartum eſt illorum, quæ habent corpus annuloſum,vt ſunt vermes, formicę, lacertæ, lumachæ,& conſimilia, de quibus ſpectat ad libros de aialibus.

Vocis inſtrumẽta ſunt decẽ. Tertio notandum, quod ad formationem vocis decem inſtrumenta concurrunt. Primum eſt guttur, & arteria trahens aerem. Secundum eſt lingua,ſe mouens,& cauſans vocem. Tertium eſt pallatum linguam concludens. Quatuor alia ſunt dentes illi quatuor, qui ante faciem oris ponuntur, quos lingua loquendo percutit. Alia duo ſunt duo labia, & vltimum eſt pulmo. Debemus enim imaginari, quod per reſpirationem fit attractio aeris ad pulmonem, ex qua pulmo ingroſſatur, & inde ex ingroſſatione facta a pulmone per aerem attractũ fit reuerberatio ad arteriam vocalẽ; quando autem expellitur,ſonus cauſatur, concurrentibus debitis inſtrumentis,de quibus dictum eſt.

Vocis diffinitio, & explicatio Quarto ergo notandum,quod vox poteſt ſic diffiniri. Vox eſt ſonus animalis,ab ore animalis prolatus, cum aliqua ſignificatione, naturalibus inſtrumentis formatus. In hac diffinitione vox ponitur tanquam genus,quia duplex eſt ſonus, ſ. ſonus vox, & ſonus non vox. Ly Animalis,ponitur ad ſignandum ſonum vocem proprium, quia vt diximus,etiam inanimata dicuntur formare uocẽ, ſed improprie. Ly ab ore animalis prolatus, ponitur ad differentiam ſoni cauſati ex percuſſione duorum corporum inanimatorum. Ly cum aliqua ſignificatione, ponitur ad differentiam ſoni,nõ cauſati ab anima. Dicitur naturalibus inſtrumentis, ad differentiam tuſſis, & ſternutationis,quæ ſunt voces,ſed nõ formatæ naturalibus inſtrumentis. Et aduerto, quod hic loquimur de voce perfecte formata, quia etiam homines dentibus carentes loquuntur,

ſed male,& picę,& papagalli aliquas voces formant,ſed imperfectas.

QVAESTIO XXXV.

Vtrum vocis diffinitio ſit bene aſſignata a Philoſopho.

VIdetur quod non. Nam Philoſ. dixit, Vocē eſſe percuſſionem; Sed vox non eſt percuſſio,ſed ſonus; Ergo.

Secundo probatur, quod non ſit reſpirati aeris. Nam ſubiectum vocis non habet rationem percuſſi, Sed aer eſt ſubiectum vocis. Ergo.

Tertio probatur, quod non ſit ab anima. Nam aer reſpiratus immediate attrahitur a pulmone. Ergo non ab anima.

Quarto probatur quod non ſit ad arteriam vocalem,quia grilli,& cicadæ ſine arteria cantant,immo cicadę ſine capite.

Quinto. Vox diuiditur per vocem ſignificatiuam, & nō ſignificatiuam. Ergo non erat dicendum, vocem eſſe ſonum ſignificatiuum.

Argumēta ſoluuntur. Sed ad primum horum dicitur, quod hæc propoſitio vox eſt percuſſio dupliciter poteſt interpretari. Primo cauſaliter, ideſt vox cauſatur ex percuſſione, ſeu ex motu locali. Secundo formaliter, i. vox, eſt ipſamet percuſſio. Nos primo modo loquimur. Argumentum vero procedit in ſecundo ſenſu.

Ad ſecundum dicendū, quod aer poteſt dupliciter conſiderari. Primo vt eſt medium in quo recipitur vox, & ſic ſe habet vt ſubiectum. Secundo vt expellitur ab arteria, & percutitur, & ſic ibi diffinitur non eſt autē inconueniens eandem rem habere diuerſas rationes.

Ad tertium dicendum, quod ab anima eſt tanquam a primo principio,& a pulmone,tanquam ab inſtrumento immediato.

Ad quartum dicendum, quod illi cantus non ſunt voces, ſed ſoni cauſati ex frequenti motu alarum ad difragma, i. ad pectus,quod ſe habet vt percuſſum.

Ad quintum dicitur, quod vox eſt ſignificatiua, non autem ſonus abſolute,ſed ſolum ſonus vox.

QVAESTIO XXXVI.

Vtrum ſit eadem vox numero, quæ a pluribus auditur.

VIdetur quod nō. Nam operationes ſpecificātur ab obiectis. Hic ſunt plura obiecta .i. plures audientes. Ergo & plures voces.

Secundo. Sonus vnus, & vna vox poſſunt eſſe in duabus partibus, v.g. intra cameram,& extra eam, vnum accidens vt eſt vox, non poteſt eſſe in pluribus ſubiectis numero. Igitur nec vna vox.

Tertio. Non omnes intelligunt ſignificatum vnius vocis, ſicut contingit in non intelligentibus diuerſa idiomata linguarum. Igitur non erit vna vox.

Quarto. Sonus in actu, habet auditum in actu; Sed vna forma in actu, non poteſt eſſe in pluribus ſubiectis. Ergo.

Antequam hæc argumenta ſoluantur. Primo notandum venit, quod in voce duo ſunt: vnum tanquam materiale, i. ipſa vox. Alterum tanquam formale, i. ſignificatum vocis. Quoad materiale in omnibus audientib. eſt, quia ab omnib. percipitur & ſonus, & vox. Quoad formale autem non, qui ſic repræſentat ad placitum, & conſequenter non poteſt eſſe eadem apud omnes, quia non omnes percipiunt intentionem primi inſtituēris. *Vox conſideratur materialiter,& formaliter.*

Secundo notandum, quod duo sūt conſideranda in voce. Vnum tanquā

Immutat intentio-naliter. reale, ſ. commotio, & fractio aeris; Alterum intentionale, i. delatio ſpeciei vocis ad auditum. Quoad reale poteſt eſſe quod non ſit idem in omnibus, quia non eſt neceſſe quod aer commotus omnium audientium aures penetret. Quo vero ad intentionale vtrique, quia ſpecies vocis omnium audientium aures immutat, intentionaliter.

Argumẽta ſoluũtur. Ad primum dicendum, quod audientes non ſunt plura ſubiecta formalia, ſed ſubiecta materialia, ideo non diſtinguunt. Secundo dico ꝙ maior eſt vera quando operationes ſunt reales, non vero quando ſunt intentionales, vt eſt vox.

Ad ſecundum conceditur de reali, ſed negatur de intentionali.

Ad tertium patet per primum notandum.

Ad quartum dicendum, quod vna forma realis non poteſt eſſe ſecundũ totum in pluribus ſubiectis realiter, & in actu, forma tamen intentionalis, ſicut eſt vox, poteſt eſſe intentionaliter in pluribus.

De odore.

LECTIO XXXVIII. & XXXIX.

S. D. 19.

POſtquam Philoſ. determinauit de viſibili, & audibili, hic intendit determinare de odorabili.

Homo malo odorat. Primo ergo ponit talem concluſionem. Difficilius eſt tractare de odorabili, quam de audibili, & viſibili. Probatur. Illud eſt difficilius reſpectu noſtri, quod minus cadit ſub noſtris ſenſibus ſed minus cadunt ſub noſtris ſenſibus odor, & odorabile, quã faciant viſibile, & audibile. Ergo Probat minorem. Quia colorem viſu, & ſonum auditu bene percipimus, ſed non ita odorabile, quia inter alia animalia homo praue odorat. Ratio autem quare homo male odoret, eſt. Quia inter agens, & patiens debet eſſe proportio. At inter odorabile, & hominem, non eſt talis proportio nã odorabile, eſt calidum & ſiccum. At homo habet cerebrum ad quem aſcẽdunt odores, humidum, & frigidum, & ideo male odorat. Quod etiam atteſtatur experientia in his (qui vulgo dicuntur infrigidari) in vere, vel in hieme, vel alio tempore, nam cum in eis tunc ſuperabundet humiditas, ex cerebro deſcendens, ideo fere non ſẽtiunt odorem. Hinc homo non odorat niſi odorabile ſit maximum, maximam inducens delectationem, vel contrarietatem.

Sed tactũ habet certiſſimum. Secundo comparat olfactum primo ad oculos quorundam animaliũ, & ſecundo ad differentias ſaporũ. Dicit ergo, quod ſicut quædam animalia parum vident, niſi illa timor concutiat, quia habent oculos duros, & male ad videndum aptos, vt conſtat in locuſtis, & in quibuſdam piſcibus, ita etiam animal malum habet odoratũ, & male odorat, niſi odorabile ſit maximum. Secũdo ait olfactum habere aliquam conuenientiam cum ſpeciebus ſaporum, & odorum. Inquit ergo quod per differentias ſaporum ſunt inueſtigandæ differentiæ odorum, quia differentiæ ſaporum nobis ſunt manifeſtiores, quia tactum habemus certiſſimum, & guſtus eſt quidam tactus, animal enim in hoc ſenſu multa animalia vincit, & ſi in alijs ab his vincatur Et quia per ſenſum tactus multas differentias rerum cognoſcimus, & quia inter alios ſenſus hunc habemus certiſſimum, hinc deducit, quod homo eſt prudentiſſimus inter omnia animalia, & ideo ex ſenſu tactus arguimus etiam aliquos eſſe ingenioſos, vel non, quia qui habent carnem duram, inepti ſunt mente, qui autem ha-

bent carnem mollem, apti ſunt ad intelligendum, & ad omnes ſcientias percipiendum. Oſtendit autem quomodo ſpecies odoris correſpondeant ſpeciebus ſaporis, dicendo in hoc conuenire, quod ſicut quidam ſapores ſunt dulces, & quidam amari, ita & odores.

Non odorabile percipitur negatiue.

Tertio oſtendit, quomodo non odorabile percipiatur ab olfactu, ſ. negatiue, ſicut etiam ſilentium percipitur ab auditu, & non coloratum à viſu, negatiue.

Mali odoratus cauſa.

Primo autem venit notandum circa ſupradicta, cur homo male odoret. Sciendum eſt ergo, quod a cerebro duo canales procedunt vſque ad oſſa perforata narium, prope concauitates oculorum, exiſtentium, qui faciunt quaſi duas extremitates mamillarum, & per hos cerebrum excrementa mittit in naſum, & per hos etiam canales aſcendunt odores ad cerebrum. Cum autem odorabilia ſecundum ſuam naturam ſint calida, & ſicca, & cerebrum frigidum, & humidum, ideo cum non habeant proportionem, actio non poteſt eſſe expedita. Additur quod cum odorabile tranſeat per illas mammillas, quæ multa excrementa a cerebro recipiūt, hinc odor non poteſt bene percipi.

Secundo notandum, quod multa hic dicuntur, quæ apud Phyſicos perquirenda ſunt. Sed ne tranſeas hoc ſcire, odorem non eſſe vaporem, aut fumalem euaporationem formaliter, vt tenuerunt Heraclitus, Galenus, Auicenna, Alfarabius, & plures alij, apud Ruuium 2. de anima, tract. de ſenſu olfactus, quæſt. 1. eſt enim qualitas ſecunda formaliter, & cauſaliter euaporatio, quia cauſatur per rem odoriferam, odorem emittentē, & eſt ſententia Ariſtotelis libro de ſenſu, & ſenſi. cap. 5.

QVAESTIO XXXVII.

An homo peius odoret cæteris animalibus.

Videtur enim hoc eſſe falſum. Nam Philoſ. 5. de ſenſu inquit, quod homo ſolus percipit odores aromatum, non autem alia animalia. Ergo perfectius odorabit, quia plures differentias odorum cognoſcit.

Vnus ſenſus eſt altero efficacior dupliciter, p ſe, & per accidens.

Pro reſolutione huius difficultatis: primo venit notandum, quod vnus ſenſus ſit efficacior altero in cognitione dupliciter poteſt intelligi. Primo per ſe, quatenus ſecundum ſe habet virtutem maiorem in obiectum, prout viſus ſecundum ſe dicitur cognoſcere diuerſas differentias colorum. Secundo per accidens, i. non per vim in ſe exiſtentem, ſed ex alio ſibi adiūcto, vel quia ipſe alteri adiungitur dicitur habere maiorem cognitionem, prout auditus per accidens magis cōfert ad obtinendas ſcientias quam viſus, quia per auditum recipimus diſciplinas a magiſtro, vel quia auditus vt auditus ordinatur ad ſonum, & non ad voces, vt ſunt aliquid ſignificatiuę. Hic ergo loquimur de cognitione, & perfectione odoratus ſecundum ſe.

Homo melius odorat quoad delectationem.

Secundo notandum, quod odor poteſt dupliciter conſiderari. Primo vt ordinatur ad delectandum ſolum, vt patet in odore roſarum, liliorum, violarum, & ſimilium. Secundo vt ordinatur ad cibum. Primo modo nullum dubium eſt, quod homo magis delectetur in odore, quam cætera animalia, quoniā homo multum delectatur in odorandis floribus, quorum odorem canes paruipendunt, & multa alia aīalia fugiunt. Secundo tñ modo melius canes, & alia animalia odorant, vnde videmus quod antequam comedant, rem comeſtibilē odorant.

Ter-

Non quo ad intenſionem.

Tertio notandum, quod hæc propoſitio. Homo peius odorat quã alia animalia, tripliciter pōt exprimi. Primo, quia odoratus in eo eſt ab ignobiliori forma, & hoc eſt falſum, quia anima hoīs excellit. Secundo, quia in odorando minorem percipit delectationem, & ſic ēt falſum eſt, cū homo melius, i. cū maiori delectatione odoret. Tertio, quia intēſius percipit qualitates odorū, & ſic bruta melius odorãt; nã videmus canes a longe ſentire odorem leporū, & vltures cadauerū.

Toletus reprehenditur.

Quarto. Aliqui inter quos eſt Toletus dicūt, quod homo peius odoret dupliciter pōt intelligi. Primo, quia non ita percipit odores a longe ſicut bruta, & ēt non ita intenſe. Secundo modo, quia non percipit plures differentias odorum. Primo modo dicunt bruta eſſe excellentioris olfactus, qa a remotiorib. odorant, & omnem paruum odorem ſentiunt. Secundo vero modo homo melius odorat, quia bruta non odorant niſi comeſtibilia. Sed hæc diſtinctio nobis diſplicet. Primo, quia videmus canes per vias currere, & ſequi odorem dominorum ſuorum, quem nullus hominum, (ſi nimis diſtent,) ſentit. Secundo, quia videmus bruta odorem florum fugere propter eorum magnam actiuitatem in cerebrum eorū; vnde aliud eſt quod magis proſequantur odorē comeſtibiliū, & aliud quod non ſentiant differentias omnium odorum.

Dicendum igitur mihi venit, quod intenſiue melius odorant plura animalia (nam credo multa nō bene odorare, vt imperfecta animalia) extenſiue vero. i. quoad plures differentias odorum diſtinguendum venit, quod hæ plures differentiæ bifariam conſiderari poſſunt. Primo præciſe, vt differentiæ odorum ſunt. Secundo vt vna per artem, & induſtriam poteſt ad aliã ordinari, & cum alia coaptari, & in hoc homo vincit omnia alia animalia, ſed hoc non prouenit ex odoratu ſimpliciter.

Ad Argumentum igitur patet ex ſupradictis.

QVAESTIO XXXVIIIJ.

Vtrum ſenſus tactus ſit excellentior in homine: quam in alijs animalibus.

Videtur quod non ex illis uerbis. Nos vos auditu, linx viſu, ſimia guſtu, uultur odoratu præcellit, aranea tactu.

Secundo. Quia Philoſ. lib. 10. de generatione animalium habet, quod ſenſus tactus nihil ad prudentiam facit. Ergo propter tactum homo non erit prudentiſſimus animalium, ut dicit Philoſ. in textu.

Homo vt animal excellit in tactu.

Pro explicatione huius quæſtionis primo eſt annotandum, quod homo bifariam poteſt conſiderari. Primo ut eſt animal. Secūdo ut eſt homo, i. ut eſt cognoſcitiuus. Si primo modo conſideretur, ſic ſenſus tactus eſt efficacior in homine, ut fundamentum aliorum ſenſuum. Secundo aūt modo non, quia alij ſenſus tactu ſpiritualiores, eum magis faciunt cognoſcere.

Super alia animalia.

Secundo notandum, quod ſenſus tactus per excellentiam ſit collocatus in homine ſtat dupliciter. Primo comparando tactum hominis ad alios ſēſus hominis, & ſic uiſus excellit tactū, ut habet Phil. 1. Metha. Scdo comparando tactum hominis ad tactū aliorum animalium, & ita uerum eſt, quod præcellit in tactu ſuper omnia alia animalia.

Ad primum negatur, quod aranea ſit excellentioris tactus, unde patet quod ſi comburantur eius pedes, nix ſentit ignem: poteſt tamen dici excellentis tactus, i. ſubiti motus, quia ſi tela eius tangitur leuiter a muſca, ſubito accurrit.

Ad ſecundum dicendum, quod ſēſus tactus non prodeſt ſecundum ſe ad prudentiam, ſed tantum arguitiue, ut modo dicemus.

QVAE-

QVAESTIO XXXVIII.

Vtrum molles carne ſint apti mente, i. alijs ingenioſiores.

Videtur enim quod non. Nam nobilitas potentiarum attenditur ſecundum nobilitatem principiorũ; Sed anima quæ eſt principium intelligendi in homine, in vno non eſt nobilior, quam in alio. Ergo.

Secundo. Mulieres molliores ſunt carne, & tamen minus ſunt aptæ quã maſculi ad ſcientias.

Tertio. Senſus quanto eſt materialior, tanto minus aptus eſt ad intelligendum vt patet ex ſupradictis. Sed talis eſt tactus Ergo.

Quarto. Viſus plures differentias oſtendit. Ergo.

Quinto. Melanconici ſecundum Ariſtot. magis ſunt apti ad ſcientias, q̃ alij, & tñ hi habent carnes duras.

Molles carne sũt apti mẽte ex bona diſpoſitio ne corporis. Pro explicatione huius quæſtionis. Primo notandum venit, quod vnus homo ſit altero perfectior ſtat dupliciter. Primo ſecundum ſubſtantiam, & hoc eſt falſum, quia ſubſtantia non ſuſcipit magis & minus. Secundo ſecundum conditiones indiuiduales, quia vnus habet corpus melius diſpoſitum, & aptũ ad exercendas operatio nes q̃ alter, & hoc eſt verũ. Et propterea quia mollities carnis, oſtẽdit bonã diſpoſitionem corporis, ideo dicimus molliores carne aptiores eſſe mente.

Arguitiue. Secundo notandum, quod hæc propoſitio. Molliores carne aptiores ſunt mente dupliciter poteſt exponi. Primo cauſaliter, vt ſit ſenſus, mollities carnis eſt cauſa boni intellectus. Secundo arguitiue, i. quod ſit ſignum quod aliquis ſit boni intellectus. Primo modo eſt falſum, & ſecundo verum, quia talis habuit bonam diſpoſitionem corporis, & maiorem aptitudinem ad exercendas vires ingenij.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum patet ex primo notabili.

Ad ſecundum dicendum quod duplex eſt mollities carnis. Prima ſpungioſa, & humida, quæ eſt potius relaxatio carnis, quam mollities, & hæc reperitur in mulieribus, & non indicat bonitatem intellectus. Secunda eſt bene temperata, reperta in viris, & de hac locutus eſt Philoſ.

Ad tertium dictum eſt, quod bonitas tactus eſt ſignum boni intellectus, & non cauſa niſi materialis, prout bona diſpoſitio corporis iuuat intellectum, vt poſſit exercere ſuas operationes.

Ad quartum dictũ eſt ſupra, quod ſenſus viſus magis deſeruit cognitioni, &c.

Ad quintum dicendum, quod melanconici ſunt in duplici differentia. Quidam enim tales ſunt a natura, & hi hebetes ſunt ingenio, quia in ipſis humor terrenus ſuperabundat. Alij vero tales ſunt ex aliquo accidenti, vt ex nimio dolore, vel magna controuerſia, vel ex alio accidenti remouente ſubtiliores partes ſanguinis, vnde remanet in eis humor frigidus, eos detinens in ſtudijs, & ſpeculationibus. Nam proprium eſt frigoris conſtringere, & adunare.

LECTIO XXXXII.

S. D. 20.

Aer, & aqua ſunt media in olfactu. POſtquam Philoſ. determinauit de odorabili, modo hic determinat quomodo odor immutet olfatum.

Primo ergo dicit, quod medium in olfatu eſt aer, & aqua, & quia hoc manifeſtum eſt de aere, quia nos qui in aere verſamur, odores ſentimus, ideo aliqualiter immoratur ad declarandum quomodo etiam hoc ſit verum in aqua. Dicit ergo, quod piſces qui ſunt in aqua odorem ſentiunt, & quo-

& quoniam dixerat ſupra in cap. de Voce, quod animalia ſine ſanguine proprie non reſpirant, hinc ne imaginaremur, quod etiam non odorent ſubinfert, omnia animalia habentia ſanguinem, vel non, odorare, vnde piſces, a longinquo mouentur ad cibū, quod etiam magis patet in Auibus viuentibus in aere, quæ a longiſſimis mouentur ad alimenta.

Olfactus eſt idem ſpecie in omnibus animalibus.

Secundo mouet dubitationem, ſi idem ſecundum ſpeciem ſit olfactus in omnibus. Nam videtur quod non. Quia quidam odorant cum reſpiratione, attrahendo ad ſe aerem, vt homines, quidam vero non, quia non reſpirant, vt ſunt piſces, & ideo non videtur idem olfactus in omnibus. Reſpondet autem dubitationi, quod nō eſt idem olfactus numero, ſed bene ſpecie, in omnibus. Quod dupliciter probat. Primo, quia idem eſt obiectū, i. odorabile in omnibus, & eędem differentiæ, cum omnes ſentiant bonum, & malum odoramentum. Secūdo, quia quæ habent eadem corruptiua ſunt eiuſdem ſpeciei. Sed omnia odorabilia habēt eadem corruptiua; cum olfactus hominis corrumpatur a vehementi olfactibili, vt a bitumine, & ſulphure. Reſpondet ergo ad rationem dubij, quod diuerſus modus in odorando. i. cum reſpiratione, & ſine ea, non prouenit ex parte odorabilis, ſed ex parte ſubiecti, i. ex diuerſitate organorum diſtinctorum in diuerſis animalibus, vnde ſicut oculi hominum differunt ab oculis aliorū animalium, nam quędam animalia habent oculos duros, & iſta non habent aliquod operimentum ſupra ipſos, ideo ſtatim quod diaphanum illuminatur, vident. Homines vero ſupra oculos habent operimentum, i. palpebras, & ideo non uident, niſi eleuentur. Ita animalia quæ odorāt cum reſpiratione, habent quoddam operimentum, ſine cuius dilatatione, & apertione animal nō ſentit odores. Alia vero non habent hoc operimentum, & ideo odorant ſine reſpiratione.

Fūdatur in ſicco,

Vltimo determinat de odore, dicendo quod fundatur in ſicco, ſicut ſapor in humido.

Materia odorū eſt humidū ſaporoſū callido cō iunctum.

Ante quam ueniamus ad deciſionē quæſtionum occurrentiū circa ſupra dicta aſſerta a Philoſ. Primo uenit notandum, quod materia odorum eſt humidum, ſaporoſum, quod eſt humidum aqueum, calido cōiunctum, unde ſapor eſt prior, & deinde odor. Nam humidum excedens ſiccum ſaporem facit, & ideo utimur humido ad eliciendum ſaporem; ſiccum uero ſuperans humidum fit materia odorum, unde non eſt in eiſdem partibus ſapor, & odor, nam ſapor eſt in partibus graſſioribus, ſed odor eſt in partibus, in quibus ſiccum humido ſupereminet. Quod autem odor conſiſtat in ſicco, poſſumus quibuſdam experientijs comprobare. Primo, quia quā do iam terra æſtiuis caloribus eſt exſiccata uidemus, quod dum pluuia deſcendere incipit, ipſa odorat, non ut purum elementum, ſed ut permixta humido, dum autem multum madefacta eſt, nō, quia tunc humidum ſicco ſuperabundat, & ita ſcias quod nullum elementum odorat, cum odor ſit qualitas ſecunda, & non prima. Secundo, quia ſi florē aqua abluamus, reperiemus quod minus odorabit, q̄ ſi non fuerit aqua lotus. Et hinc eſt, quod omnes flores qui ſpinas habent, acutiſſimi ſunt odoris, quia in eis ſiccum ſuperabundat.

Non eodē modo.

Secundo notandum, quod vna res quæ bonum habet odorem, poteſt habere malum ſaporem, & econuerſo, quia hęc non ſunt in eadem parte, in eadem temperie, quapropter quædā res poſſunt eſſe boni ſaporis, & mali odoris, & quędam boni odoris, & mali ſaporis. Odor ergo, & ſapor poſſunt eſſe in eadem re ſubiectiue, ut

patet in multis homogeneis, vt in vino, aqua lambicata, & ſimilibus, ſed non erunt in ea in eadē temperie, vnde propter qualitatem humidam, vel ſiccam ſuperabundantem fiet odor, vel ſapor, maior.

QVAESTIO XXXIX.

An odor habeat eſſe reale in medio.

Videtur enim quod ſic. Vnumquodq; habet eſſe reale in ſua potentia paſſiua; Sed olfactus in quo eſt odor eſt potentia paſſiua, patitur enim ab odore, eo modo quo omnis ſenſus patitur a ſenſibili. Ergo.

Secundo. Quæ mutuo ſe impediunt, habent eſſe reale. Sed duo odores diuerſi ſi ſint in eadem parte aeris, mutuo ſe impediunt, & quendam medium odorem conſtituunt. Ergo.

Tertio. Quæ habent eſſe intentionale in aere a vento non impediuntur. Sed perceptio odoris impeditur a vento flante in contrarium. Ergo Maior eſt nota, quia ſicut color, viſus a longe non impeditur a vento, quin videatur, quia habet eſſe intentionale in aere, ita a ſimili dicimus de odore.

Ex altera parte probatur quod ſolum habeat eſſe intentionale in medio. Nam medium per quod diffunditur odor, eſt aer, & aqua. Sed nec in aere, nec in aqua, poteſt eſſe realiter. Ergo. Probatur minor de aere, quia de aqua conſtat. Odor eſt calidus, & ſiccus. Sed aer ſemper eſt humidus, & nunquam per odorem ſuā humiditatem amittit. Ergo.

Opiniones. Pro ſolutione huius quæſtionis. Primo animaduertendum venit, quod circa hanc rem tres ſunt opiniones. Prima eſt Auicennę in tractatu de odoratu, & Alb. in ſumma de homine p. 2. in tract. de olfactu, Themiſtij c. 34. hic, & Theophraſti lib. 6. de cauſis plantorum. Nam hi ſuſtinent odorem ſubiectari in materia, maximam ſiccitatem, & paruam humiditatem habente, quæ humiditas continuo reſoluitur per calorem, & per hunc odor realiter fertur vſque ad olfactū, & ideo nō poſſumus odorare niſi fiat fumalis euaporatio, quæ deueniat vſque ad olfactum. Hanc ſuam ſententiam probant duplici argumento. Primo, quia experientia teſte reperimus, quod quādo pomum odoramus, odor extenuatur, & manibus adhęret. Igitur ſignum eſt, quod euaporat, & ad extra mittit fumalem vaporem.

Secundo. Quia quando obiectum intentionaliter immutat potentiam, remoto obiecto, remouetur etiam ſpecies intentionalis. Sed remoto odorabili adhuc in medio remanet odor, ſicut patet ad ſenſum. Ergo.

Secunda ſententia eſt Auerrois, quod odor ſolum erit intentionaliter ab odorabili, & ſic mouet olfactum, ſicut color mouet viſū, quod multis rationibus probat.

Primo. Quia narrant quidam, vultures ex Africa veniſſe, & occiſorum cadauera in bello Troiano cęſa denoraſſe. Mirabile autem videtur quod attractę odore reali, per tot milliaria diffuſo, venerint.

Reſpondent Aduerſarij, hoc forsā eueniſſe ex vento flante, & rarefaciēte illum odorem. Sed hæc reſpōſio, a dubio non ſaluat, quia & ſi hoc potuerit accidere per aliquod ſpatium, non tamen videtur poſſibile per tam remotum, vltra mille milliaria.

Secundo. Quia ſic daretur penetratio corporum, nam ſic odor penetraret aerem, qui eſt corpus. Reſpondent hoc accidere in penetrabilibus, vt patet quando vapor a terra attrahitur in aere. Sed contra, quia tunc aer cedit, videmus autem aerem odori non cedere, ſed in aere odorem recipi, & ſic per reſpirationem odorari.

Ter-

Tertia ſententia eſt S. D. tenentis per aliqualem diſtantiam odorem recipi in medio realiter, ſed in remota intentionaliter.

Sẽſus quo modo diſtinguantur. Secundo notandum venit, quod odor in primis diſtinguitur à guſtabili, & tangibili, quia hæc medium habent intraneum, vt ſuo loco dicemus. At odor non ſentitur niſi per extrinſecum, i. per alterationem corporis odorabilis. Secernitur quoque a ſono, & a colore, quia hæc habent eſſe intentionale in medio, & odor per multum ſpatium reale. Sed conueniunt ſonus, & odor, quia ſentiuntur per omnem partem; ſed alia ſenſibilia ſolum directe poſita ſenſus immutãt, color feriens per lineam rectam, & guſtabile, & tãgibile per contactum.

Odor habet eſſe reale in medio. Tertio notandum, quod ſi odorabile ſit in debita diſtantia ab olfactu, tunc habebit eſſe reale in medio; at ſi nimis diſtet, tunc ſolum mittet ſpeciem intentionalem ad ſenſum odoratus.

Concluſiones probãtur. Prima concluſio. Odor habet eſſe intentionale in medio diſtante. Probatur rationibus adductis pro opinione Commentatoris.

Secunda concluſio. Odor habet eſſe reale in medio propinquo. Probatur primo, quia ſpecies intentionalis non ſentitur. Sed odor in medio proximo ſentitur. Ergo. Confirmatur, quia experimur odorem olfactum delectari, cerebrum alterare &c. qui omnes ſunt effectus reales.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum in oppoſitum dicendum, quod aer, & aqua dupliciter conſiderari poſſunt. Primo in ſua propria natura, quo modo ſunt media in olfactu, & ſic recipiendo odorem poſſunt dici pati ab odore ſuo modo. Secundo conſiderantur vt ſunt formæ actiuæ, & ſecundum hunc ſenſum procedit argumentum.

Ad primum, quod probabat odorẽ habere eſſe reale in medio patet, ꝙ procedit de medio non diſtanti, & hoc idem probant ſecundum, & tertium, & per hoc etiam ſoluuntur alia.

QVAESTIO XXXXI.

Vtrum ſit proprium homini odorare cum reſpiratione.

Videtur quod non. Quia omnia animalia ſaltem perfecta odorant per reſpirationem vt ſupra. In contrarium ſtat Philoſ. textu 48. Reſpondet Commentator Ariſt. dixiſſe proprium eſſe anhelãtium vt ſunt homines, & alia animalia non odorare ſine reſpiratione, & per hoc homo ab alijs animalibus non diſtinguitur, ſed cum eis conuenit. In contrarium ſtat S. D. hoc intelligens ſolum de hominibus, & non de alijs animalibus. Hinc dicebat Alb. hoc eſſe proprium omnium hominum, ſed nõ quarto modo, quia etiam alijs conuenit. Sed melius videtur dicendum hoc eſſe attributum vt proprium homini, non quoad ſubſtantiam; quia etiam alijs conuenit, ſed quo ad ſingularẽ modum, i. per diſcooperturã organi vt ſupra. Et per hoc patet ad aliud dubium, quod fieri poteſt. An habentes organum olfactus coopertum, melius reſpirent. Nam quamuis Commentator dicat, quod ſicut habẽtes oculos coopertos melius vident, quam habentes diſcoopertos, non tamen aſſerit hoc idem in olfactu, vnde affirmat formicas, & Apes habentes organum diſcoopertum melius odorare.

De guſtu, & guſtabili.

LECTIO XXXXI. S. D. 21.

POſtquam Philoſ. egit de potentia viſiua, auditiua, & odoratiua, hic incipit tractare de potentia guſtatiua,

 & de

& de eius obiecto, ſ. de guſtabili.

In textu igitur 101. Philoſ. ponit talem concluſionem, habentem duas partes. Guſtabile eſt quoddam tangibile, per medium intraneum. Probat primam, ſ. quod guſtabile eſt quoddam tangibile, quia guſtus eſt quidã tactus. Probat ſecundam, ſ. quod ſit per medium intraneum dupliciter. Primo. Quia tactus differt ab alijs ſẽſibus, quod tactus fit per medium intraneum, & alij ſenſus per extraneũ. At guſtus eſt quidam tactus. Secundo Quia quando duo ita ſunt coniuncta, vt ſeparari nequeant, ſi vnum tangitur, & alterum tangitur. Sed humiditas in qua fundatur tactus vt in materia, ita coniungitur guſtui, quod non percipitur niſi a tactu. Ergo guſtus & tactus ſunt per medium intraneum, ſ. per humiditatem. Sed Philoſ. tunc ſubinfert dubiũ, quia videmus quod ſi mel perfundatur in aqua, in parte longinqua ſentimus dulcedinem in aqua. At aqua eſt medium externum. Ergo guſtus non erit per medium internum. Reſpondet tamen Phil. quod dulcedo melis non percipitur a guſtu, vt ſimpliciter eſt in aqua, ſed vt aqua facta ſaporoſa, & dulcis tangit guſtum, quoniam guſtus eſt quidam tactus.

Guſtus eſt quidam tactus.

In textu vero 102. docet, guſtabile non poſſe percipi a guſtu ſine humiditate, quia quamuis aliqua non videantur habere humiditatẽ, vt ſal, & alia multa, attamen iſta non guſtantur, niſi dum cum ſaliua miſcentur, & humectantur, vnde iſta ſicca vocantur humida in potẽtia, quæ a ſaliua fiunt humida in actu.

Cum humiditate.

In textu 103. declarat guſtum eſſe guſtabilium, & inguſtabilium, i. eorũ quæ non poſſunt guſtari. Nam ſicut oculus dicitur viſibilium, & inuiſibilium, ita guſtus dicitur guſtabilium, & non guſtabilium. Vt autem magis mentem ſuam explicet, apponit modos, quibus aliquid dicitur inuiſibile, hoc enim pluribus modis contingit. Primo priuatiue, ſ. per priuationẽ viſibilitatis; & ſic tenebroſum dicitur inuiſibile. Secundo per excedentiam, & excellentiam viſibilitatis, & ſic ſol dicitur inuiſibilis. Tertio propter paucitatem materiæ, & ſic punctum dicitur inuiſibile in parte longinqua. Ita pariter aliquid dicitur inguſtabile. Primo propter prauitatẽ ſaporis. Secundo propter vehementiam ſaporis. Tertio propter paucitatem ſaporis, prout exemplificat in textu. Vlterius in eodem textu oſtendit guſtum non ſolum eſſe guſtabilis, & non guſtabilis, ſed etiam eſſe potabilis; & non potabilis. Potabile illud dicitur, quod eſt ſecundum naturam guſtus, & impotabile quod ei nocumentum facit. Adiungit, quod cum potabile ſit commune tactui, & guſtui, eſt prius ipſo guſtu.

Guſtabili multis modis dicitur.

In textu 104. oſtendit organum guſtus eſſe ſecundum ſe potentia humidum, & non actu, quia ſi eſſet actu humidum, nõ immutaretur ab obiecto, quod duplici ſigno probat. Primum eſt, quia quãdo lingua eſt admodum ſicca, nec humectatur, non guſtamus. Secundum eſt; quia infirmi qui habẽt linguam malis humoribus plenam, dulcia non percipiunt. Guſtus autem magis viget in cuſpide linguæ, vt in parte molliori, vt ſignificauit Ariſtoteles lib. 1. de hiſt. animalium, cap. 12. ſed extenditur vſque ad palatum, immo etiam vſque ad gulam, ſecundum eundem Ariſtotelem 4. lib. de partibus animalium cap. 11.

Senſoriũ guſtus debet eſſe humidum.

In textu 105. docet duos eſſe extremos ſapores, ſ. dulce, & amarum, ſicut in viſibilibus duo ſunt extremi colores, ſ. album, & nigrum. Subdit quod ad dulce ſequitur pingue, ad amarum, ſalſum, & quod medij ſapores ſunt auſterum, acerbum, & acidum. Prima ergo contrarietas, & eſſentialis ſapo-

Sapores extremi ſunt dulce & amarum.

rum ſtat inter dulce, & amarũ, quia per hos ſapores ſenſus primo immutantur,& non pacerbum,& acutũ,vt voluit Galenus apud Conciliatorem, differen.145.niſi intelligat acerbum, & acutum eſſe primas qualitates contrarias materialiter, i. in ordine ad diuerſa temperamenta corporum.

Cur prius egit de medio guſtus

Circa ſupradicta autem aliqua occurrunt notanda. Primo notandum venit circa ordinem,quod Philoſ.hic non incepit ab obiecto guſtus,ſicut fecit dũ de alijs ſenſibus egit, quia obiectum dupliciter cognoſci poteſt. Primo ſecundum naturam, vt quando ex natura obiecti modus immutationis innoteſcit, quia.ſ. obiectũ ex ſua natura hoc modo aptum natum eſt immutare potentiam,ſicut color, ſic viſum,& ſonus auditum immutat. Secundo ſecundum naturam motionis potētiæ,quia.ſ. ex immutatione obiecti natura potentiæ dignoſcitur, & tunc a medio licet incipere, ſicut hic fecit Philoſ. Vel ſecundo dicendum, quod hic Philoſ. incipit a nobis notioribus,& quia facilius percipimus immutationem factam in medio guſtus, quam in obiecto, ideo a medio incepit,dicendo ipſum eſſe internum, & non extern.m.

Inuiſibilia dupliciter, negatiue,& & priuatiue.

Secundo notandum circa illud, ꝙ quædam dicuntur inaudibilia,inuiſibilia, &c. quod iſta ſunt in duplici diſcrimine. Nam quædam omnino sũt inuiſibilia; & quia nullo modo ſecũdum ſe poſſunt cadere ſub potentijs ſenſitiuis,quomodo angelus,& ſonus dicuntur entia inuiſibilia. Quædam vero talia dicuntur,quia cum difficultate videntur &c.Prima dicuntur inuiſibilia negatiue.& ſecunda priuatiue,ſ. in ordine ad id,quod optime videtur,auditur, & guſtatur.

Potabile cõmune guſtui,& tactui.

Tertio notandum circa eundē textum 103. & illam particulam, quod potabile eſt commune guſtui, & tactui, quod ſecundum Aegidium potabile dicitur his commune,quia eſt humidum,humidum autem reſpicitur a tactu, & a guſtu. Sed hoc ſtare non poteſt,quia duo ſenſus ſub eadem ratione formali non poſſunt reſpicere idem obiectum. Ideo cũ.S.D.dicendũ eſt, ꝙ potabile bifariam conſiderari poteſt. Primo vt eſt humidum, & ſic reſpicitur a tactu,ſecundo vt eſt humidum ſaporoſum & ſic reſpicitur a guſtu. Hic autem colligas guſtum immutari a ſapore non ſecundum ſuũ eſſe reale,quia ſic nõ attingit organũ guſtus.ſ. neruum,nec etiam per partes ſubtiles niſi ꝑ ſpeciem;& ideo dicimus ſaporem per ſuam ſpeciem ſentiri a guſtu, quod expreſſe docuit Ariſtoteles cap.22.huius in principio, & S.D.p.p.quęſt.78.art.3. in corpore,& ad quartum. Nam dato quod etiam in eſſe reali potentiam tangeret,tamē in ea non eſſet in eſſe guſtabili niſi per ſpeciem,quod neceſſarium eſt vt potentia fiat in actu proprio.

QVAESTIO XXXXI.

Vtrum Guſtus diſtinguatur a tactu.

Videtur quod nõ. Primo ꝑ Philoſ. hic dicentem, quod guſtus eſt quidam tactus.

Secundo. Quæ habent idem organum,& ſenſorium,idem ſunt. Tales ſunt guſtus, & tactus, nam guſtus eſt in neruo linguæ,vbi eſt etiam tactus. Ergo.

Tertio. Illæ potentiæ quæ habent vnum obiectum,idem ſunt. Sed guſtus,& tactus habẽt vnum obiectum, ſ. humiditatem.Ergo.

Quarto. Potentia quæ percipit ſuũ obiectum,tangendo,eſt tactus. Talis eſt guſtus, vt hic aſſerit S.D.Ergo.

Guſtus diſtinguitur a tactu formaliter.

Circa ſolutionem huius quæſt. Primo notandum venit, quod cũ guſtus dicatur ſenſus alimenti, poteſt bifariã conſiderari. Primo vt eſt iudicatiuus eorum quæ ſunt de neceſſitate alimēti.ſ. qualitatum tangibilium,vel corporis

poris reducti ad commenſurationem harum qualitatum. Secundo vt eſt quidem iudicatius alimenti, ſed non eorum quæ ſunt de neceſſitate alimẽti, ſed ſolum pertinentium ad delectationem, vt eſt ſapor. Primo modo guſtus eſt tactus, quia reſpicit qualitates tangibiles, quę ſunt obiectum tactus. Secundo modo diſtinguitur a tactu, quia tactus ſolum reſpicit qualitates tangibiles, vt ſunt tangibiles, guſtus vero eas inſpicit, vt ſunt in corpore ſaporoſo, & delectabili, vel non.

Non modaliter. Secundo notandum, quod hęc propoſitio. Guſtus eſt quidam tactus, poteſt dupliciter exponi. Primo modaliter .i. quod habeat modum tactus, quia .ſ tactus, & guſtus ſentiunt ſuũ obiectum per medium intrinſecum, & ſic hanc propoſitionem intellexit Philoſ. vt hic exponit S.D. Secundo formaliter, & hoc dupliciter. Primo vniuerſaliter, vt dicamus guſtum nõ eſſe tactum, vniuerſaliter ſumptũ, qa tactus eſt per totum corpus diffuſũ, & reſpicit qualitates tangibiles ſolum vt ſic, guſtus vero eſt ſolum in cuſpide linguæ. Secundo particulariter, ita vt dicamus guſtum eſſe quendam tactum in medio intrinſeco, quia vterque ſenſus habet medium intrinſecũ, & ſic intelligitur. Itaque guſtus non eſt tactus vniuerſaliter, ſed quidam tactus, & quidem per ſe, ſed diſtinctus a tactu vt ſic vt dicim⁹ contra Paulũ Venetum hic, & Aegidium tex. 103.

Concluſio probatur. Secundo ergo loco principali ponitur hæc concluſio. Tactus, & guſtus realiter diſtinguuntur. Probatur primo. Potentia quæ habent diuerſa obiecta, eſſentialiter diſtincta, eſſentialiter diſtinguuntur per ſe. Sed guſtus, & tactus habent diuerſa obiecta eſſentialiter diſticta, quia vt diximus guſtus verſatur circa qualitates ſaporoſas, & tactus circa qualitates tangibiles vt ſic. Ergo. Cõfirmatur per Ariſtotilem guſtum a tactu diſtinguentem, vt potentiam a potentia cap. ſequenti, tex. 112. & 3. de anima capit. primo & 3. de hiſt. animalium cap. 8.

Secundo. Tactus eſt vbi non eſt guſtus, quia tactus eſt per totum corpus diffuſum, non ſic guſtus. Ergo diſtinguuntur.

Ad primum patet ex annotationibus.

Argumẽta ſoluuntur. Ad ſecundum dicendum venit, ꝙ organum guſtus videtur ab Ariſtot. diuerſimode poſitum. Nam in libro de ſenſu, & ſenſato, & de ſenectute locat omnes ſenſus in corde, & in libro ſecundo de partibus animalium ponit organum guſtus in cuſpide linguæ, & in palato. Sed facilis eſt conciliatio, nam omnes ſenſus radicaliter collocantur in corde, quod eſt fundamentum omnium ſenſuum, formaliter vero reponuntur vbi formaliter habent ſuam operationem, & ſic potentia viſiua eſt in pupilla, auditiua in meringa, & guſtatiua in linguæ cuſpide, & in palato. Deſcendunt enim a cerebro duo nerui, qui infiguntur in medio linguæ, & per plures ramos diffunduntur in extremitatib. lateralibus linguæ, deſcendendo vſque ad palatum. At quia caro illa ſpongioſa eſt, ſ caro quæ illos neruos cooperit, ideo fit medium ad deſcendendum ſaporem ad guſtum. Saliua vero non eſt medium ſaporum, ſed condimentum.

Ad tertium diximus in annotationibus.

Ad quartum dicendum, quod probat guſtum ſupponere tactũ, vt fundamentum omnium ſenſuum, non tamen probat, quod eſſentialiter ſit tactus.

Eſſet hic altera quæſtio ſoluenda, ſ. An dulce, & amarũ ſint extremi ſapores, ſed quia hæc quæſtio parum facit ad negotium noſtrum, ideo eam omittimus, dicendo ſecundum S.T. & Com. dulce, & amarum eſſe extremos ſapo-

ſapores quamuis Gallenus teneat acutum, & ponticum eſſe extremos ſapores. Quam difficultatem vide in Iauello, & Toleto, & Ruuio vt ſupra & tãtum tene, quod ſapores ſunt iſti, Dulcis, Pinguis Ponticus, Auſterus, Hypticus, Acutus ſalſus, & amarus. Plinius tamen 15. naturalis hiſt. tredecim ennumerat .ſ. dulcẽ, ſuauem, pinguem, amarum, auſterum, ſeu ſtipticum, acrem, acutum, acerbum, ſeu ponticum, acidum, ſalſum, ſaporem vini, lactis, & aquæ. Immo Ariſtoteles hic tantum 8. ſpecies ſaporum conſtituit, & in libro de ſenſu & ſenſibili eas tantum ſex facit, reducendo pinguẽ ad dulcẽ, & ſalſum ad amarum. Ideo dicito 8. eſſe ſpecies famoſas, & 6. principales.

De tactu.

LECTIO XXXXII. S. D. 22.

TAndem Philoſ. a textu 106. vſque ad 121. agit de ſenſu tactus.

In textu igitur 105. vſque ad 108. immoratur circa vnam dubitationẽ, & a textu 109. vſque ad 112. circa ſolutionem alterius verſatur. Præmittit igitur quæſtionem, quod eadem erit ratio tractandi de tactu, quod & de tangibili, quia vnum ſunt, eo propter, quod ſi ſenſus tactus non erit vnus, nec tangibilia vnum erunt. Dubitat ergo primo vtrum ſenſus tactus ſit vnus, vel plures. Reſpondet autem quæſtioni negatiue dubitando .ſ. quod ſenſus tactus non eſt vnus. Quod probat ſic. Omnis ſenſus, qui eſt vnus, eſt circa vnam contrarietatem. Sed tactus eſt circa plures contrarietates. Ergo. Maiorem explicat pluribus exemplis. Nam ſenſus viſus eſt albi, & nigri, auditus grauis, & acuti, guſtus amari, & dulcis. Minorem probat, quia in tangibili ſunt multæ contrarietates .ſ. calidum, & frigidum, humidum, & ſiccum, durum, & molle, & multæ aliæ vt graue, & leue &c.

Huic difficultati ait, quod quidam dixerunt alios etiã ſenſus habere plures contrarietates, vt apparet in voce, in qua non ſolum datur grauitas, & accumen, ſed & magnitudo, & paruitas, lenitas, & aſperitas, &c. Sed reprobat hanc reſponſionem, quia non eſt inconueniens vnum ſenſum eſſe plurium contrarietatum, ſed non primo. At ſenſus tactus eſt circa plures contrarietates, qualitatum tangibiliũ primo, quia non magis ab vna immutatur, & primo, quam ab altera. *Senſus tactus non eſt vnus.*

In textu autem 109. monet, & ſoluit ſecũdam quæſt. ſ. An caro ſit ſenſoriũ tactus, vel medium. Dicit ergo carnẽ non eſſe ſenſorium tactus, ſed mediũ. Quod ſic probat. Si quis haberet ſupra carnem pelliculam, per ipſam tan quam per medium ſentiret, ita vt ipſa non eſſet ſenſorium. Ergo caro, quæ in præſenti ſe habet vt illa pellicula, ſe tenet vt medium, quo ſenſorium tactus ſentit. Addit, quod caro reſpectu ſenſus tactus ſe habet, vt aer reſpectu viſus, & auditus .ſ. vt mediũ, & non vt ſenſorium. *Caro eſt mediũ in ſenſu tactus.*

QVAESTIO XXXXII.

Vtrum ſenſus tactus ſit vnus.

VIdetur quod ſic. Nam aliter eſſent plures ſenſus, quam quinque. Hoc eſt contra Philoſ. Ergo.

Secundo. In omni parte corporis ſentimus omnes qualitates tangibiles, videlicet calidum, frigidum &c. Ergo in omni parte corporis, eſt idem tactus.

Tertio. Quod habet vnum obiectum, eſt vnum, quia ab obiecto ſpecificantur potentiæ, & actus. Sed per S. D. p. p. quæſt. 78. artic 3. ad tertium ſenſus tactus habet vnum genus pro obiecto, i. omnes qualitates tangibiles,

les, quę conueniunt in vno genere innominato.

Opiniones. Quoniam Philoſ. hanc difficultatem non explicuit dilucide; ideo multiplicatæ ſunt opiniones. Nam Auer. Themiſtius, Alex. Iand. Caiet. Thienenſis, & plures alij dixerunt, ſenſum tactus eſſe vnum materialiter, ſed non formaliter. Materialiter inquam, quia ſubiectum ſenſus tactus in quo fundatur, eſt vnum, & vnum eſt organum, per quod omnia tangibilia tanguntur. Non formaliter dicunt, quia in tactu duæ erunt potentiæ, vna ad ſentiendum calidum, & frigidum, & alia ad ſentiendum humidum, & ſiccum. Immo Alexander multiplicat ſenſus tactus ſecundum naturam etiam aliarum contrarietatum, ſ. grauis, & leuis, duri, & mollis. Sed Alb. cum Auicenna duos alios ſẽſus addunt, vnum conſtituunt circa ſolutionem continui, & eius ſolidationem, ex quibus dolores vulnerum, & delectationes valetudinis ſentimus. Alium ponunt ad ſentiendum delectationes venereas. Et alij alium addunt, ad ſentiendas delectationes ciborum, & alij alios agglutinant dicentes in ſtomacho eſſe ſenſum tactus ad ſentiendum famem, & ſitim. Alij vero vt Franciſcus Toletus, cum quibuſdam alijs duos tantum affirmant eſſe ſenſus tactus. Primum dant ad percipienda tangibilia externa, & alium ad tangendum interna. Tandem alij tenent ſenſum tactus eſſe vnum ſecũdum ſpeciem ſpecialiſſimam, ad quã partem declinare videtur S. D. nec Caiet. eum refutat.

Senſus tactus eſt vnus ſpecifice. Secundo igitur notandum, quod duplex eſt vnitas ſenſus, ſ. generica, & ſpecifica. De generica autem nullus eſt qui dubitet, quia tactus, quod ſentit, ſentit per medium intrinſecũ, & coniunctum generaliter. Difficultas ergo eſt de vnitate ſpecifica, quia cum duæ ſint primæ contrarietates, quæ præſeferunt rationem obiectorũ primorum, vna ad calidum, & frigidum, & altera ad humidum, & ſiccũ, ex hoc videntur multiplicari ſenſus tactus ſpecifice.

Materialis. Tertio ergo notandum, quod vnitas obiecti duplex eſt. Prima dicitur materialis, quæ attenditur penes idẽ organum, & idem medium. Secunda dicitur formalis, & hæc non attenditur tantum penes medium, & organum, ſed iuxta rationem formalẽ ſub qua organum immutatur conſideratur. Non eſt dubium de vnitate materiali, quia conſtat idem organum per carnem, tanquam per medium ſentire omnes qualitates ſenſibiles. Difficultas ergo emergit de vnitate formali, an ſ. ſenſus tactus ſub vna ratione formali poſſit reſpicere duas contrarietates.

In vno innominato Quarto ergo penſandum venit, quod hæ qualitates tangibiles bifariã conſiderari poſſunt. Primo vt tales ſunt, & tali modo immutant, & formaliter organum diuerſificant. Secũdo vt conueniunt in vna innominata ratione ſenſibilis, omnes has qualitates vniente, & ambiente. Primo modo plures ſunt actus, ſicut plures sũt rationes tangendi. Secundo autem modo ſi datur hoc vnum innominatum, in quo omnes qualitates tangibiles conueniunt, vnus erit ſenſus tactus.

In genere ſenſibiliũ. Quinto igitur ad inueſtigandum hoc innominatũ dicendum eſt, quod qualitates tangibiles duobus modis conſiderari poſſunt. Primo in genere entium, ſ. vt ſunt qualitates tangibiles talis naturæ, qualiter aduerſum ſe diſtinguuntur. Secundo in genere sẽſibilium, i. quatenus ſunt ſenſibiles, & taliter immutant tactum, quod eo modo alij ſenſus ſuas potentias non immutant. Si ergo in ſenſum tactus vnam rationem reperimus, per quam immutatur, vnus erit ſenſus tactus.

Sex-

Completi ue. Sexto ergo tandem notandum venit, quod in ſenſatione tactiua duo ſunt penſanda. Primum eſt immutatio organi, quia .ſ. organum calet, friget, humectatur & exſicatur, & quoniam hæc immutatio fit per duas primas contrarietates, ideo videtur arguere duplicem ſenſum tactus. Secundum eſt ratio completiua ſenſationis tactus, quia .ſ. fit tactus vno modo a modis immutationis aliorum ſenſuum, diſtincto formaliter, & ſic videtur vnus ſenſus.

Concluſio probatur. Secundo loco principali ponitur talis concluſio. Senſus tactus eſt vnus ſecundum ſpeciem. Probatur primo Vnitas, & diuerſitas potentiæ deſumitur ex vnitate, & pluralitate obiecti, formaliter ſumpti. At vnum eſt obiectum formaliter ſumptum ſenſus tactus, i. immutatio ſenſus per medium carnis, differens ab immutationibus aliorum ſenſuum. Secundo, quia album, & nigrum, viride, rubeum, & alij colores, quia vno modo formali immutant potentiam viſiuam, ideo non eam diuerſificant formaliter, quamuis in ſe etiam diſtinguerentur ſpecie, ita videtur dicendum de qualitatibus tangibilibus. Tertio, quia certum eſt, quod in voluptate tactus, vel dolore ſtat ipſa ſenſatio tactiua: hæc autẽ fieri poſſunt, & a calido, & a frigido, & ab humido &c. & ideo potius concurrunt ad ſenſationem materialiter, quam formaliter.

Argumẽta ſoluuntur. Ad argumenta nil occurrit dicendum, quia probant concluſionem noſtram.

Sed contra iterum inſtant Aduerſarij. Primo, quia Philoſ. videtur poſuiſſe duos tactus, & duas primas contrarietates in tactu.

Secundo, quia alij ſenſus habent vnitatem, quia ſolum reſpiciunt vnã primam contrarietatem. Ergo ſenſus tactus non habebit vnitatem, quia reſpicit duas primas contrarietates.

Tertio, quia vnus ſenſus eſt vnius primi obiecti. At ſpecies primæ contrarietatis in vno primo obiecto non poſſunt conuenire, quia ſic non eſſent primæ. Ergo.

Quarto, quia datur tactus quo ſentimus famem, & ſitim, & datur tactus interior, & exterior; quod probatur.

Primo, quia iſti tactus magis diſtãt a ſenſibus externis, quam ſapor ab eiſdem externis. Sed hi ſenſus realiter differunt. Ergo & iſti.

Secundo, quia interni ſine medio, & externi cum medio ſentiunt.

Tertio, quia ſi tactus exterior ſentiret dolorem in ſe, & voluptates, poſſet etiam ſentire ſuam ſenſationem, quod nulli exteriori ſenſui conceditur.

Quarto, quia iſti tactus ſeparantur. Nam externus eſt in vna parte, & internus in alia.

Sed ad primũ dicitur, quod Ariſt. non aſſertiue, ſed diſputandi gratia id dixit.

Ad ſecũdum ſimiliter dicitur, duas eſſe primas contrarietates, materialiter conſiderando qualitates contrarias in genere rerum. Sed vna eſt contrarietas in genere ſenſibilium: & per hoc patet ad tertium. Vocantur enim primæ qualitates in genere rerum, quia non conſtant ex alijs qualitatibus. At in genere ſenſibilium formaliter, in vno ſuperiori conueniunt.

Ad quartum negatur aſſumptum. Nam fames eſt quidam appetitus, & ita ſitis, quamuis fames ſit appetitus calidi, & ſicci, & ſitis frigidi, & humidi.

Ad primum Toleti ponentis duos ſenſus tactiuos, ſ. internum, & externum; negatur aſſumptum in genere ſenſibilium, & ſi concedatur in genere rerum.

Ad ſecundum dicitur, quod etiam interna ſentiuntur per actionem qua-

ſitatum alterantium medium,& ſenſorium.

Ad tertium dicitur,tactum non ſẽtire ſuam ſenſationem, quia non reflectitur ſuper ſe, ſentit tamen actionem calidi,& ſicci,humidi,& frigidi, quia idem eſt ſenſus contrariorum.

Ad quartum dicendum,vnum eſſe tactum, ſed in diuerſis partibus habere operationes diuerſas,ſicut & diximus de vna anima in toto corpore collocata.

LECTIO XXXXIII.

QVAESTIO XXXXIII.

Vtrum caro ſit mediũ in ſenſu tactus.

Videtur quod non. Nam medium debet eſſe denudatum a natura ſenſibilis. Sed caro non eſt denudata a qualitatibus tangibilibus, cum ſit corpus mixtum ex his. Ergo.

Secundo. Vnius potentię vnum eſt medium. Sed aer,& aqua per Philoſ. ſunt medium in omni ſenſu. Ergo caro non erit medium in ſenſu tactus.

Tertio. Medium prius immutatur quam ſenſus. Sed caro non prius immutatur quam tactus: quia ſi caro pungatur, illico tactus ſentit dolorem. Ergo.

Quarto. Quædam animalia non habent ſanguinem, & conſequenter nec carnem, & tamen habent tactum. Ergo.

Quinto. Philoſ. in ſecundo de partibus animalium facit carnem organum tactus. Ergo non erit medium.

Sexto. Quia ratio Philoſ. qua probat carnem non eſſe organũ, ſed medium, probat etiam quod non ſit medium. Ratio eſt, quia ſenſibile poſitũ ſupra ſenſum, non ſentitur. At ſi neruus denudetur ab omni carne ſentit vtique frigidum, & calidum ſupra ſe poſitũ. Ergo vel neruus, & caro erunt medium, vel vterque erit ſenſorium.

Septimo. Nerui ſunt terreſtres, frigidi,& ſicci, adeo vt Ariſt. in ſecundo de gen. An. c. 4. dixerit pillos, oſſa, & neruos, non habere ſenſum. Igitur neruus non erit ſenſorium. Ergo erit caro,& ſic neruus erit medium.

Octauo. Illud eſt ſenſoriũ tactus, quod eſt temperatiſſimum in qualitatibus. At talis eſt caro,& cutis, quæ eſt pars temperatiſſima noſtri corporis. Ergo.

Nono. Quia dolor ſentitur in locis vbi nullus eſt neruus, vt in iecore, in corde, in venis,& in oſſium tunicis. Ergo neruus non erit ſenſorium tactus, ſed caro.

Decimo. Senſus tactus eſt in toto corpore. At nerui non ſunt in toto corpore. Ergo.

Pro cognitione quæſt. primo præmittam aliqua fundamenta; Secundo loco probabo concluſionem intentã. Et tertio faciam ſatis argumentis.

Opiniones. Primo igitur animaduertendum venit varias fuiſſe opiniones. Nam Themiſtius,& Simplicius affirmant in corde eſſe organum ſenſus tactus, & omnium aliorum ſenſuum. Secunda ſententia fuit Alexandri, Philoponi, Auicennæ,& Francisſi Toleti, ad quam videtur declinare Caiet. in præſenti loco. Hi inquam omnes tenent ſenſum tactus eſſe in carne tanquam in ſuo organo, & ſi Caiet. non in carne exteriori, ſed in interiori poſuerit ſenſorium tactus. Tertia ſententia eſt Ariſt. hic, S. T. Galleni, Ferrarienſis, Iauelli,& aliorum affirmantium carnem eſſe medium. Sed neruum ſubtus carnem, & infra carnem exiſtentem eſſe ſenſorium tactus,& organũ.

Secundo igitur, notandum venit, quod ad cauſandam ſenſationem, neceſſarium eſt medium, quia ſenſibile poſitum ſupra ſenſum, non cauſat ſenſationem. Sed in ſenſatione duplex medium reperiri poteſt. Primum dicitur per ſe, quod neceſſario concur- *Medium duplex, per ſe, & per accidens.*

rit

rit ad cauſandam ſenſationem. Secundum dicitur per accidēs, quod potius requiritur propter conditionem corporum, quam ad cauſandam ſenſationem. Modo de ratione medij per ſe, & neceſſarij duæ ſunt conditiones. Prima eſt, quod ſit denudatum a natura ſenſibilis, ſaltem ſecundum illū modum, quo a ſenſu percipitur, non enim neceſſaria eſt omnis denudatio, quia manus calida caliditatem ſentit, ſed ſecundum altiorem gradū, quam ſit calida. Secunda eſt, quod medium prius immutetur ab obiecto, quam potentia, quod verum eſt de prioritate naturæ, & ſi non temporis. Aer igitur medium externum dici poteſt. Sed caro videtur ponenda medium internum per ſe.

Caro tripliciter ſumitur. Tertio notandum, quid nam per carnem intelligamus. Nomine igitur carnis tria pro nunc poſſumus intelligere. Primum, carnem propriam, quæ ſolum ex ſanguine generatur, quia illa ſolum proprie habent carnem, quæ proprium habent ſanguinem. Secundum, aliquid ſimile carni, proprie ſumptæ, quia habet complexionem adeo carni propinquam, vt caro videatur, quo modo piſces dicuntur habere carnem, cum tamen proprie non ſit caro. Tertium, per carnem intelligimus id quod eſt carni commixtum, vt ſunt nerui, & cætera quæ habent ſenſum, vel ſaltem augmentum. Per carnem ergo intelligimus primū, & ſecundum, ſed non tertium.

Conciliantur Doctores. Quarto ob reuerentiam D. Caiet. & ad conciliandas tot illuſtres D.D dicendum venit, quod caro ponatur medium, & neruus ſenſorium; dupliciter poteſt intelligi. Primo loquendo de omni carne, & ſic cum Caiet. dicimus non omnem carnem eſſe organū tactus, ſed aliquam eſſe mediū. Scdo de carne, quæ viuit vita aīalis primo, & ſic affirmamus hāc eſſe organū tactus, & non medium. Nec te moueat Franciſcus Toletus putans hoc eſſe ridiculum, quia in omni parte carnis ſentitur dolor, quamuis magis in vna, quam in alia. Nam primum verum eſt de omni carne, q̄ viuit vita anima lis, vnde oīs caro prout ſpiritualior eſt, vel neruoſa, magis ſentit dolorē, Propter hoc S. D. in 4. diſt. 23. quæſt. 2. artic. 3. dicit, quod tactus, & dolor magis vigent in pulpis digitorum, & ſecundum Alb. in palma manus, & in indice digitorum, quia iſtæ partes ſunt maxime neruoſæ. Ita ſimiliter dicendum eſt, quod in neruis fundatur ſenſus tactus, vt in eius prima radice, non prima vniuerſaliter, quia talis eſt cor. Sed prima in ordine ad carnem in carne tamen etiam eſt, prout agglutinatur neruo, & participat de eius duritie, vnde videmus quod maior eſt dolor in carne exiſtente prope neruum, quam in remota. Poſſumus ergo dicere, quod caro inquantum participat de natura, & conditione nerui, erit ſenſorium tactus.

Concluſ. probatur. Quoad ſecundum. Concluſio eſt. Caro eſt ſenſorium tactus. Probatur. Illud eſt organum tactus, quod primo percipit tangibile, & primo ab eo immutatur, nam medium nec mutatur, nec ſentit. At tale eſt caro, quæ eſt prima pars animalis, & viuit vita animali, i. ſenſitiua. Ergo.

Argumēta ſoluuntur. Ad primum dicendum, quod pro nobis facit, nec tamen neceſſarium eſt, carnem eſſe denudatam ſimpliciter a qualitatibus tangibilibus, ſed bene pro eo gradu, pro quo eas ſentit.

Ad ſecundum, dicimus aerem, & aquam eſſe media externa, & fere per accidens, nos autem loquimur de medio interno, & per ſe.

Ad tertium dicendum, quod medium prius immutatur ſecundum naturam, & non ſecundum tempus, & ideo ſubito quod caro interna pungitur, ſentit dolorem.

Ad quartum dictum eſt, quod illa

animalia habent aliquid ſimile, vel æquiualens carni.

Ad quintum non eſt opus reſpondere, quia hic carnem externam negauit organum, & ibi internam poſuit.

Ad ſextum dicimus, quod etiam neruus eſt ſenſorium inquantum eſt carni cõmixtus, nã nec fieri poteſt, quod aliqualiter non participet de ratione carnis.

Ad ſeptimum dicendum, quod nerui inquantum participant de carne retinent quandam mollitiem, calliditatem, & ſubtilitatem, & ideo ſentiunt.

Ad octauum dicendum, neruum eſſe temperatiſſimum, prout opus eſt ad ſentiendum.

Ad nonum dicendum illas partes eſſe coniunctas neruis, & ab ipſis ſuſtentari, & ideo ſentire dolorem.

Ad decimum dicitur, quod nerui ſubtus carnem exiſtentes, per totum corpus diffunduntur.

LECTIO XXXXIV. S.D.23.

PHiloſ. in textu 113. mouet quandam difficultatem, & eam ſoluit. Quærit igitur, an in tactu, ſicut cadit medium internum, ita etiam cadat medium externum. Reſpondet ergo affirmatiue dicendo, quod inter tangens, & tactum cadit medium externum. Antequam autem hoc probet, duo ſupponit. Primum eſt, quod omne corpus habet profundum, i. trinam dimenſionem. Secundum eſt, quod dum inter duo corpora cadit medium, illa non ſe tangunt. His ſuppoſitis ſic format rationem. Inter tangens, & tactum, ſiue ſint in aqua, ſiue in aere cadit humiditas, aut aerea, aut aquea, quod ſi in aqua verum eſt, multo magis hoc erit certum in aere, qui eſt ſubtilior. Ergo inter tangens, & tactum cadit medium. *In tactu cadit medium externum.*

In textu 114. & 115. ponit diſcrimen inter tactum, & guſtum, & alios ſenſus; nam in vno conueniunt, & in duobus diſcriminantur. Conueniunt quidem in hoc, quod in omnibus ſenſibus, prout patet in corporibus duris, & mollibus, cadit medium externũ. Primo autem differunt, quia alij ſenſus a longe percipiũt ſua obiecta, prout patet in viſu, auditu, & olfactu; ſed guſtus, & tactus non ſentiunt ſuum obiectum, niſi ſit debite approximatum, & coniunctum, vnde ſi tangeremus per pelliculam, iudicaremus tãgere immediate, & tamen eſſet per medium. Secundo differunt, quia in alijs ſenſibus obiectum prius immutat medium, & poſtea potentiam, ſed in guſtu, & tactu ſimul tempore, (& ſi non cauſalitate, & prioritate naturæ) immutantur tactus, guſtus, & medium, vt accidit in eo qui per clipeũ percutitur, nam non per prius percutitur clipeus, & deinde clipeus percutit tangentem clipeum, ſed eo ipſo quo clipeus percutitur, eo ipſo percutitur, qui ſuper ſe illum habet. *Senſus cõueniunt, & differunt.*

In textu 116. repetit carnem non eſſe ſenſoriam, ſed medium, tum primo, quia ſicut ſe habet aer ad viſum, ita ſe habet caro ad tactum. Sed caro concurrit vt medium in viſione. Ergo & caro in tactu. Secundo, quia ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non ſentitur. Sed tangibilia poſita ſupra carnẽ ſentiuntur. Ergo caro erit medium in tactu. *Caro eſt medium in tactu.*

In textu 117. 118. 119. oſtendit organum tactus eſſe illud, quod eſt in potentia ad qualitates tangibiles, ꝙ ſic probat. Illud eſt obiectum potentiæ, quod dum recipitur, potentia patitur. Sed tactus recipiendo qualitates tangibiles patitur. Ergo erit harum potentia, & ad has in potentia. *Tactus eſt potentia qualitatũ tangibiliũ.*

Vltimo in textu 120. dicit tactum eſſe tangibilium, & non tangibilium, ſicut viſus dicitur viſibilium, & inuiſibi- *Tactus eſt tangibiliũ, & intangibiliũ*

ſibilium. Dupliciter autem dicitur ali quid intangibile. Primo, quod parum eſt tangibile. Secundo quod excedit potentiam.

QVAESTIO XXXXIV.

Vtrum medium externum ſit neceſſarium in tactu.

VIdetur quod non. Nam tactus dicitur tactus, quia tangit. Si igitur inter tangens,& tactum intercederet medium, tangens non tangeret tactum,ſed medium.

Secundo. Sic rueret ratio Ariſtot. quod caro ſit medium, nã poſſumus dicere eſſe aerem, vel aquam.

Tertio. Medium internum, & externum plurimum differunt. Ergo ſi vnum conuenit cum ſenſorio, aliud conuenire nequibit. Nam inter medium, & ſenſorium debet eſſe proportio.

Quarto. Serra immediate ſecat lignum. Ergo inter ſerram & lignum ſectum non erit medium.

Quinto. Sigillum imprimit imaginem,& figuram in plumbum, vel ceram:& quis dicet tunc intercedere inter hæc aerem?

Sexto. Lapis, intinctus aliquocolore proiectus in parietẽ relinquit in eo figuram. Igitur nõ poterit cadere aer medius.

Septimo. Incredibile videtur, quod inter tunicam, & oſſa mediet aer.

Octauo. Lapis. A.deſcendat ſuper lapidem,B. Quæro,Num cadens tangat,vel non. Non ſecundum,quia ſic adhuc diceretur in aere ſuſpenſus. Ergo eum immediate tangit.

Nono. Corpora cęleſtia ſolida ſũt, & tamen immediate ſe tangunt. Ergo quod inter duo corpora cadat mediũ, non erit niſi ab inęqualitate ſuperficierum, vnde ęqualia immediate ſe tangunt.

In hac quæſt. tres inuenio ſententias. Prima eſt Auerrois, & Auerroiſtarum, ſ.quod inter quæcunque corpora cadit medium externum,quam ſuam opinionem his punctis explicãt. Primum eſt,quod medium internum eſt pars animalis, & externum minime,vt aer,& aqua. Secundum eſt, quod dum etiam manum in aqua tenemus, adhuc inter aquam & manũ eſt medium. Nam negant,quod animal immediate patiatur ab aere,& aqua. Quod probant. Primo, quia aer in ſua naturali diſpoſitione eſt locus naturalis noſter. Sed locus naturalis non agit in locatum. Secundo,quia ſic non eſſet medium aptum, vt alia per ipſum agerent, quia ſenſorium, & medium debent eſſe denudata. Tertium punctum eſt, quod aer exiſtens extra ſuam naturalem diſpoſitionem agit quidem, ſed non ex ſe, ſed quatenus ei admiſcentur alij vapores, qui eum vel calefaciunt, vel infrigidant,vel alio modo afficiunt. Iſtæ autem qualitates non ſunt nobis contiguæ, & ideo ſemper agunt in nos mediante aere,vel aqua. *Opiniones.*

Secunda ſententia eſt Franciſi Toleti, & quorundam Modernorum ex Thomiſtis, dicentium,quod corpora dura non ſe tangunt ſecundum totũ, quia non habent omnes ſuperficies planas, quod ſi eas haberent, immediate ſe tangeret, ſicut immediate ſe tangunt in puncto duę pillæ lapideę, & horum rationes adduximus in Argumentis.

Tertia ſententia eſt S D. & fere omnium Thomiſtarum diſtinguentium corpora in corpora dura, mollia,& fluuida. Modo dicũt,quod ſemper inter duo corpora dura cadit mediũ,& ita iter corpus durũ,& molle, & inter molle, & molle,vt inter duas partes panni, ſed non cadit medium inter corpus durũ, & fluuidum,& inter

ter manum exiſtentem in aere, vel in aqua, quia manus hæc immediate tangit.

Secundo ergo ad memoriam reuocandum eſt id quod ſupra diximus, ſ. quod diuerſimode concurrit mediũ in tactu, & in alijs ſenſibus, nam in alijs neceſſario concurrit, quia obiectum prius natura immutat medium, quam potentiam, prius enim color immutat aerem, quam oculum. Sed in tactu cum cadant corpora ſolida, & mollia, ab aere, vel aqua penetrata, vel his coniuncta, ideo dicimus hæc corpora non poſſe ſe tangere ſine medio aeris, vel aquæ, vnde in alijs ſenſibus, medium concurrit ex parte agentis, quia per illud mouet potentiam, ſed in ſenſu tactus concurrit ex parte potentiæ, his medijs coniunctæ.

Aer & aqua coniũguntur tactui.

In corporibus mixtis.

Tertio notandum, quod inter tangens, & tactum ſecundum naturam cadat mediũ, eſt per accidens, ſed neceſſarium ex coniunctione corporum. Hoc autem poteſt dupliciter intelligi. Primo loquendo de corporibus mixtis, & ſic affirmo quod inter duo corpora mixta ſemper cadit medium, quia non videtur poſſibile quod poſſint ſubterfugere ſubtilitatem, & penetrationem aeris, vel humiditatem aquæ. Secundo loquendo de corporibus ſimplicibus, ſ. de elementis, & tũc nego quod hæc immediate non ſe tãgant (ſi excludamus eorum qualitates quæ mediæ ſunt, vt de humiditate aquæ dixit Philoſ.) vt aqua manum, aer corpus locatum, & ignis combuſtibile, & pars terræ, in centro exiſtẽs, centrum. Sed nec per hoc quod diximus, quod inter corpora mixta cadit medium volumus dicere, quod hoc medium ſit aer, vel aqua ſecũdum ſe, ſufficit enim quod cadat media aliqua qualitas aeris, vel aquæ, prout de humiditate dixit Philoſ. in textu.

Conclusio probatur.

Secundo ergo loco principali ponitur talis concluſio. Inter tangens, & tactum cadit medium. Probatur primo a fortiori. Inter tangens, & tactũ in aqua cadit medium, (vt affirmauit ſupra Philoſ. textu 113.) Ergo multo magis in aere, qui eſt ſubtilior, & efficacior.

Secundo. In aula vndequaque muris validis clauſa datur continuatio aeris interni, & externi. Ergo inter quęcunque alia corpora. Probatur Antecedens, quia in ea aula penetrabit ſonus. Ergo per medium aerem. Et vlterius, quia ſi non daretur talis continuatio, aer in aula cõcluſus corrumperetur, & ſic daretur vacuum contra Ariſt. 4. Phyſ.

Tertio. Ponatur vas in fundamentis domus, & ſit vndequaque clauſũ, aut aer in eo incluſus quandoque corrumpetetur, aut non. Secundum non eſt dicendum, quia ille aer ſi non habet continuationem, cum ſit extra propriam ſpheram, non poteſt diu durare. Ergo ad hoc ne vacuum detur, vel danda eſt continuatio aeris, vel humiditatis.

Argumenta ſoluuntur.

Ad primum dicendum, quod tangens dicitur tangere tactũ, non quod inter hæc nõ cadat medium, ſed quia inter hæc nõ cadit aliud corpus, quod poſſit dici tactum, & non medium.

Ad ſecũdum dicitur, quod nos hic loquimur de medio extrinſeco, caro autem eſt medium intrinſecum.

Ad tertium dicimus, eſſe proportionem in ſentiendo, & ſi non in natura.

Ad quartum dicimus, quod inter feram, & lignum cadit medium, id eſt aer, & ita dicimus de ſigillo, & cera, & pariete, & lapide intincto.

Ad ſeptimum dicimus, quod ſi inter oſſa, & tunicam non mediat aer, mediat tamen aliquis humor, vel qualitas virtualiter correſpondens aquę, vel aeri.

Ad octauum Iauellus primo dicit, quod impediretur a natura vniuerſali, ne

li,ne tantum lapis ſupra lapidem deſcendat ſicut aptus natus eſt deſcendere. Secundo dicit,quod ille aer, eſt tam paruus, vt non ſufficiat denominare lapidem ſurſum. Sed nos cum Philoſ.liberamur ab his anguſtijs dicendo,quod mediat aer, & ſi nos lateat. Non dicitur autem ille lapis ſurſum, quia inter lapidem ſurſum, & deorſum nō poteſt intercedere aliud corpus durum,ſed ſolum fluens, vt aer,& aqua.

Ad nonum dicendum,quod corpora cæleſtia ſe tangūt ſine medio, quia ibi non penetrat aer, ſi autem ibi penetraret,non ſe tangerent ſine medio, quia aer ſpiritualiſſimus eſt.

Ad rationes Com.non eſt opus reſpondere,quia omnes falſæ ſunt, & a S.D.impugnatæ. Impugnat ergo S. D.Com.in tribus. Primo in hoc quod dixit elementa in nobis non agere, & nos ab ipſis non pati, vt ſunt locus noſter naturalis. Nam hoc repræhendit. Primo,quia elementa locata,ſecūdum extremitates alterantur a locantibus. Ergo pari ratione nos qui his contigui ſumus,ab his alterari poſſumus. Secundo,quia nos elementis cōparati habemus rationem paſſiui. Ergo illa actiui. Secundo principaliter illum repræhendit, quia neſciuit diſtinguere inter elementa,vt locantia, & vt habent qualitates actiuas,& paſſiuas, nam vt locatiua conſiderantur ſecundum ſuas formas ſubſtantiales, quas conſequuntur ex impræſſione corporum cæleſtium, hæc autem forma ſubſtantialis vocatur virtus locatiua,ſed ſecundum ſuas qualitates ſūt alteratiua. Tertio principaliter eum reprehendit,quia dixit elementa non ſe alterare,niſi permixtione vaporu. Nam elementa ſecundum ſe ſunt cōtraria.Ergo corruptiua,& alteratiua.

LECTIO XXXXV.

S. D. 24.

POſtquam Philoſ.determinauit de ſenſibilibus, modo in textu 121. incipit determinare de ſenſu. Ponit igitur talem concluſionem. Omni ſēſui conuenit ſuſcipere ſpecies ſine materia. Hanc probat quodam ſigno. Nā ſicut cera recipit imaginem impreſsā in ſigillo aureo,vel argenteo,ſine auro,vel argento,i. ſine materia,ita ſēſus recipit ſpecies ſine materia, vt viſus recipit ſpeciem coloris, & non materiam coloris,vnde dicendum venit, quod ſenſibile habet eſſe diuerſum in ſe,& in ſenſu,quia in ſe habet eſſe naturale,& materiale, & in ſenſu ſpirituale,& intentionale. *Senſus recipit ſpecies ſine materia.*

In textu vero 122. determinat ſenſum, ad differentiam intellectus habere organum in corpore. Organum autem dicitur illa potentia,quæ eſt receptiua ſpecierum ſine materia, vnde organum non eſt corpus,ſed potentia corporis. v g.oculus non eſt corpus, ſed potentia corporis. *Senſus habet organū in corpore.*

In textu 123.ſoluit duo quæſita. Primum eſt, propter quid excellens ſenſibile ſenſum corrumpit.& reſpondet hoc eſſe,quia inter ſenſibile, & organum oportet eſſe proportionem. Excellens autem ſenſibile ſuperat hāc proportionem, ſicut etiam corrumpitur conſonantia cordarum,ſi cordę grauius (vt decet tangantur. Secundū quæſitum eſt. Cur plantæ quæ habent animam vegetatiuam non ſentiant cum tamen & frigeſcant, & caleſcant. Reſpondet ex eo prouenire, quia non habent talem complexionem, quæ ſit ſufficiens ad organum tactus. *Excellens ſenſibile corrumpitur ſen.ū.*

Ex 124.vſque ad 127.incluſiue habemus vnum dubium cum ſolutione, rationis partis aduerſatiuæ. Dubium

Inſenſibilia non patiuntur niſi a qualitatibus tãgibilibus.

bium eſt. An qui non habet ſenſum, aliquid patiatur a qualitatibus, vel obiectis ſenſuum, v.g. An non habẽs viſum, aliquid a colore, vel non habẽs auditum a ſono patiatur. Reſpondet autem negatiue .ſ. quod non, quod duabus rationibns probat. Prima eſt, quia ſenſibile facit ſenſum, v.g. odor olfactũ, & color viſum: obiecta enim ſunt illa, quæ immutant potentias. Ergo lumen, & tenebra, ſonus, odor &c. nihil faciunt in corpora inſenſibilia, niſi per accidens, v.g. tonitruum non vt eſt ſonus, ſed vt eſt motus aeris frãgit lignũ. Corpora tamen inſenſibilia ab alijs qualitatibus tangibilibus patiuntur, vnde alterantur, & corrumpũtur a caliditate, & frigiditate, ab humiditate, & ſiccitate.

Sed non vniuerſaliter.

In textu 127. quia dixerat quod inſenſibilia non patiuntur niſi a qualitatibus tangibilibus, & non ab alijs aliorum ſenſuum, oſtendit hoc non eſſe vniuerſaliter verum, quia aer & aqua dicuntur etiam pati ab odore. Nam aer fert odorem. Sed dicitur, quod aer tunc non dicitur pati vt potentia ſenſitiua, ſed vt medium.

QVAESTIO XXXXV.

Vtrum ſit bona diffinitio ſenſus.

Videtur quod non ſit bona diffinitio ſenſus .ſ. Senſus eſt ſuſceptiuus ſpecierum ſine materia. Nam per Ariſt. in hoc tertio. Hoc eſt proprium intellectus. Igitur non conuenit ſenſui.

Secundo. Senſus ob excedentiam ſenſibilium corrumpitur, vt hic affirmat Philoſ. Ergo recipit ſpecies cum materia, & naturaliter. Patet, quia ſpirituale non corrumpit.

Tertio. Guſtus, & tactus vt patet recipiunt ſpecies realiter, & naturaliter, non igitur ſine materia.

Quarto. Aut recipere ſpecies ſine materia idem eſt, quod recipere formam, & non materiam, vel diſpoſitiones materiæ, vel intentionaliter. Duo prima conueniunt omni patienti. Tertium vero non eſt explicatum in litera. Ergo.

Quid ſit recipere ſpecies ſine materia.

Pro enucleatione huius quæſt. & pro intelligentia terminorum poſitorum in diffinitione ſenſus, notandum eſt primo, quid ſit recipere ſpecies ſine materia. Recipere ergo ſpecies ſine materia, eſt recipere ſpecies non cum eiſdem diſpoſitionibus, cum quibus agens introducit formam in materia, ita vt ſit recipere ſpecies non ſecũdum eſſe naturale, materiale, quod habet in materia, ſed ſecundum aliquod eſſe ſpirituale.

Omnis cognitio ſit per abſtractionẽ.

Secundo notandum venit, quod cum omnis cognitio fiat per aliquam abſtractionem materiæ, & receptionem ſpeciei, tripliciter poteſt forma abſtrahi a materia. Primo, q̃a forma non recipitur cũ materia, ſed recipiť tamen cum conditionibus materiæ i. cum repræſentatione obiecti, vt eſt hic & nunc cum extenſionem in organo &c. Scdo per abſtractionem a materia ſed non a conditionibus materiæ, ſed tamen cum abſentia materiæ. Tertio per abſtractionem a materia, & a conditionibus materiæ. Prima abſtractio conuenit ſenſibus exterioribus, qui & ſi non recipiant ſua obiecta, vt res ſunt, ea tamen recipiũt cum conditionibus eorum realibus, vt ad extra ſunt, vnde viſus non videt colorem niſi præſentem. Secunda cõuenit ſenſib. interiorib. & Tertia cõuenit intellectui, q̃ ſolus recipit ſine materia, & ſine cõditionib. materiæ.

Etiam ſi ſit cognitio potentiæ ſenſitiuæ.

Tertio notandum venit, quod hęc propoſitio. Senſus eſt receptiuus ſpecierum ſine materia bifariam intelligi poteſt. Primo, quod eas nõ recipiat prout ſunt in agente, recipiendo, ſ. materiam agentis. Secundo, quod eas recipiat prout potentiæ ſenſitiuæ conuenit, nam dato quod enſis ſanguine aſperſus in alicuius oculo infigeretur, tunc oculus, & ſi naturaliter reciperet colo-

colorem ſanguinis, non tamen eum reciperet prout eſt potentia ſenſitiua, ſed prout eſt ſubiectum alicuius actionis. Nos igitur loquimur de potentia ſenſitiua, vt potentia ſenſitiua eſt.

Id eſt aliquo modo immateriali.

Quarto vlterius animaduertendũ venit, ꝙ recipere ſine materia duobus modis ſtare poteſt. Primo ſine materia reali, recipiendo quidem ſpeciẽ obiecti ſed non materiam obiecti, vt olfactus recipiendo odorabile, & nõ materiam odorabilis, & hoc commune eſt omni patienti, nam etiam aqua recipit caliditatem ignis, ſine materia ignis. Secundo ſine materia, i. modo immateriali, & ſpirituali, ad differentiã inanimatorum, quæ recipiunt cum materia, & hoc ſecundo modo intelligenda ſunt verba Philoſ.

Quinto igitur ſic diffiniendus eſt ſenſus. Senſus eſt potentia cognoſcitiua, paſſiua, receptiua ſubiectiue, vel per modum proximi principij cognitionis ſenſitiuę, ſpecierum, modo immateriali, & ſpirituali, ſed non ſine potentia materiæ. Diximus ſenſum eſſe potentiam, quia per hoc explicatur eius natura. Diximus cognoſcitiua, ad differentiam aeris, & aquæ, quæ licet recipiant ſpecies ſine materia, non tamen ſunt potentiæ cognoſcitiuæ. Vel eas recipiunt ſubiectiue in medio, ſed non vt principia propria ſenſationis. Diximus nõn ſine potentia materiæ, ad differentiam intellectus, qui ſpecies recipit ſine materia, & ſine conditionibus materiæ.

Secundo loco principali ponuntur duæ Concluſiones. Prima eſt. Senſus eſt receptiuus ſpecierũ ſine materia. Probatur primo. Senſus aliquid recipit ab obiecto ſenſibili, non materiã, vt patet. Ergo ab eo recipit ſpecies modo immateriali, non omnino, quia obiectum alio modo eſt in intellectu, & alio modo in ſenſu, vt ſupra explicatum eſt. Secundo. Si ſenſus reciperet ſpecies cum materia, a materia denominaretur. Vnde viſus recipiens albedinem diceretur albus, & ſic diſcurrendo per alios ſenſus, auditus, & olfactus. Hoc autem eſt falſum, vt patet. Ergo.

Secunda concluſio contra Toletum eſt. Senſus tactus, & ipſe recipit ſine materia tangibili. Probatur primo. Nam tangibile reſpicit carnem tanquam medium, & neruum tanquam ſenſorium. Sed tangibile non penetrat omnem carnem ſecundum eſſe naturale, vt omnibus conſtat. Ergo mittit ſpeciem ad ſenſum tactus.

Secundo. Species ſenſuum exteriorum ad ſenſum communẽ mittuntur, vt ad centrum, & iudicem ipſorum. Si ergo ſenſus tactus nullam habet ſpeciem. Ergo nec ſenſus communis nullam habebit de eo cognitionem, quod eſt falſum.

Argumenta ſoluuntur.

Ad primum dictum eſt in corpore.

Ad ſecundum dicimus, quod ſenſibile excellens corrumpit ſenſum, non vt ſenſibile proportionatum, ſed vt improportionatum.

Ad tertium dicimus, quod ſenſus tactus & ſi recipiat naturales qualitates tangibiles, non tamen recipit eius materiam, immo tactus non complet ſenſationem, niſi recipiendo ſpecies qualitatum tangibilium.

Ad quartum dictum eſt in corpore.

QVAESTIO XXXXVI.

Vtrum inanimata patiantur ab odore, colore, ſono &c.

Videtur quod ſic. Nam odor receptus in aqua eam facit odoriferam. Sed hæc eſt inanimata, nec habet odoratum. Ergo.

Secundo. Vehemens ſonus, vt tonitruum, ſcindit lignum, quamuis careat auditu.

Tertio. Lumen calefacit aerem,

qui caret viſu.

Quarto. Non videmus aliquem effectum, quem ſapor producat in re inanimata.

In contrarium eſt Philoſ. in textu 126.

Ad duo prima argumenta reſpondetur, quod viſus auditus, & olfactus non immutant ſuas potentias niſi per ſe, per accidens autem poſſunt etiam agere in corpora inanimata. Tangibilia vero, & guſtabilia ſecundum ſe habent immutare, & inducere actionẽ realẽ, vnde alia, & alia eſt ratio, quia tres primi ſenſus collocantur in genere relationis, tactus vero, & guſtus reponuntur in genere actionis, & paſſionis.

Ad tertium dicendum, quod de ratione luminis duo ſunt, ſ. illuminare, & calefacere, ſed secundum habet a motu locali, vnde ſi Cælum ſtaret, ſol ſolum illuminaret partem terræ ſibi oppoſitam, & non calefaceret. Philoſ. ergo loquutus eſt de lumine, vt ſolum illuminat.

Ad quartum quidam dicunt, quod ſapores aliquid operantur materialiter, quatenus fundantur in humiditate, quæ eſt qualitas tangibilis. Vel etiam dicere poſſumus aliquid etiam operari in inanimatis, ſicut oleum ſua lenitate, & craſſitie citius facit currere rotam, & de his videndus eſt Galenus.

QVAESTIO XXXXVII.

Vtrum ſit idem odorare: quod pati ab odore.

Videtur quod ſic. Quia qui ſentit odorem, patitur ab odore.

In contrarium eſt Philoſ. tex. 127.

Pro ſolutione dubij animaduertendum eſt, quod odor, & color præcipue habent triplex eſſe. Primum naturale, ſicut accidens in ſubiecto, vt habet odor in pomo color in colorato, ſonus in aere, & etiam odor per aliqualem diſtantiam. Secundum intentionale ideſt ſpirituale, vt odor in maxima diſtantia, & color in medio, & in organo. Tertium eſt intentionale, ſed cum cognitione, vt dum quis videt colorem, & cognoſcit ſe videre colorem, quod eſt dicere ſentire ſenſibiliter, & cum animaduerſione. Modo dicimus, quod odorare, eſt percipere odorem tertio modo, i. cum animaduerſione. Pati vero ab odore, eſt ſecundum primum modum, ſecundum, & tertium, vnde odorare limitat, & coarctat pati ab odore, vnde aer patitur ab odore, & tamen non odorat, quia non habet potentiam perceptiuam odoris, cum animaduerſione.

Finis Secundi Libri.

IN-

INCIPIT LIBER TERTIVS

DE ANIMA.

LECTIO Prima.

QVoniam quæ ab Ariſtotele dicuntur vſque ad tractatum de intellectu poſſibili parum ſũt momenti, ideo breuiter percurram, quæ ab eodemmet afferuntur, vſque ad ſupradictam partem. Sciendum eſt ergo generaliter, quod Arabes, & Græci diſcriminantur, dum Arabes a tractatu de intellectu poſſibili initium Tertij libri de Anima ſumunt, Græci vero a textu 128. initium accipiunt. Et quia D. Thomas in hoc Græcos ſequitur, ideo & nos hos comitabimur. Præſens autem liber in quatuor tractatus principales diuiditur. In primo tractatu Philoſophus oſtẽdit præter ſenſus particulares ponendum eſſe ſenſum communem. In ſecundo oſtendit intellectum differre a ſenſu. In tertio determinat de Potentia intellectiua, & eius partibus. Et in quarto de potentia motiua.

QVAESTIO Prima.

EX prima igitur lectione S. D. & ex teſtibus Philoſophi in ea explicatis multa dubia inſurgunt. Primum ergo dubium eſt Vtrum tantum ſint quinque ſenſus exteriores. Videtur enim quod ſint plures, vel pauciores. Nam vnus eſt intellectus. Igitur vnus tantum erit ſenſus. Probatur antecedens, quia ſicut intellectus ſe habet ad intelligibilia, ita ſenſus ſe habet ad ſenſibilia.

Secundo. Plura ſunt accidentia ſuſcepta a ſenſibus, quam quinque. Igitur plures ſenſus, nam diſtinctio potentiarum deſumitur ex diſtinctione obiectorum.

QVAESTIO Secunda.

SEcunda difficultas oritur circa textum 128. quo in loco aſſerit Ariſtoteles nos percipere tactu oẽs qualitates tangibiles, & Commentator addit ſimile eſſe dicẽdũ de qualitatib. viſibilibus, audibilibus, & olfactiuis. Sed contra. Nam animalia quæ habent oculos duros, habent eũdem viſum, ſed non percipiunt omnes differentias colorum, ſicut patet etiam de noctua, & piſcibus. Nec homo cũ male odoret omnes differentias, & ſpecies odorum percipit.

QVAESTIO Tertia.

TErtia difficultas inſurgit contra id, quod dicit ignem non dominari in aliquo ſenſorio ſenſus, cuius oppoſitum affirmauit in ſecundo de ſenſu, & ſenſato, vbi ignem olfactui attribuit.

QVAESTIO Quarta.

QVarta difficultas procedit contra hoc quod dicit, ſcilicet ter-

tam dominari in tactu. Sed contrà, quia ſic ſenſus ſentiret. Nam propterea in 1. de Anima tex. 79. dixit pilos non ſentire, quia in eis terra dominatur, & ita dixit plantas non ſentire, quia non habent proportionem, & temperiem elementorum.

QVAESTIO Quinta.

QVinta difficultas pullulat circa hoc, quod ſenſatio propter calorem occurat. Contra. Senſatio eſt operatio animæ ſenſitiuæ. Sed anima ſenſitiua eleuata eſt ſuper omnes qualitates ſenſibiles. Igitur non ſentit per has qualitates.

QVAESTIO Sexta.

SExta difficultas eſt in tex. 129. vbi affirmat, quod ſentimus per medium internum. At hoc non eſt neceſſarium, quia per ſenſum communem etiam ſentimus.

QVAESTIO Septima.

SEptima difficultas procedit contra diſcurſum Ariſtotelis, dum ex duobus medijs externis, ſcilicet aere, & aqua tres ſenſus concludit. Sed cõtra. Si tantum ſunt tres, vel hoc erit, quia ſolum duo ſunt media, vel propter eorum diuerſas rationes. Si primum, ſic tantum duo erunt ſenſus. Si ſecundum, poſſumus dicere, quod ſicut aer ſeruit viſui, olfactui, & auditui, ita etiam poſſit pluribus alijs inſeruire. Item ibidem dicit, quod per medium conforme organo ſentit illa plura ſenſibilia. Sed arguitur. Quoniam aer eſt medium conforme auditui, & viſui, & tamen per organum auditus non cognoſcitur color.

QVAESTIO Octaua.

OCtaua difficultas conſurgit, quia hic ſex communia ſenſibilia ponit, & in præcedentibus ſolum quinque ea fecit.

QVAESTIO Nona.

NOna eſt, quia ſi caro eſt medium in tactu, & guſtu (vt ait in textu) cur non erit medium in alijs ſenſibus.

Ad primam autem difficultatem reſpondendo dicimus eſſe tantum quinque ſenſus exteriores. Quod optime probat S. D. p. p. quæſt. 78. artic. 3. Supponit ergo id quod iam probatũ fuit, ſcilicet ſenſum eſſe potentiam paſſiuã, quæ immutatur ab obiecto. Duplex autem eſt immutatio. Quædam intentionalis, quia potentia ſolum immutatur intentionaliter, vt patet in viſu. Si autẽ interuenit motus localis, erit immutatio auditus, qui immutatur ex motu locali ſolũ vſque ad auditũ. Sed ſi vlterius interuenit aliqua alteratio ex parte obiecti, erit olfactus, q ex calore habet quod ex odorabili reſoluantur quidam ſpiritus, & exhalationes peruenientes vſque ad olfactum. Secunda immutatio dicitur naturalis, cum aliqua tamen immutatione ſpirituali, vt ſuo loco oſtenſum eſt in tactu, & guſtu. *Senſus exteriores ſunt tantum quinque.*

Ad primum ergo negatur ſimilitudo, quia intellectus cum ſit immixtus, & ſpiritualis, & habeat pro obiecto omne ens, omnia poteſt intelligere. Senſus vero cum ſit potentia organica, non poteſt ſentire niſi quæ cadunt ſub formali ratione ſui obiecti ſenſibilis.

Ad ſecundum dicendum, quod omnia ſenſibilia in genere ſenſibilium reducuntur ad quinque obiecta ſenſuum.

Ad ſecundam difficultatem dicendum,

Senſus percipit omnes differentias ſui obiecti vt eſt potentia.

dum, quod habens potentiam, v.g. homo habens odoratum, poteſt dupliciter conſiderari. Primo ex parte potentiæ, vt potentia eſt; & ſic ſecundũ ſe non magis reſpicit vnam differentiam ſui obiecti, quam aliam. Secundo ex parte organizationis talis, & ita non eſt inconueniens, quod vnam differentiam magis reſpiciat quam aliã. Vt quod habentes oculos duros nõ omnes colores videant, & male odotantes non omnes odores ſentiant. Non eſt igitur ex parte potentiç quod non percipiat omnes qualitates, & differentias ſui obiecti, ſed hoc procedit ex parte potentiæ phyſice male organizatæ.

Olfactus attribuitur aeri, aquæ, & igni.

Ad tertiam dicẽdum primo, quod Philoſophus in libro de ſen. locutus eſt ſecundum ſententiam antiquorũ, vnde ibi conditionaliter loquitur; hic autem locutus eſt ſecundum propriã ſententiam. Vel dicendum ſecundo, quod olfactus poteſt dupliciter conſiderari. Primo vt ſenſus eſt, & ita tribuitur aeri, & aquæ propter humiditatem. Secundo vt operatur, & quia ſic reſpicit odorabile, quatenus per calorem euaporat, indẽ igni principio caliditatis attribuitur, & ita dicimus oculum videntem coloratum quodammodo eſſe coloratum.

Terra tactui.

Ad quartam difficultatem primo dicendum venit, quod terra bifariã conſiderari poteſt. Primo ſecundum ſuas qualitates. Secundo ſecundum conſiſtentiam, & denſitatem, propter quam magis dominatur in animali. Vel melius dicendum, quod dixit in tactu terram abundare, comparando tactum ad alios ſenſus, quia in alijs sẽſibus magis vigent aer, vel aqua, ac in tactu conſiſtentia terræ. Non eſt itaque terra, vt elementum eſt, quæ cauſet tactum, ſed dicitur eſſe terra, ideſt conſiſtentia eius temperata, reſpiciens quatuor primas qualitates quæ ſic non reperitur nec in oſſibus, nec in capillis, quæ maxime elongantur a tactu; & a modo reſpiciendi obiectum.

Anima eſt prima cauſa ſenſationis.

Ad quintam dicendum, quod potentia ſenſitiua ſit eleuata ſupra qualitates ſenſibiles poteſt duobus modis conſiderari. Primo vt nullo modo vtatur calore, nec tanquam diſpoſitione organi, nec tanquam inſtrumẽto. Secundo vt ipſa eſt prima cauſa ſenſationis. Anima igitur vegetatiua vtitur calore nutriendo tanquam inſtrumento: ſenſitiua vero tanquam diſpoſitione materiali organi, in quo fundatur, ſed tamen anima eſt prima cauſa ſenſationis.

Senſus cõmunis primo non ſentit.

Ad ſextam dicendum, quod propoſitio Philoſophi modificatur per ly primo, ita vt ea dicantur percipi tactu primo, quæ per medium internum percipiuntur. Modo ſenſus communis primo non percipit ſenſibile, quia iam ſupponitur immutatio facta a ſenſu exteriori.

Ex duobus medijs .ſ. aere, & aqua quinque ſẽſus concludũtur.

Ad ſeptimam dictum eſt, quod illę rationes conſiderandæ ſunt ſecundũ rationem recipiendi, quę non poſſunt eſſe plures formaliter, quia vel conſiderantur vt diaphana, vt aer, & aqua, & ſic viſui feruiunt, vel vt humida ſiccitatis receptiua, & ſic feruiunt olfactui, vel vt rara & mobilia ſecundum locum; & ſic feruiunt auditui, vel vt ſunt primæ qualitates; & ſic deſeruiunt tactui, vel vt ſunt ad temperamentum ſicci, & humidi, & ſic guſtui inſeruiunt, vt ſuis locis explicatũ fuit. Ad aliud dicitur, quod per organum diſpoſitum intelligimus ſub eadem diſpoſitione, modo olfactus, viſus, & auditus reſpiciunt aerem, ſed nõ ſub eadem diſpoſitione.

Ad octauum dicendum, vnum cõtineri ſub numero, ſicut pars ſub toto, vnde hic magis expreſſe locutus eſt.

Ad nonam patet, quod caro nõ poteſt eſſe mediũ niſi in tactu, & guſtu.

L E-

LECTIO Secunda.

S. D. 2.

PHiloſophus a tex. 136. vſque ad 144. tres difficultates mouet, & ſoluit, quas modo in præſenti lectione & nos examinandas ſuſcipimus.

QVAESTIO Decima.

PRima eſt. Vtrū ſenſus exteriores ſint reflexiui ſuper ſe, & poſſint percipere ſuam ſenſationem. Videtur quod ſic, & primo arguitur rationibus Philoſophi. Si alio ſenſu præter viſum, v. g. perciperemus ſenſationē, idest viſionem, vel ille alius ſenſus ſuam ſenſationem percipit, vel alius ſenſus. Si alius, de eodem ſimiliter quæram, an percipiat ſuam ſenſationem, vel alius, & ſic in infinitum. Igitur deueniendum eſt ad aliquem ſensum, qui ſuam percipiat ſenſationē.

Secundo. Vnum obiectum non poteſt a duobus ſenſibus percipi. Sed ſi ſenſus ſuam ſenſationem non cognoſceret, ſed alius, idem obiectum v. g. coloratum, & a viſu, & ab alio ſenſu cognoſceretur.

Tertio. Eiuſdem ſenſus viſus, eſt percipere colorem, & ſuam viſionē, nam viſus videt colorem, & cognoſcit ſe videre colorem.

Quarto S. D. de ver. quæſt. 1 art. 9. & quæſt. 16. art. 9. dicit, ſenſum redire ad ſuam eſſentiam, reditione quadā incompleta, & imperfecta, dū ſuam cognoſcit actionem, quia cognoſcit ſe ſentire, & loquitur non de ſenſu communi, ſed de ſenſu particulari, vt patet legenti.

Quinto. Sicut ſe habet intellectus ad intelligibilia, ita ſe habet ſenſus ad ſenſibilia. Sed intellectus percipit ſuā intellectionem. Ergo & ſenſus ſuam ſenſationem.

Sexto. Omnis cognitio per ſpeciē cauſatur. Sed non videtur quomodo a viſione, quæ eſt quædam operatio, poſſit emanare aliqua ſpecies perueniens vſque ad illum ſenſum cognoſcentem ſenſationem ſenſus exterioris, & particularis.

Septimo. Eiuſdem ſenſus eſt percipere viſionem lucis, & tenebrarum. Sed viſus percipit tenebras, ergo & lucem.

Opiniones. Quoniam hanc quæſtionem Philoſophus reliquit, vel videtur reliquiſſe irreſolutam, ideo circa eam multæ fuerunt opiniones. Philoponus itaque ſupra textū 136. duas reffert opiniones. Primam dicit Plutarchi tenentis ſenſationem ſenſuum exteriorum percipi ab opinatiua, ſiue exiſtimatiua, quæ eſt virtus organica, aliquo modo particeps rationis, & diſcurſiua circa ſingularia. Secundam facit ſibi propriam, dum ait, Quod datur quædam potentia ab ipſo attentatiua nuncupata, quæ eſt opus rationalis animæ, non alligata organo corporeo, & hanc fecit cognoſcitiuam ſenſationum, ſenſuum exteriorum particulariū. Tertia opinio fuit Simplicij dicentis, hoc opus eſſe ſenſus nō abſolute, ſed vt aliquid participat de ratione, vnde quia bruta & ſi habeat ſenſus, quoniam tamen in illis nō participant aliquid de ratione, ideo non poſſunt cognoſcere ſuam ſenſationē. Quarta opinio fuit Ianduni queſt. 13. Appollinaris quæſt. 37. Auerrois & Alberti. Hi omnes ſunt in ſententia, nullum ſenſum exteriorem ſuam cognoſcere ſenſationem, ſed hoc munus eſſe ſenſus communis, cognoſcentis ſenſationes omnium ſenſuum particularium, & ponentis diſcrimen inter ipſas. Quinta eſt Aegidij, & Gaetani Thienenſis, affirmantium ſenſus exteriores non percipere ſuam ſenſationem directe, producendo ſcilicet actū ad illam immediate terminatum, ſed

indi-

indirecte, quia inſpiciendo ſuum obiectum, vt potentia viſiua coloratum, ſimul etiam cognoſcit hanc ſuā actionem, id eſt ſe videre coloratum. Cuius ſententię videtur etiam Dominus Caietanus Cardinalis hic. Vltima ſententia videtur Sancti Doct. duo ponentis in ſenſu exteriori. Primum eſt receptio, & immutatio organi facta ab exteriori ſenſibili. Secundum eſt iudicium de re percepta per organum, & iudicata, & hoc ſecundo modo aſſerit ſenſum cognoſcere, id eſt iudicare de ſua ſenſatione.

Senſus exteriores cognoſcunt ſuas ſenſationes. Secundo notandum, quod ſenſus exteriores dupliciter conſiderari poſſunt. Primo ſecundum ſe, & pręciſe, v.g. vt viſus eſt viſus, & auditus auditus. Secundo ſecundum quod continuantur cum ſenſu communi. Si primo modo conſiderentur, dubitatio eſt, quoniam cognoſcere ſuam actionem, videtur eſſe opus potentiæ intellectiuæ, ſuper actum ſuum reflexiuę. Secundo autem modo res clarior eſt, quoniam cum ſenſus exteriores terminentur ad ſenſum communem tāquam ad centrum & ipſe ponat diſcrimen inter ſenſationes, oportet vt eas cognoſcat. Difficultas ergo in hoc ſtat. An ſenſus particularis ſentiat, & cognoſcat ſe ſentire.

Imperfecte. Tertio ergo dicendum venit, quod duplicem cognitionem poſſumus conſiderare in ſenſu. Prima dicitur quidditatiua, & perfecta, prout anima intellectiua cognoſcit ſe, & ſuum actū. Secunda dicitur imperfecta, & an eſt, quia potentia percipit ſe eſſe in actu circa ſuum obiectum, neſciendo tamen aſſignare quid, huius ſuæ operationis. Primo modo cenſeo, ſenſum non cognoſcere ſuam operationem, cum hoc ſit proprium potentiæ omnino immaterialis. At ſecundo modo teneo potentiam cognoſcere ſuam operationem, v.g. potentiam viſiuam ſe videre.

Concluſio probatur. Concluſio igitur ſit. Quamuis potentia ſenſitiua non cognoſcat quidditatiue ſuam actionem, reflectendo ſe ſupra ſuū actum, eam tñ cognoſcit imperfecte, & quo ad an eſt. Probat. Potētiæ ſenſitiuæ, ſunt cognoſcitiuæ non ſolum obiecti, cum hoc ſit cōe omnibus ſentientibus, ſed etiam operationis, cum cognoſcant ſe quandoque melius, & quandoque deterius ſentire, v.g. videre. Ergo cognoſcunt ſe eſſe in actu ſenſationis.

Secundo. Dum ſenſus tactus pungitur, mirum eſt dicere, quod ſenſus communis ſentiat dolorem, & non tactus, qui diuiditur.

Tertio. Videmus animalia oculis carentia aures erigere, & conari ad videndum. Ergo qui non cognoſcunt ſe videre. Ergo dum vident, cognoſcunt ſe videre.

Argumēta ſoluuntur. Ad primum, ſecundum, & tertiū, quæ ſunt Ariſtotelis, concedimus ſenſum exteriorem particularem ſuam actionem cognoſcere. Nec valet exēplum oppugnantium, quod v.g. oculus ſe habet vt baculus, qui non cognoſcit tactū lapidis, ſed manus mouens baculum. Nam baculus res eſt inanimata, & non cognoſcitiua ſuæ operationis, oculus vero eſt potentia cognoſcitiua obiecti ſui.

Ad ſecundum negatur maior abſolute, ſi intelligatur ſub diuerſis rationibus formalibus, ſicut cognoſcitur operatio ſenſus exterioris, ab eodemmet ſenſu exteriori, & a ſenſu communi.

Ad tertium idem diximus.

Ad quartum reſpondent Ferrarienſis, & Bannes non eſſe ſenſum particularem qui redeat ad ſe, ſed communem, qui dicitur particularis, prout eſt aliquid eius. Sed hæc certe non eſt expoſitio, ſed extorſio verborum Sancti Doct. cum ibi aperte loquatur de ſenſu particulari, vt de oculo ſe vidēte, & iudicante ſuam actionem. Ideo

reſpon-

reſpondendum eſt vt ſupra, quod co gnoſcit ſuam actionem quoad an eſt.

Ad quintum negatur par ratio, quia intellectus eſt immaterialis, ſenſus vero eſt potentia organica, corporeo organo alligata, vnde non poteſt tantum ſe eleuare, ſicut facit intellectus.

Ad ſextum dicimus, quod in cognitione quidditatiua eſt neceſſaria ſpecies, ſed non in cognitione an eſt. Vel dicendum, quod ſpecies emiſſa ab obiecto non ſolum facit potentiam cognoſcere ſuum obiectum; verum etiam & propriam operationem.

Septimum admittimus quoad an eſt.

QVAESTIO Vndecima.

Senſus & ſenſibile ſimul generantur relatiue. Secunda difficultas a Philoſopho propoſita fuit. Vtrum ſenſibile, & ſenſus ſimul generentur, & corrumpantur. Huic quæſtioni duplici fundamento occurrimus. Primum eſt, quod ſenſibile, & ſenſus dupliciter cõſiderari poſſunt. Primo vt res ſunt, ſcilicet vt ſenſus eſt quædam potentia, ſeu qualitas, & ſenſibile ſubſtantia, vel accidens, & ſic nec ſimul generantur, nec ſimul corrumpuntur. Secundo vt ſunt relatiua ſecundum dici, ſcilicet vt ſenſibile eſt aliquo ſen ſu ſenſibile, & ſenſus eſt alicuius ſenſibilis ſenſus, & ſic concipiuntur ſimul generari, & corrumpi.

Vt in actu ſumũtur. Secundum fundamentũ eſt. Quod ſenſus, & ſenſibile dupliciter ſumi poſſunt. Primo in actu, vt ſenſibile actu ſentitur, & ſenſus actu ſentit. Secũdo in potentia, vt ſenſus poteſt ſentire, & ſenſibile ſentiri. Primo modo ſimul generantur, & corrumpuntur, quia ſenſibile in actu non dicitur, niſi dum actu ſentitur, & ſenſus in actu, niſi dum actu ſentit. Secundo autem modo minime. Aduertendum eſt autem, quod per ſenſibile in actu non intelligimus ſenſibile extra cauſam ſuam, & per ſenſibile in potentia ſenſibile in cauſa ſua, ſed per ſenſibile in actu intelligimus rem quæ actu ſentitur, conſideratam non in genere entium, ſed in genere ſenſibilium in actu.

QVAESTIO Duodecima.

Senſus lęditur ad delectationem improportionatio obiecto. Tertia difficultas eſt. Quomodo aliqua ſenſibilia lędant, & corrumpant ſenſum, & aliqua ei inferãt delectationem. Reſpõdet autem hoc prouenire, quia organum ſenſus in debita proportione qualitatum ſenſibilium conſiſtit. Dum igitur ſoluitur hęc proportio ex vehementia, & improportione alicuius ſenſibilis, lęditur organum ſenſus. At dum inter ſenſibile, & ſenſum ſaluatur proportio, delectatio ſubſequitur.

LECTIO Tertia.

S. D. 7.

Intentio Ariſt. in 3. de Anima. POſtquam Philoſophus de Anima ſenſitiua egit, modo intendit tractare de intellectiua. Primo ergo ait ſe velle inquirere de parte animę, ſcilicet de intellectu poſſibili, quo anima ſcit, & intelligit, agendo an ſit ſeparabilis ſecundum magnitudinem, ideſt ſecundum rem: ſeu ſecundum magnitudinem, ideſt definitionem. Duo autem dicit ſe velle inquirere. Primum quam differentiam habeat hæc anima cum alijs. Secundum quomodo intellectualis operatio compleatur.

Intelligere eſt quodã pati. In 2. vero, & 3. textu oſtendit intelligere habere aliquam ſimilitudinem cum ipſo pati, & hoc tripliciter. Primo, quia ſicut ſentire eſt cognoſcere, ita & intelligere. Secundo, quia ſicut ſenſus quandoque ſentit in actu, vt dum oculus videt, & quandoque in

poten-

potentia, vt dum non videt, ſed poteſt videre, ita intellectus quandoque intelligit in actu, & aliquando in potentia. Tertio, quia ſicut ſentire eſt quoddam pati, ita & intelligere, quia ſicut ſenſus recipiendo ſpecies ſenſibiles dictus eſt pati, ita intellectus recipiendo ſpecies intelligibiles pati dicitur, vnde in hoc ſicut ſenſus ſe habet ad ſenſibilia, ita intellectus ſe habet ad intelligibilia.

Intellectus eſt immixtus.

In textu vero 4. & 5. oſtendit quęnā ſit natura intellectus poſſibilis dicendo, quod non eſt aliquid corporeum, vel commixtum cum corporeis, ſed eſt immixtus, ideſt in pura potentia, non ad hoc vt imperet (vt dixit Anaxagoras) ſed ad hoc vt omnia cognoſcat, nam ſi cognitionem alicuius rei connaturalem haberet, non poſſet omnia cognoſcere, quia intus exiſtēs prohibet extraneum, nam dum oculus ſpecie albedinis actuatur, alios colores præter albedinem non percipit. Hinc ergo intellectus poſſibilis non habet vnam naturam determinatā, neque eſt aliquid eorum, quæ intelligit, ante ipſam intellectionem, ſed ſolum poſt, dum eſt informatus ſpecie rei cognitæ.

Nō habet organum.

In textu 6 probat intellectum non habere organum corporale tali ratione. Omne affixum organo corporali, a qualitatibus ſenſibilibus alteratur. Sed intellectus poſſibilis ab his non alteratur. Non enim fit calidus, vel frigidus. Ergo. Maior patet, quia organum alteratur ad alterationem corporis; vnde bene dixerunt illi, qui fecerunt animam eſſe locum ſpecierū, ideſt receptiuam ſpecierum. Sic enim dicitur locus per ſimilitudinem, quia ſicut loci eſt recipere, ita eſt intellectus, & non corporis recipere ſpecies intelligibiles, ideſt non eſt actio coniuncti, ſed partis animæ, ideſt intellectus poſſibilis.

In textu 7. ponit differentiam inter ſenſum, & intellectum, quia quamuis intellectus, & ſenſus dicantur pati recipiendo ſpecies, tamen alia, & alia eſt paſſio. Nam ſenſus quandoque per accidens patitur, paſſione corruptiua ab excellenti ſenſibili, vt viſus a ſole. At intellectus nec per ſe, nec per accidens patitur paſſione corruptiua, propter quod non eſt affixus organo corporali, ſicut eſt ſenſus. Secundo differunt, quia ſenſus efficitur impotens ad operationes proprias exercendas propter excellentiam obiecti, vnde auditus a magno ſono læditur, viſus ab ingenti luce, & odoratus a magno odorabili, At intellectus quanto magis intelligit maius intelligibile, tanto magis poteſt intelligere minus intelligibile.

Differt a ſenſu.

Anima hic conſideratur quo ad potentias.

Circa ſupradicta primum notandum eſt circa intentionem Ariſtotelis, quod anima bifariam conſiderari poteſt. Primo, vt eſt quædam eſſentia, & vt dat eſſe. Secundo, vt dicitur de aliqua eius parte poteſtatiua, ideſt de aliqua potentia, v.g. de intellectu. Et quia Ariſtoteles hic non intendit loqui de eſſentia animæ, ſed de eius potētia, ideſt de intellectu poſſibili, ideo non dixit in textu, de anima autem cognoſcente, ſed de parte animæ,

Sciendum eſt autem pro nunc ſuperficialiter, quod duplex eſt intellectus. Primus dicitur agens, faciens potentia intelligibilia, actu intelligibilia. Secundus dicitur poſſibilis, recipiens ſpecies ei demandatas ab intellectu agente purificatas. Hic autem intellectus poſſibilis tripliciter conſiderari poteſt. Primo ſecundum ſe, vt nondum aliquam ſpeciem intelligibilem recepit, & ita dicitur pura potentia in genere intelligibilium, & tanquam tabula raſa, in qua nihil eſt pictum. Secundo, ſecundum quod eſt actuatus ſpecie intelligibili, non tamē actu conſiderat, & ſic vocatur intellectus in habitu. Tertio, ſecūdum quod

actu intelligit, & ſic vocatur intellectus in actu, & de intellectu his tribus modis agendum erit.

Scit & intelligit. Secundo notandum, quod Philoſophus hic duo tribuit animæ, ſcilicet intelligere & ſcire. Per intelligere annuendo primam intellectus operationem, ideſt ſimplicem rei apprehenſionem. Per ſcire ſignificando ſecundam, & tertiam operationem intellectus, ſcilicet compoſitionem, diuiſionem, & diſcurſum, vnde inquiebat in 1. Poſt. quod intelligere eſt principiorum, quia ſimplici apprehenſione apprehenduntur, ſcire vero eſt concluſionum, quia per diſcurſum ex principijs deducuntur.

Eſt ſeparabilis. Tertio notandum, quod Philoſophus hic quædam præmittit de anima, & q̃dam inquiret. Præmittit an hæc pars ſit ſeparabilis ab alia parte, & ſoluit infra dum ait, intellectum non eſſe corporis partem, ſeu actum, vnde deducitur, quod non diſtinguitur ab alijs partibus poſitiue, ideſt per aliquam magnitudinem, ſed negatiue, ideſt per non eſſe in aliqua magnitudine. Duo autem infra inquiret.

Patitur perfectiue Quarto notandum circa textum ſecundum, & tertium, in quibus Philoſophus aſſimilat intellectum cum ſenſu in pati, quod quamuis intellectus ſicut, & ſenſus in recipiendo ſpecies dicatur pati, tamen paſſio ſenſus per accidens poteſt eſſe corruptiua, vt quando habet improportionem cũ ſuo obiecto, ſed paſſio intellectus dicitur ſemper paſſio perfectiua. Si quis autem inſtet, quod per accidens etiã patiatur intellectus dum patitur ſenſus, quia intellectus non intelligit niſi per ſenſum. Reſpondetur, quod ly per accidens duobus modis ſumitur. Primo vt idem eſt, quod ab aliquo extrinſeco corrumpi, & ſic intellectus neque per ſe, neque per accidens patitur paſſione corruptiua, cum ſit extra magnitudinem, neque ſit alligatus organo corporeo, vt eſt ſenſus. Secundo vt idem eſt, quod per aliud pati, quia aliud cui coniungitur, patitur, & ſic intellectus patitur, dum ſenſus patitur, non quod ipſe patiatur, ſed quia ſenſus patitur, cui coniungitur.

Empedoclis opinio de intellectu. Quinto notandum circa textum quartum, & quintum, Empedoclem dixiſſe intellectum eſſe mixtũ ex omnibus rebus, ad hoc vt omnes res cognoſceret, quia nihil cognoſcitur, niſi ex ſuo ſimili. At Anaxagoras tenuit intellectum debere eſſe immixtum, ideſt non habere aliquam naturam determinatam, ad hoc vt omnibus imperet, quia ſi haberet naturam determinatam, non omnibus imperaret. Ariſtoteles ergo Anaxagoræ opinionem approbat, ſed cauſam reprobat, adducendo pro ratione, quod ſi non eſſet immixtus, non omnia cognoſceret, quia intus exiſtens prohibet extraneum. Vult igitur concludere intellectum poſſibilem eſſe puram potentiam in genere intelligibilium, ad hoc vt poſſit omnia cognoſcere. Addit, quod loquitur de intellectu quo anima intelligit, & ſcit, ad hoc vt intelligamus ipſum non loqui de diuino intellectu, qui eſt immixtus, ad hoc vt imperet, ſicut voluit inferre Anaxagoras.

QVAESTIO XIII.

Circa ſupradicta vero primo dubitatur circa ſimilitudinem intellectus, & ſenſus, quia Philoſophus debebat eam explicare, ne accideret error, & non generaliter dicere intelligere eſt ſicut ſentire.

QVAESTIO XIV.

Secundo dubitatur circa hanc propoſitionem. Intus exiſtens, prohibet extraneum, & obſtruit. Non enim

enim videtur vera. Primo, quia comperimus oculum videre albedinem, vel nigredinem, percipere colorem, & qualitatem, & tamen non eſt denudatus ab illa qualitate.

Secundo. Senſus tactus qualitates tangibiles percipit, videlicet calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, & tamen ipſe aliqualiter eſt frigidus, vel calidus.

Tertio. Quia hoc eſt commune omnibus naturis, etiam non cognoſcitiuis. Nam omne recipiens, non habet id quod actu recipit, ſed ab eo denudatum eſt.

Ad primum dubium diximus ſupra, quomodo intellectus, & ſenſus dicantur aſſimilari, & differre in pati, ex mente Philoſophi.

Intellect⁹ eſt in potentia ad intelligibilia.

Pro deciſione vero ſecundi dubij. Primo notandum venit, quod potentia, & determinatur, & cognoſcitur p actum. Ideo ſi aliqua potentia poteſt aliquo actu determinari, dicimus illã potentiam habere ordinem ad illum actum, & ſi non eſt determinabilis per illum actum, affirmamus non habere ordinem ad illum, v.g. quia albedo nigredinem non determinat, ideo non dicimus nigredinem eſſe potentiam albedinis: ſed quia diaphanum eſt ſuſceptiuum luminis, propterea dicimus lumen eſſe actum diaphani, & quia intellectus eſt determinabilis quocunque intelligibili, ideo dicimus eum eſſe in potentia ad omnia intelligibilia.

Recipiens debet eſſe, denudatũ a natura recepti.

Secundo notandum, quod recipiẽs debeat eſſe denudatum a natura recepti, dupliciter intelligi poteſt. Primo, quod debeat eſſe denudatum ab omni, & quocunque receptibili, ſiue per ſe, ſiue per accidens. Secundo, quod ſit denudatum a natura primi, & per ſe primo receptibilis, ideſt a natura ſui primi obiecti. Primum non intellexit Philoſophus. Patet enim oculum non eſſe denudatum ab aliqua qualitate coloris, & tamen percipit omnes qualitates coloris. Sed hoc accidit oculo vt corpus eſt, & nõ ei conuenit, vt potentia cognoſcitiua eſt. Secundus ergo ſenſus verus eſt, & intentus; nam neceſſe eſt, quod oculus ſit denudatus a colore, auditus a ſono, olfactus ad odorabili, & intellectus ab intelligibili, ſi volunt ea percipere vt ſua obiecta propria, & adęquata, & a potentia, per ſe primum inſpecta.

Eo modo quo illud recipit.

Tertio notandum, quod hæc propoſitio duobus modis poteſt intelligi. Primo vniuerſaliter, & vt iacet, & ſic de omnib. receptiuis verificatur, nihil enim recipit, quod iam habet. Secundo tali modo, ideſt pro natura recipientis, & ſic de omnibus verificatur, ſed diuerſimode: nam oculus ſi debet videre colorem, oportet vt ſit denudatus a natura coloris, ſed non a natura alterius qualitatis. Et ita intellectus ſi debet recipere omnia intelligibilia, debet eſſe denudatus ab eis. Vel dicendum, quod recipiens vt eſt in potentia ad ſuum receptiuum proprium, debet ab eo eſſe denudatum, ſed prout eſt in potentia ſeruando ſẽper proportionem.

Ad primum dictum eſt in ſecundo notabili.

Argumenta ſoluuntur.

Ad ſecundum dicendum, quod ſẽſus tactus ſit denudatus a qualitatib. tangibilibus poteſt dupliciter intelligi. Primo vt recedunt a medio, & ſic verum eſt. Secundo abſolute, & hoc eſt falſum. Vnde recipiens non debet eſſe denudatum a natura recepti abſolute, & ſimpliciter, ſed a modo quẽ recipit, v.g. manus poteſt eſſe calida in duobus gradibus, & recipere tertiũ gradum caliditatis, quia ab eo eſt denudata.

Ad tertium diximus in tertio notabili.

LECTIO Quarta.

QVAESTIO XV.

Vtrum intellectus poſſibilis ſit pura potentia.

Videtur quod ſic. Nam quod eſt ratio recipiendi omnem entitatem, debet eſſe denudatum ab omni entitate, ſecundum Philoſophum vt ſupra. Sed intellectus eſt ratio recipiendi omnem entitatem, vt infra declarabitur. Ergo.

Secundo. Intellectus, & ſenſus differunt. At ſi intellectus non eſſet in pura potentia ad omnia intelligibilia, nō differeta ſenſu. Patet. Quia ēt ſenſus ſunt in potentia ad ſenſibilia.

Sed Contra. Intellectus intelligit ſeipſum, & tñ non eſt in potētia ad ſe ipſū. Ergo intellectus erit ens in actu.

Quarto. Arguitur contra illam propoſitionem aſſignatam a Philoſopho pro cauſa cur intellectus ſit in potentia, quia ſcilicet recipiens debet eſſe denudatum a natura recepti. Nā vnus Angelus recipit ſpeciem ſimilē alterius Angeli, & vna anima alterius animę Igitur intellectus pōt eſſe illius naturæ, cuius ſpeciem recipit.

Quinto. Senſus communis recipit ſpecies omnium ſenſuum, & tamen non eſt potētia in genere ſenſibilium. Ergo.

Sexto. Sic cogitatiua remanebit incognita. Nam non cognoſcitur a ſeipſa, cum ſit indiuidua, & ſenſibilis, & non ab his denudata. Non cognoſcitur ab intellectu, quia intellectus non cognoſcit ſingularia, ſed vniuerſalia.

Septimo. Sic intellectus non cognoſceret immaterialia, & ſpiritualia. Nam ab his non eſt denudatus, cum ſit naturæ ſpiritualis, & immaterialis.

Octauo loco arguitur, quod intellectus ſit affixus organo corporali. Nam læſo organo corporeo, læditur etiam intellectus, prout patet in phreneticis, & delirantibus. Confirmatur, quia conſequentia Philoſophi non videtur recta, ſcilicet ſi intellectus eſt affixus organo corporali. Ergo erit calidus, vel frigidus. Nam potentia ſenſitiua dicitur affixa organo corporali, nec tamen dr̄ calida, vel frigida.

Pro enucleatione harum difficultatum ſe comitantium. Primo ponemus aliqua fundamenta neceſſaria ad eliciendam veritatem concluſionis principalis. Secundo ponemus ipſam concluſionem, & eam probabimus. Tertio faciemus ſatis argumentis.

Quoad primum ergo, primo notandum venit, quod circa hanc difficultatem ſunt plures opiniones. Prima igitur fuit Alexandri ſuſtinentis intellectū poſſibilem non eſſe niſi quandam virtutem animæ, arte, & exercitio acquiſitam, & cum ſpecie intelligibili aduenientem. Quapropter ſecundum eum intellectus poſſibilis eſt pura potentia, non ſolum in genere intelligibilium materialium, & immaterialium, verum etiam in genere entium. Alij vero ſunt in ſententia, quod ſecundum ſe ſit in actu, ſed cōparatus ad ſpecies intelligibiles in potentia. Quod verum eſt, ſi dicamus intellectum in genere entium eſſe in actu, cum ſit realis, & actualis potentia animæ, at in genere intelligibiliū dicatur in potentia, quia hoc non habet a ſua natura, ſed acquirit per ſpecies vt explicant Thomiſtæ. *Opiniones.*

Secundo notandum ergo, quod intellectus ſit pura potentia bifariam poteſt intelligi. Prima in genere entium, ideſt ſit de genere potentialiū, vt eſt prima materia, & non entium actualium, inter quæ ſunt potentiæ actiuæ. Secundo in genere intelligibilium, ideſt in ordine ad intelligibilia, *Intellect' eſt pura potentia in genere intelligibilium.*

lia, quoniam non eſt his informatus a natura, ſed per ſpecies informatur. Primo modo intellectus non eſt pura potentia, cum ſit immaterialis, & ſpiritualis, quæ ſunt maxime in actu, & quia eſt vera pars animæ, & potentia actiua. Secundo ergo modo dicitur pura potentia, ſcilicet in genere intelligibilium, quia ſe habet tanquam tabula raſa, in qua nihil eſt pictum, vnde ſicut materia conſtituitur in actu per formam in genere entium, ita intellectus conſtituitur in actu per ſpeciem intelligibilem in genere intelligibilium.

Tertio tamē notandum, quod hęc propoſitio. Intellectus eſt pura potentia in ordine intelligibilium, poteſt habere duplicem ſenſum. Primus, vt ly pura potentia genus determinet, & ſit ſenſus. Intellectus continetur ſub genere intelligibilium, non vt ens in actu, ſed in potentia, ſicut etiam ſolemus dicere, quod materia prima eſt pura potentia in genere entium. Secundus vt ly in genere intelligibilium ſit conditio modificatiua, & diminutiua, ly in pura potentia, vt ſit ſenſus. Quamuis intellectus in genere entiū ſit in actu, attamē, vt conſideratur in genere intelligibilium non dicitur eſſe in actu intelligibilia, ſed in potentia ad ipſa, & hic ſenſus eſt verus, & intētus a Philoſopho, & non primus.

Quomodo

Quarto inſuper notandum, quod intellectus ſit in potentia ad intelligibilia ſtat dupliciter. Primo in ordine ad formas intelligibiles, ideſt ſpecies, quia eas connaturales non habet. Secundo in ordine ad actum intelligendi, & ſic vtroque modo dicitur eſſe in potentia, quia nec habet ſpecies intelligibiles coęuas, vt habēt Angeli, nec actum intelligendi ſine ſpecie congenitum.

In ordine ad ſpecies, et ad actū intelligendi.

Quinto vlterius notandum eſt, nobiliores expoſitores in hoc conuenire, quod intellectus de ſe nullam habeat ſpeciem intelligibilem, poteſt dupliciter intelligi. Primo in ordine ad ſuum obiectum materiale, vt ſit ſenſus. Intellectus eſt in potentia ad omnem ſpeciem rerum materialium. Secundo abſolute, ideſt etiam in ordine ad res immateriales. Modo ſubinferunt, intellectum ſolum eſſe in potentia primo modo, non autem ſecundo modo, quia ipſe eſt actus intelligibilis ſaltem a ſubſtantiis ſeparatis. Sed hi videntur æquiuocare, dum tranſeunt de genere entium, ad genus intelligibilium. Dato enim quod intellectus vt res immaterialis ſit intelligibilis, non tamen actu intelligitur, niſi per ſpeciem conſtituentem intellectum in actu, vel eum ſupponentem conſtitutum in actu. Eſt igitur intellectus poſſibilis actus intelligibilis, ſed non cadit ſub cognitione, niſi per ſpeciem, quæ comparata intellectui ſe habet vt eius forma, & actus.

Explicatur quomodo.

Quo ad ſecundum concluſio eſt. Intellectus poſſibilis ante receptionē ſpecierum intelligibilium, materialium, & immaterialium eſt in pura potentia. Probatur. Recipiens prout recipiens eſt, ſe habet in potentia ad receptum. Sed intellectus poſſibilis, intelligat materialia, vel immaterialia, ſiue etiam ſeipſum, recipit cognitionem. Igitur erit in potentia. Maior patet, quia receptio eſt perfectio recipientis. Minor conſtat re ipſa.

Concluſio probatur.

Ad primum, aliqui negant intellectum eſſe rationem recipiendi omnē entitatem, ſcilicet etiam immaterialem. Alij multa fingunt, Ego autem dico, quod intellectus, ſiue ratio recipiendi omnem entitatem bifariam intelligi poteſt. Primo quatenus entitas eſt. Secundo quatenus quoddam intelligibile eſt. Intellectus ergo eſt ratio recipiendi omnem entitatem, non vt entitas eſt, quia ſic oporteret quod etiam eſſet denudatus a ſe ipſo, ſed eſt ratio recipiendi omnem enti-

Argumēta ſoluuntur.

tita-

titatem vt intelligibilis eſt, & hoc modo ab omni intelligibili eſt denudatus, antequam illud intelligat.

Ad ſecundum primo reſpondetur eſſe differentiam inter ſenſum, & intellectum in recipiendo, quod ſenſus ſolum eſt in potentia ad recipiendum ſenſibilia immaterialia, at intellectus eſt in potentia ad recipiendum ſpecies ſenſibilium, & non ſenſibilium, materialium, & immaterialium. Secundo dicitur, quod Philoſophus poſuit conuenientiam inter ſenſum, & intellectum, quod vterque recipiendo ſpecies ſuas patitur, ſed dixit, in hoc differre, quod excellens ſenſibile corrumpit ſenſum, excellens vero intelligibile confortat intellectum.

Ad tertium dicendum, quod & ſi intellectus, vt ens eſt, non ſit denudatus a ſe ipſo, vt tamen quoddam intelligibile eſt, a ſe ipſo eſt denudatus, vnde non ſemper ſe intelligit, nec ſemper intellexit.

Ad quartum Toletus multa dicit, quæ hic examinanda non ſunt. Veritas enim eſt, quod in Angelis non datur intellectus, nec agens, nec poſſibilis, quia habent ſpecies omnium rerũ ſibi congenitas, & coęuas, vnde non indigent intellectu agente, ſpecies eliciente ad hoc, vt per eas conſtituat intellectum poſſibilem in actu. Secundo dicitur, quod intellectus poteſt recipere ſpeciem ſibi ſimilem, immo & ſuæ naturæ, vt eſt ad eam in potentia in genere intelligibilium, nihil enim recipit quod iam habet.

Ad quintum dicendum, quod duæ ſunt differentię inter ſenſum communem recipientem, & intellectum. Prima, quod ſenſus communis immediate non recipit ſenſibilia, ſed per ſenſus particulares, vnde cæcus a natiuitate ignorabit naturam coloris, quia per viſum non eſt tranſmiſſa ſpecies eius ad ſenſum communem, intellectus vero immediate recipit omnes ſpecies intelligibiles, & ideo ab eis eſt denudatus. Secunda eſt, quod ſenſus communis nõ percipit ſenſibilia quo ad omnem gradum ſenſibilitatis, intellectus vero percipere põt omne intelligibile quoad oẽm gradũ intelligibilitatis, & ideo oportet illum eſſe denudatũ ab omni eius gradu. Scdo dr, quod ſenſus communis eo modo, quo recipit ſenſibilia, eſt ab eis denudatus, & ita ꝓportionaliter intellectus.

Ad ſextum dicendum, quod cogitatiua cognoſcitur ab intellectu. Et cum arguitur, quod eſt ſingularis. Reſpondetur primo, quod & ſi ſit ſingularis vt talis, vel talis eſt, vniuerſalis tamen eſt prout ſub communi ratione intelligitur. Secundo dicitur, quod & ſi cogitatiua ſecundum ſe conſiderata, directe non ſit intelligibilis, tamen prout continuatur cum intellectu, ex ſua ſpiritualitate intelligibilis efficitur, nam ſic quodammodo efficitur per continuationem vniuerſalis & immaterialis. Non repugnat autẽ intellectui cognoſcere ſingulare immateriale, vel participans de immaterialitate, vt eam participat.

Ad ſeptimum dictum eſt, quod intellectus ſit immaterialior in genere intelligibilium, quam ſit ipſemet, vel quæcunque alia res immaterialis conſiderata in genere entium.

Ad octauum dicitur, quod intellectus ſecundum ſe non læditur, cum ſemper remaneat in eadem diſpoſitione. Læditur ergo in alio, ſcilicet in ſenſibus, quorum auxilio vtitur pro hoc ſtatu, vnde ſicut cor remanens in ſua naturali diſpoſitione non poteſt operari per manum ſi lædatur, ita intellectus, & ſi ſemper remaneat in eadem diſpoſitione, non tamen ſemper eodem modo operatur, cum deficiãt eius miniſtri, ideſt ſenſus.

Ad ſecundum dicendum, quod ſẽſus, vt ſenſus, neque eſt calidus, neque frigidus, ſed vt tantum eſt coniunctus

ctus cum organo facto calido, vel frigido, at intellectus cum ſit ſeparatus a ſenſu, non poteſt per ſeipſum, vt in ſe eſt, alterari.

LECTIO V. & VI.

QVAESTIO XVI.

Vtrum intellectus vniatur homini vt forma.

Videtur quod neque anima, neq; intellectus ſint in corpore, vt forma, ſed tantum vt motor. Primo. Si intellectus vt potentia animæ informantis materiam eſſet in corpore, non poſſet intelligere ſe ipſum, neque formam materialem. Patet, quia ab his non eſſet denudatus, i. ſeparatus.

Secundo. Si intellectus eſſet in materia, eſſet extenſus. Hoc falſum. Ergo. Probatur maior. Nam ſic intellectus aut erit ſubiectum figuræ hominis, aut non. Si primum, cum omne ſubiectum figuræ ſit quantum, ergo & extenſum. Si ſecundum, nullum aſſignabitur, cum neque ſit materia, neque aliud compoſitum.

Tertio. Sic intellectus ſimul cum corpore moueretur, & quieſceret, dato quod vna pars corporis in quo eſſet, moueretur, & altera quieſceret. Sed hoc eſt inconueniens. Ergo.

Quarto. Si intellectus eſſet forma materialis, indiuidualiter reciperet, cum talis ſit conditio formæ materialis. At intellectus recipit vniuerſaliter. Ergo.

Quinto. Sic eſſet quoddam intellectum in potentia, nam forma materialis intelligibilis eſt in potentia. Sed hoc eſt inconueniens, quia res intellecta mouet intellectum poſſibilem, ſed intellectus poſſibilis non poteſt mouere ſe ipſum. Igitur non poterit eſſe forma intellecta.

Sexto. Sic ſequeretur, ꝙ manus intelligeret. Probo, quia ibi eſt aĩa tota, & totaliter. Ergo etiã cum intellectu.

Septimo. Omnes formæ naturales per Philoſophum educuntur de potentia materiæ. Sed intellectus non educitur de potentia materiæ, cum ſecundum eundem 2. de generat. veniat deforis, & ſit quid diuinum. Igit.

Octauo. Si intellectus cum anima vegetatiua, & ſenſitiua ſunt in vna eſſentia animæ eſſe dantis, ſequitur, quod etiam vegetatiua, & ſenſitiua deforis veniant. At hoc eſt inconueniẽs.

Nono. Philoſophus tex. 5. ſupra, dixit intellectum eſſe immixtum, & ſeparatum, nulliuſque corporis actum. Ergo non erit forma dans eſſe, ſeu actus corporis.

Decimo. Nulla potentia eſt abſtractior, & ſimplicior eſſentia animæ. Sed actio intellectus non eſt alicuius corporis actus. Ergo nec anima. Ergo erit ſubſtantia ſeparata.

Vndecimo. Quod habet per ſe eſſe non vnitur corpori vt forma, cũ ſit id ꝙ eſt, ſed intellectus habet per ſe eſſe, cum non dependeat a corpore. Ergo.

Duodecimo. Forma non remanet ſine propria materia. Sed intellectus remanet ſine corpore, cum ſit incorruptibilis. Ergo nõ erit forma corporis.

Tertiodecimo. Si intellectus eſſet vnitus materiæ vt forma, penderet ex diſpoſitionibus materiæ, nam forma non introducitur niſi in materia diſpoſita. Sed hoc eſt falſum, quia ſic eſſet corruptibilis, cum corrumperetur cum corruptione diſpoſitionum.

Quartodecimo. Illa vnio aut eſt ſubſtantia, aut accidens. Si ſubſtantia, ergo remota illa vnione corrumpitur anima. Si accidens inſeparabile, ſic etiam corrumperetur anima. Si ſeparabile, ergo eſt poſſibile, quod anima ſit in corpore, & ſic non erit vnita vt dãs ei eſſe inſeparabile.

Quintodecimo. Sic nunquam homo corrumperetur. Nam homo conſtat

LECTIO Secunda.

S. D. 2.

PHiloſophus a tex. 136. vſque ad 144. tres difficultates mouet, & ſoluit, quas modo in præſenti lectione & nos examinandas ſuſcipimus.

QVAESTIO Decima.

PRima eſt. Vtrū ſenſus exteriores ſint reflexiui ſuper ſe, & poſſint percipere ſuam ſenſationem. Videtur quod ſic, & primo arguitur rationibus Philoſophi. Si alio ſenſu præter viſum, v. g. perciperemus ſenſationē, idest viſionem, vel ille alius ſenſus ſuam ſenſationem percipit, vel alius ſenſus. Si alius, de eodem ſimiliter quæram, an percipiat ſuam ſenſationem, vel alius, & ſic in infinitum. Igitur deueniendum eſt ad aliquem ſenſum, qui ſuam percipiat ſenſationē.

Secundo. Vnum obiectum non poteſt a duobus ſenſibus percipi. Sed ſi ſenſus ſuam ſenſationem non cognoſceret, ſed alius, idem obiectum v. g. coloratum, & a viſu, & ab alio ſenſu cognoſceretur.

Tertio. Eiuſdem ſenſus viſus, eſt percipere colorem, & ſuam viſionē, nam viſus videt colorem, & cognoſcit ſe videre colorem.

Quarto S. D. de ver. quæſt. 1. art. 9. & quæſt. 16. art. 9. dicit, ſenſum redire ad ſuam eſſentiam, reditione quadā incompleta, & imperfecta, dū ſuam cognoſcit actionem, quia cognoſcit ſe ſentire, & loquitur non de ſenſu communi, ſed de ſenſu particulari, vt patet legenti.

Quinto. Sicut ſe habet intellectus ad intelligibilia, ita ſe habet ſenſus ad ſenſibilia. Sed intellectus percipit ſuā intellectionem, Ergo & ſenſus ſuam ſenſationem.

Sexto. Omnis cognitio per ſpeciē cauſatur. Sed non videtur quomodo a viſione, quæ eſt quædam operatio, poſſit emanare aliqua ſpecies perueniens vſque ad illum ſenſum cognoſcentem ſenſationem ſenſus exterioris, & particularis.

Septimo. Eiuſdem ſenſus eſt percipere viſionem lucis, & tenebrarum. Sed viſus percipit tenebras, ergo & lucem.

Quoniam hanc quæſtionem Philoſophus reliquit, vel videtur reliquiſſe irreſolutam, ideo circa eam multæ fuerunt opiniones. Philoponus itaque ſupra textū 136. duas reffert opiniones. Primam dicit Plutarchi tenentis ſenſationem ſenſuum exteriorum percipi ab opinatiua, ſiue exiſtimatiua, quæ eſt virtus organica, aliquo modo particeps rationis, & diſcurſiua circa ſingularia. Secundam facit ſibi propriam, dum ait, Quod datur quædam potentia ab ipſo attentatiua nuncupata, quæ eſt opus rationalis animæ, non alligata organo corporeo, & hanc fecit cognoſcitiuam ſenſationum, ſenſuum exteriorum particulariū. Tertia opinio fuit Simplicij dicentis, hoc opus eſſe ſenſus nō abſolute, ſed vt aliquid participat de ratione, vnde quia bruta & ſi habeat ſenſus, quoniam tamen in illis nō participant aliquid de ratione, ideo non poſſunt cognoſcere ſuam ſenſationē. Quarta opinio fuit Ianduni queſt. 13. Appollinaris quæſt. 37. Auerrois & Alberti. Hi omnes ſunt in ſententia, nullum ſenſum exteriorem ſuam cognoſcere ſenſationem, ſed hoc munus eſſe ſenſus communis, cognoſcentis ſenſationes omnium ſenſuum particularium, & ponentis diſcrimen inter ipſas. Quinta eſt Aegidij, & Gaetani Thienenſis, affirmantium ſenſus exteriores non percipere ſuam ſenſationem directe, producendo ſcilicet actū ad illam immediate terminatum, ſed

Opiniones.

indi-

indirecte, quia inſpiciendo ſuum obiectum, vt potentia viſiua coloratum; ſimul etiam cognoſcit hanc ſuā actionem, ideſt ſe videre coloratum. Cuius ſententię videtur etiam Dominus Caietanus Cardinalis hic. Vltima ſententia videtur Sancti Doct. duo ponentis in ſenſu exteriori. Primum eſt receptio, & immutatio organi facta ab exteriori ſenſibili. Secundum eſt iudicium de re percepta per organum, & iudicata, & hoc ſecundo modo aſſerit ſenſum cognoſcere, ideſt iudicare de ſua ſenſatione.

Senſus exteriores cognoſcunt ſuas ſenſationes. Secundo notandum, quod ſenſus exteriores dupliciter conſiderari poſſunt. Primo ſecundum ſe, & præciſe, v.g. vt viſus eſt viſus, & auditus auditus. Secundo ſecundum quod continuantur cum ſenſu communi. Si primo modo conſiderentur, dubitatio eſt, quoniam cognoſcere ſuam actionem, videtur eſſe opus potentiæ intellectiuæ, ſuper actum ſuum reflexiuę. Secundo autem modo res clarior eſt, quoniam cum ſenſus exteriores terminentur ad ſenſum communem tāquam ad centrum & ipſe ponat diſcrimen inter ſenſationes, oportet vt eas cognoſcat. Difficultas ergo in hoc ſtat. An ſenſus particularis ſentiat, & cognoſcat ſe ſentire.

Imperfecte. Tertio ergo dicendum venit, quod duplicem cognitionem poſſumus conſiderare in ſenſu. Prima dicitur quidditatiua, & perfecta, prout anima intellectiua cognoſcit ſe, & ſuum actū. Secunda dicitur imperfecta, & an eſt, quia potentia percipit ſe eſſe in actu circa ſuum obiectum, neſciendo tamen aſſignare quid, huius ſuæ operationis. Primo modo cenſeo, ſenſum non cognoſcere ſuam operationem, cum hoc ſit proprium potentiæ omnino immaterialis. At ſecundo modo teneo potentiam cognoſcere ſuam operationem, v.g. potentiam viſiuam ſe videre.

Concluſio probatur. Concluſio igitur ſit. Quamuis potentia ſenſitiua non cognoſcat quidditatiue ſuam actionem, reflectendo ſe ſupra ſuū actum, eam tñ cognoſcit imperfecte, & quo ad an eſt. Probat. Potētiæ ſenſitiuæ, ſunt cognoſcitiuæ non ſolum obiecti, cum hoc ſit cōe omnibus ſentientibus, ſed etiam operationis, cum cognoſcant ſe quandoque melius, & quandoque deterius ſentire, v.g. videre. Ergo cognoſcunt ſe eſſe in actu ſenſationis.

Secundo. Dum ſenſus tactus pungitur, mirum eſt dicere, quod ſenſus communis ſentiat dolorem, & non tactus, qui diuiditur.

Tertio. Videmus animalia oculis carentia aures erigere, & conari ad videndum. Ergo qui non cognoſcunt ſe videre. Ergo dum vident, cognoſcunt ſe videre.

Argumēta ſoluuntur. Ad primum, ſecundum, & tertiū, quæ ſunt Ariſtotelis, concedimus ſenſum exteriorem particularem ſuam actionem cognoſcere. Nec valet exēplum oppugnantium, quod v.g. oculus ſe habet vt baculus, qui non cognoſcit tactū lapidis, ſed manus mouens baculum. Nam baculus res eſt inanimata, & non cognoſcitiua ſuæ operationis, oculus vero eſt potentia cognoſcitiua obiecti ſui.

Ad ſecundum negatur maior abſolute, ſi intelligatur ſub diuerſis rationibus formalibus, ſicut cognoſcitur operatio ſenſus exterioris, ab eodem met ſenſu exteriori, & a ſenſu communi.

Ad tertium idem diximus.

Ad quartum reſpondent Ferrarienſis, & Bannes non eſſe ſenſum particularem qui redeat ad ſe, ſed communem, qui dicitur particularis, prout eſt aliquid eius. Sed hæc certe non eſt expoſitio, ſed extorſio verborum Sancti Doct. cum ibi aperte loquatur de ſenſu particulari, vt de oculo ſe vidēte, & iudicante ſuam actionem. Ideo

reſpon-

potentia, vt dum non videt, ſed poteſt videre, ita intellectus quandoque intelligit in actu, & aliquando in potentia. Tertio, quia ſicut ſentire eſt quoddam pati, ita & intelligere, quia ſicut ſenſus recipiendo ſpecies ſenſibiles dictus eſt pati, ita intellectus recipiendo ſpecies intelligibiles pati dicitur, vnde in hoc ſicut ſenſus ſe habet ad ſenſibilia, ita intellectus ſe habet ad intelligibilia.

Intellectꝰ eſt immixtus.

In textu vero 4. & 5. oſtendit quęnā ſit natura intellectus poſſibilis dicendo, quod non eſt aliquid corporeum, vel commixtum cum corporeis, ſed eſt immixtus, ideſt in pura potentia, non ad hoc vt imperet (vt dixit Anaxagoras) ſed ad hoc vt omnia cognoſcat, nam ſi cognitionem alicuius rei connaturalem haberet, non poſſet omnia cognoſcere, quia intus exiſtēs prohibet extraneum, nam dum oculus ſpecie albedinis actuatur, alios colores præter albedinem non percipit. Hinc ergo intellectus poſſibilis non habet vnam naturam determinatā, neque eſt aliquid eorum, quæ intelligit, ante ipſam intellectionem, ſed ſolum poſt, dum eſt informatus ſpecie rei cognitæ.

Nō habet organum.

In textu 6 probat intellectum non habere organum corporale tali ratione. Omne affixum organo corporali, a qualitatibus ſenſibilibus alteratur. Sed intellectus poſſibilis ab his non alteratur. Non enim fit calidus, vel frigidus. Ergo. Maior patet, quia organum alteratur ad alterationem corporis; vnde bene dixerunt illi, qui fecerunt animam eſſe locum ſpecierū, ideſt receptiuam ſpecierum. Sic enim dicitur locus per ſimilitudinem, quia ſicut loci eſt recipere, ita eſt intellectus, & non corporis recipere ſpecies intelligibiles, ideſt non eſt actio coniuncti, ſed partis animæ, ideſt intellectus poſſibilis.

Differt a ſenſu.

In textu 7. ponit differentiam inter ſenſum, & intellectum, quia quamuis intellectus, & ſenſus dicantur pati recipiendo ſpecies, tamen alia, & alia eſt paſſio. Nam ſenſus quandoque per accidens patitur, paſſione corruptiua ab excellenti ſenſibili, vt viſus a ſole. At intellectus nec per ſe, nec per accidens patitur paſſione corruptiua, propter. a quod non eſt affixus organo corporali, ſicut eſt ſenſus. Secundo differunt, quia ſenſus efficitur impotens ad operationes proprias exercendas propter excellentiam obiecti, vnde auditus a magno ſono læditur, viſus ab ingenti luce, & odoratus a magno odorabili, At intellectus quanto magis intelligit maius intelligibile, tanto magis poteſt intelligere minus intelligibile.

Anima hic conſideratur quo ad potentias.

Circa ſupradicta primum notandum eſt circa intentionem Ariſtotelis, quod anima bifariam conſiderari poteſt. Primo, vt eſt quædam eſſentia, & vt dat eſſe. Secundo, vt dicitur de aliqua eius parte poteſtatiua, ideſt de aliqua potentia, v.g. de intellectu. Et quia Ariſtoteles hic non intendit loqui de eſſentia animæ, ſed de eius potētia, ideſt de intellectu poſſibili, ideo non dixit in textu, de anima autem cognoſcente, ſed de parte animæ,

Sciendum eſt autem pro nunc ſuperficialiter, quod duplex eſt intellectus. Primus dicitur agens, faciens potentia intelligibilia, actu intelligibilia. Secundus dicitur poſſibilis, recipiens ſpecies ei demandatas ab intellectu agente purificatas. Hic autem intellectus poſſibilis tripliciter conſiderari poteſt. Primo ſecundum ſe, vt nondum aliquam ſpeciem intelligibilem recepit, & ita dicitur pura potentia in genere intelligibilium, & tanquam tabula raſa, in qua nihil eſt pictum. Secundo, ſecundum quod eſt actuatus ſpecie intelligibili, non tamē actu conſiderat, & ſic vocatur intellectus in habitu. Tertio, ſecūdum quod

actu intelligit, & ſic vocatur intellectus in actu, & de intellectu his tribus modis agendum erit.

Scit & intelligit.

Secundo notandum, quod Philoſophus hic duo tribuit animæ, ſcilicet intelligere & ſcire. Per intelligere annuendo primam intellectus operationem, ideſt ſimplicem rei apprehenſionem. Per ſcire ſignificando ſecundam, & tertiam operationem intellectus, ſcilicet compoſitionem, diuiſionem, & diſcurſum, vnde inquiebat in 1. Poſt. quod intelligere eſt principiorum, quia ſimplici apprehenſione apprehenduntur, ſcire vero eſt concluſionum, quia per diſcurſum ex principijs deducuntur.

Eſt ſeparabilis.

Tertio notandum, quod Philoſophus hic quædam præmittit de anima, & q̃dam inquiret. Præmittit an hæc pars ſit ſeparabilis ab alia parte, & ſoluit infra dum ait, intellectum non eſſe corporis partem, ſeu actum, vnde deducitur, quod non diſtinguitur ab alijs partibus poſitiue, ideſt per aliquam magnitudinem, ſed negatiue, ideſt per non eſſe in aliqua magnitudine. Duo autem infra inquiret.

Patitur perfectiue

Quarto notandum circa textum ſecundum, & tertium, in quibus Philoſophus aſſimilat intellectum cum ſenſu in pati, quod quamuis intellectus ſicut, & ſenſus in recipiendo ſpecies dicatur pati, tamen paſſio ſenſus per accidens poteſt eſſe corruptiua, vt quando habet improportionem cũ ſuo obiecto, ſed paſſio intellectus dicitur ſemper paſſio perfectiua. Si quis autem inſtet, quod per accidens etiã patiatur intellectus dum patitur ſenſus, quia intellectus non intelligit niſi per ſenſum. Reſpondetur, quod ly per accidens duobus modis ſumitur. Primo vt idem eſt, quod ab aliquo extrinſecò corrumpi, & ſic intellectus neque per ſe, neque per accidens patitur paſſione corruptiua, cum ſit extra magnitudinem, neque ſit alligatus organo corporeo, vt eſt ſenſus. Secundo vt idem eſt, quod per aliud pati, quia aliud cui coniungitur, patitur, & ſic intellectus patitur, dum ſenſus patitur, non quod ipſe patiatur, ſed quia ſenſus patitur, cui coniungitur.

Empedoclis opinio de intellectu.

Quinto notandum circa textum quartum, & quintum, Empedoclem dixiſſe intellectum eſſe mixtũ ex omnibus rebus, ad hoc vt omnes res cognoſceret, quia nihil cognoſcitur, niſi ex ſuo ſimili. At Anaxagoras tenuit intellectum debere eſſe immixtum, ideſt non habere aliquam naturam determinatam, ad hoc vt omnibus imperet, quia ſi haberet naturam determinatam, non omnibus imperaret. Ariſtoteles ergo Anaxagoræ opinionem approbat, ſed cauſam reprobat, adducendo pro ratione, quod ſi non eſſet immixtus, non omnia cognoſceret, quia intus exiſtens prohibet extraneum. Vult igitur concludere intellectum poſſibilem eſſe puram potentiam in genere intelligibilium, ad hoc vt poſſit omnia cognoſcere. Addit, quod loquitur de intellectu quo anima intelligit, & ſcit, ad hoc vt intelligamus ipſum non loqui de diuino intellectu, qui eſt immixtus, ad hoc vt imperet, ſicut voluit inferre Anaxagoras.

QVAESTIO XIII.

Circa ſupradicta vero primo dubitatur circa ſimilitudinem intellectus, & ſenſus, quia Philoſophus debebat eam explicare, ne accideret error, & non generaliter dicere intelligere eſt ſicut ſentire.

QVAESTIO XIV.

Secundo dubitatur circa hanc propoſitionem. Intus exiſtens, prohibet extraneum, & obſtruit. Non enim

enim videtur vera. Primo, quia comperimus oculum videre albedinem, vel nigredinem, percipere colorem, & qualitatem, & tamen non eſt denudatus ab illa qualitate.

Secundo. Senſus tactus qualitates tangibiles percipit, videlicet calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, & tamen ipſe aliqualiter eſt frigidus, vel calidus.

Tertio. Quia hoc eſt commune omnibus naturis, etiam non cognoſcitiuis. Nam omne recipiens, non habet id quod actu recipit, ſed ab eo denudatum eſt.

Ad primum dubium diximus ſupra, quomodo intellectus, & ſenſus dicantur aſſimilari, & differre in pati, ex mente Philoſophi.

Intellect⁹ eſt in potentia ad intelligibilia.

Pro deciſione vero ſecundi dubij. Primo notandum venit, quod potentia, & determinatur, & cognoſcitur p actum. Ideo ſi aliqua potentia poteſt aliquo actu determinari, dicimus illã potentiam habere ordinem ad illum actum, & ſi non eſt determinabilis per illum actum, affirmamus non habere ordinem ad illum, v.g. quia albedo nigredinem non determinat, ideo non dicimus nigredinem eſſe potentiam albedinis: ſed quia diaphanum eſt ſuſceptiuum luminis, propterea dicimus lumen eſſe actum diaphani, & quia intellectus eſt determinabilis quocunque intelligibili, ideo dicimus eum eſſe in potentia ad omnia intelligibilia.

Recipiens debet eſſe, denudatũ a natura recepti.

Secundo notandum, quod recipiẽs debeat eſſe denudatum a natura recepti, dupliciter intelligi poteſt. Primo, quod debeat eſſe denudatum ab omni, & quocunque receptibili, ſiue per ſe, ſiue per accidens. Secundo, quod ſit denudatum a natura primi, & per ſe primo receptibilis, ideſt a natura ſui primi obiecti. Primum non intellexit Philoſophus. Patet enim oculum non eſſe denudatum ab aliqua qualitate coloris, & tamen percipit omnes qualitates coloris. Sed hoc accidit oculo vt corpus eſt, & nõ ei conuenit, vt potentia cognoſcitiua eſt. Secundus ergo ſenſus verus eſt, & intentus; nam neceſſe eſt, quod oculus ſit denudatus a colore, auditus a ſono, olfactus ad odorabili, & intellectus ab intelligibili, ſi volunt ea percipere vt ſua obiecta propria, & adęquata, & a potentia, per ſe primum inſpecta.

Eo modo quo illud recipit.

Tertio notandum, quod hæc propoſitio duobus modis poteſt intelligi. Primo vniuerſaliter, & vt iacet, & ſic de omnib. receptiuis verificatur, nihil enim recipit, quod iam habet. Secundo tali modo, ideſt pro natura recipientis, & ſic de omnibus verificatur, ſed diuerſimode: nam oculus ſi debet videre colorem, oportet vt ſit denudatus a natura coloris, ſed non a natura alterius qualitatis. Et ita intellectus ſi debet recipere omnia intelligibilia, debet eſſe denudatus ab eis. Vel dicendum, quod recipiens vt eſt in potentia ad ſuum receptiuum proprium, debet ab eo eſſe denudatum, ſed prout eſt in potentia ſeruando ſẽper proportionem.

Ad primum dictum eſt in ſecundo notabili.

Argumenta ſoluuntur.

Ad ſecundum dicendum, quod ſẽſus tactus ſit denudatus a qualitatib. tangibilibus poteſt dupliciter intelligi. Primo vt recedunt a medio, & ſic verum eſt. Secundo abſolute, & hoc eſt falſum. Vnde recipiens non debet eſſe denudatum a natura recepti abſolute, & ſimpliciter, ſed a modo quẽ recipit, v.g. manus poteſt eſſe calida in duobus gradibus, & recipere tertiũ gradum caliditatis, quia ab eo eſt denudata.

Ad tertium diximus in tertio notabili.

LECTIO Quarta.

QVAESTIO XV.

Vtrum intellectus poſſibilis ſit pura potentia.

VIdetur quod ſic. Nam quod eſt ratio recipiendi omnem entitatem, debet eſſe denudatum ab omni entitate, ſecundum Philoſophum vt ſupra. Sed intellectus eſt ratio recipiendi omnen entitatem, vt infra declarabitur. Ergo.

Secundo. Intellectus, & ſenſus differunt. At ſi intellectus non eſſet in pura potentia ad omnia intelligibilia, nō differet a ſenſu. Patet. Quia ēt ſenſus ſunt in potentia ad ſenſibilia.

Sed Contra. Intellectus intelligit ſeipſum, & tñ non eſt in potētia ad ſe ipsū. Ergo intellectus erit ens in actu.

Quarto. Arguitur contra illam propoſitionem aſſignatam a Philoſopho pro cauſa cur intellectus ſit in potentia, quia ſcilicet recipiens debet eſſe denudatum a natura recepti. Nā vnus Angelus recipit ſpeciem ſimilē alterius Angeli, & vna anima alterius animę Igitur intellectus pōt eſſe illius naturæ, cuius ſpeciem recipit.

Quinto. Senſus communis recipit ſpecies omnium ſenſuum, & tamen non eſt potētia in genere ſenſibilium. Ergo.

Sexto. Sic cogitatiua remanebit incognita. Nam non cognoſcitur a ſeipſa, cum ſit indiuidua, & ſenſibilis, & non ab his denudata. Non cognoſcitur ab intellectu, quia intellectus non cognoſcit ſingularia, ſed vniuerſalia.

Septimo. Sic intellectus non cognoſceret immaterialia, & ſpiritualia. Nam ab his non eſt denudatus, cum ſit naturæ ſpiritualis, & immaterialis.

Octauo loco arguitur, quod intellectus ſit affixus organo corporali. Nam læſo organo corporeo, læditur etiam intellectus, prout patet in phreneticis, & delirantibus. Confirmatur, quia conſequentia Philoſophi non videtur recta, ſcilicet ſi intellectus eſt affixus organo corporali. Ergo erit calidus, vel frigidus. Nam potentia ſenſitiua dicitur affixa organo corporali, nec tamen dr̄ calida, vel frigida.

Pro enucleatione harum difficultatum ſe comitantium. Primo ponemus aliqua fundamenta neceſſaria ad eliciendam veritatem concluſionis principalis. Secundo ponemus ipſam concluſionem, & eam probabimus. Tertio faciemus ſatis argumentis.

Quoad primum ergo, primo notandum venit, quod circa hanc difficultatem ſunt plures opiniones. Prima igitur fuit Alexandri ſuſtinentis intellectū poſſibilem non eſſe niſi quandam virtutem animæ, arte, & exercitio acquiſitam, & cum ſpecie intelligibili aduenientem. Quapropter ſecundum eum intellectus poſſibilis eſt pura potentia, non ſolum in genere intelligibilium materialium, & immaterialium, verum etiam in genere entium. Alij vero ſunt in ſententia, quod ſecundum ſe ſit in actu, ſed cōparatus ad ſpecies intelligibiles in potentia. Quod verum eſt, ſi dicamus intellectum in genere entium eſſe in actu, cum ſit realis, & actualis potentia animæ, at in genere intelligibiliū dicatur in potentia, quia hoc non habet a ſua natura, ſed acquirit per ſpecies vt explicant Thomiſtæ. *Opiniones.*

Secundo notandum ergo, quod intellectus ſit pura potentia bifariam poteſt intelligi. Prima in genere entium, ideſt ſit de genere potentialiū, vt eſt prima materia, & non entium actualium, inter quæ ſunt potentiæ actiuæ. Secundo in genere intelligibilium, ideſt in ordine ad intelligibilia, *Intellect⁹ eſt pura potentia in genere intelligibilium.*

ſta, quoniam non eſt his informatus a natura, ſed per ſpecies informatur.. Primo modo intellectus non eſt pura potentia, cum ſit immaterialis, & ſpiritualis, quæ ſunt maxime in actu, & quia eſt vera pars animæ, & potentia actiua. Secundo ergo modo dicitur pura potentia, ſcilicet in genere intelligibilium, quia ſe habet tanquam tabula raſa, in qua nihil eſt pictum, vnde ſicut materia conſtituitur in actu per formam in genere entium, ita intellectus conſtituitur in actu per ſpeciem intelligibilem in genere intelligibilium.

Quomodo

Tertio tamẽ notandum, quod hęc propoſitio. Intellectus eſt pura potentia in ordine intelligibilium, poteſt habere duplicem ſenſum. Primus, vt ly pura potentia genus determinet, & ſit ſenſus. Intellectus continetur ſub genere intelligibilium, non vt ens in actu, ſed in potentia, ſicut etiam ſolemus dicere, quod materia prima eſt pura potentia in genere entium. Secundus vt ly in genere intelligibilium ſit conditio modificatiua, & diminutiua, ly in pura potentia, vt ſit ſenſus. Quamuis intellectus in genere entiũ ſit in actu, attamẽ, vt conſideratur in genere intelligibilium non dicitur eſſe in actu intelligibilia, ſed in potentia ad ipſa, & hic ſenſus eſt verus, & intẽtus a Philoſopho, & non primus.

In ordine ad ſpecies, et ad actũ intelligendi.

Quarto inſuper notandum, quod intellectus ſit in potentia ad intelligibilia ſtat dupliciter. Primo in ordine ad formas intelligibiles, ideſt ſpecies, quia eas connaturales non habet. Secundo in ordine ad actum intelligendi, & ſic vtroque modo dicitur eſſe in potentia, quia nec habet ſpecies intelligibiles coęuas, vt habẽt Angeli, nec actum intelligendi ſine ſpecie congenitum.

¶ Quinto vlterius notandum eſt, nobiliores expoſitores in hoc conuenire, quod intellectus de ſe nullam habeat ſpeciem intelligibilem, poteſt dupliciter intelligi. Primo in ordine ad ſuum obiectum materiale, vt ſit ſenſus. Intellectus eſt in potentia ad omnem ſpeciem rerum materialium. Secundo abſolute, ideſt etiam in ordine ad res immateriales. Modo ſubinferunt, intellectum ſolum eſſe in potentia primo modo, non autem ſecundo modo, quia ipſe eſt actus intelligibilis ſaltem a ſubſtantijs ſeparatis. Sed hi videntur æquiuocare, dum tranſeunt de genere entium, ad genus intelligibilium. Dato enim quod intellectus vt res immaterialis ſit intelligibilis, non tamen actu intelligitur, niſi per ſpeciem conſtituentem intellectum in actu, vel eum ſupponentem conſtitutum in actu. Eſt igitur intellectus poſſibilis actus intelligibilis, ſed non cadit ſub cognitione, niſi per ſpeciem, quæ comparata intellectui ſe habet vt eius forma, & actus.

Explicatur quomodo.

Concluſio probatur.

Quo ad ſecundum concluſio eſt. Intellectus poſſibilis ante receptionẽ ſpecierum intelligibilium, materialium, & immaterialium eſt in pura potentia. Probatur. Recipiens prout recipiens eſt, ſe habet in potentia ad receptum. Sed intellectus poſſibilis, intelligat materialia, vel immaterialia, ſiue etiam ſeipſum, recipit cognitionem. Igitur erit in potentia. Maior patet, quia receptio eſt perfectio recipientis. Minor conſtat re ipſa.

Argumẽta ſoluuntur.

Ad primum, aliqui negant intellectum eſſe rationem recipiendi omnẽ entitatem, ſcilicet etiam immaterialem. Alij multa fingunt, Ego autem dico, quod intellectus, ſiue ratio recipiendi omnem entitatem bifariam intelligi poteſt. Primo quatenus entitas eſt. Secundo quatenus quoddam intelligibile eſt. Intellectus ergo eſt ratio recipiendi omnem entitatem, non vt entitas eſt, quia ſic oporteret quod etiam eſſet denudatus a ſe ipſo, ſed eſt ratio recipiendi omnem entita-

titatem vt intelligibilis eſt, & hoc modo ab omni intelligibili eſt denudatus, antequam illud intelligat.

Ad ſecundum primo reſpondetur eſſe differentiam inter ſenſum, & intellectum in recipiendo, quod ſenſus ſolum eſt in potentia ad recipiendum ſenſibilia immaterialia, at intellectus eſt in potentia ad recipiendum ſpecies ſenſibilium, & non ſenſibilium, materialium, & immaterialium. Secundo dicitur, quod Philoſophus poſuit conuenientiam inter ſenſum, & intellectum, quod vterque recipiendo ſpecies ſuas patitur, ſed dixit, in hoc differre, quod excellens ſenſibile corrumpit ſenſum, excellens vero intelligibile confortat intellectum.

Ad tertium dicendum, quod & ſi intellectus, vt ens eſt, non ſit denudatus a ſe ipſo, vt tamen quoddam intelligibile eſt, a ſe ipſo eſt denudatus, vnde non ſemper ſe intelligit, nec ſemper intellexit.

Ad quartum Toletus multa dicit, quæ hic examinanda non ſunt. Veritas enim eſt, quod in Angelis non datur intellectus, nec agens, nec poſſibilis, quia habent ſpecies omnium rerũ ſibi congenitas, & coæuas, vnde non indigent intellectu agente, ſpecies eliciente ad hoc, vt per eas conſtituat intellectum poſſibilem in actu. Secundo dicitur, quod intellectus poteſt recipere ſpeciem ſibi ſimilem, immo & ſuæ naturæ, vt eſt ad eam in potentia in genere intelligibilium, nihil enim recipit quod iam habet.

Ad quintum dicendum, quod duæ ſunt differentię inter ſenſum communem recipientem, & intellectum. Prima, quod ſenſus communis immediate non recipit ſenſibilia, ſed per ſenſus particulares, vnde cæcus a natiuitate ignorabit naturam coloris, quia per viſum non eſt tranſmiſſa ſpecies eius ad ſenſum communem, intellectus vero immediate recipit omnes ſpecies intelligibiles, & ideo ab eis eſt denudatus. Secunda eſt, quod ſenſus communis nõ percipit ſenſibilia quo ad omnem gradum ſenſibilitatis, intellectus vero percipere põt omne intelligibile quoad oẽm gradũ intelligibilitatis, & ideo oportet illum eſſe denudatũ ab omni eius gradu. Scdo dr, quod ſenſus communis eo modo, quo recipit ſenſibilia, eſt ab eis denudatus, & ita ꝓportionaliter intellectus.

Ad ſextum dicendum, quod cogitatiua cognoſcitur ab intellectu. Et cum arguitur, quod eſt ſingularis. Reſpondetur primo, quod & ſi ſit ſingularis vt talis, vel talis eſt, vniuerſalis tamen eſt prout ſub communi ratione intelligitur. Secundo dicitur, quod & ſi cogitatiua ſecundum ſe conſiderata, directe non ſit intelligibilis, tamen prout continuatur cum intellectu, ex ſua ſpiritualitate intelligibilis efficitur, nam ſic quodammodo efficitur per continuationem vniuerſalis & immaterialis. Non repugnat autẽ intellectui cognoſcere ſingulare immateriale, vel participans de immaterialitate, vt eam participat.

Ad ſeptimum dictum eſt, quod intellectus ſit immaterialior in genere intelligibilium, quam ſit ipſemet, vel quæcunque alia res immaterialis conſiderata in genere entium.

Ad octauum dicitur, quod intellectus ſecundum ſe non læditur, cum ſemper remaneat in eadem diſpoſitione. Læditur ergo in alio, ſcilicet in ſenſibus, quorum auxilio vtitur pro hoc ſtatu, vnde ſicut cor remanens in ſua naturali diſpoſitione non poteſt operari per manum ſi lædatur, ita intellectus, & ſi ſemper remaneat in eadem diſpoſitione, non tamen ſemper eodem modo operatur, cum deficiãt eius miniſtri, ideſt ſenſus.

Ad ſecundum dicendum, quod ſẽſus, vt ſenſus, neque eſt calidus, neque frigidus, ſed vt tantum eſt coniunctus

ctus cum organo facto calido, vel frigido, at intellectus cum ſit ſeparatus a ſenſu, non poteſt per ſeipſum, vt in ſe eſt, alterari.

LECTIO V. & VI.

QVAESTIO XVI.

Vtrum intellectus vniatur homini vt forma.

VIdetur quod neque anima, neq; intellectus ſint in corpore, vt forma, ſed tantum vt motor. Primo. Si intellectus vt potentia animæ informantis materiam eſſet in corpore, non poſſet intelligere ſe ipſum, neque formam materialem. Patet, quia ab his non eſſet denudatus, i. ſeparatus.

Secundo. Si intellectus eſſet in materia, eſſet extenſus. Hoc falſum. Ergo. Probatur maior. Nam ſic intellectus aut erit ſubiectum figuræ hominis, aut non. Si primum, cum omne ſubiectum figuræ ſit quantum, ergo & extenſum. Si ſecundum, nullum aſſignabitur, cum neque ſit materia, neque aliud compoſitum.

Tertio. Sic intellectus ſimul cum corpore moueretur, & quieſceret, dato quod vna pars corporis in quo eſſet, moueretur, & altera quieſceret. Sed hoc eſt inconueniens. Ergo.

Quarto. Si intellectus eſſet forma materialis, indiuidualiter reciperet, cum talis ſit conditio formæ materialis. At intellectus recipit vniuerſaliter. Ergo.

Quinto. Sic eſſet quoddam intellectum in potentia, nam forma materialis intelligibilis eſt in potentia. Sed hoc eſt inconueniens, quia res intellecta mouet intellectum poſſibilem, ſed intellectus poſſibilis non poteſt mouere ſe ipſum. Igitur non poterit eſſe forma intellecta.

Sexto. Sic ſequeretur, ꝙ manus intelligeret. Probo, quia ibi eſt aīa tota, & totaliter. Ergo etiã cum intellectu.

Septimo. Omnes formæ naturales per Philoſophum educuntur de potentia materiæ. Sed intellectus non educitur de potentia materiæ, cum ſecundum eundem 2. de generat. veniat deforis, & ſit quid diuinum. Igit.

Octauo. Si intellectus cum anima vegetatiua, & ſenſitiua ſunt in vna eſſentia animæ eſſe dantis, ſequitur, quod etiam vegetatiua, & ſenſitiua de foris veniant. At hoc eſt inconueniẽs.

Nono. Philoſophus tex. 5. ſupra, dixit intellectum eſſe immixtum, & ſeparatum, nulliuſque corporis actum. Ergo non erit forma dans eſſe, ſeu actus corporis.

Decimo. Nulla potentia eſt abſtractior, & ſimplicior eſſentia animæ. Sed actio intellectus non eſt alicuius corporis actus. Ergo nec anima. Ergo erit ſubſtantia ſeparata.

Vndecimo. Quod habet per ſe eſſe non vnitur corpori vt forma, cũ ſit id ꝙ eſt, ſed intellectus habet per ſe eſſe, cum non dependeat a corpore. Ergo.

Duodecimo. Forma non remanet ſine propria materia. Sed intellectus remanet ſine corpore, cum ſit incorruptibilis. Ergo nõ erit forma corporis.

Tertiodecimo. Si intellectus eſſet vnitus materiæ vt forma, penderet ex diſpoſitionibus materiæ, nam forma non introducitur niſi in materia diſpoſita. Sed hoc eſt falſum, quia ſic eſſet corruptibilis, cum corrumperetur cum corruptione diſpoſitionum.

Quartodecimo. Illa vnio aut eſt ſubſtantia, aut accidens. Si ſubſtantia, ergo remota illa vnione corrumpitur anima. Si accidens inſeparabile, ſic etiam corrumperetur anima. Si ſeparabile, ergo eſt poſſibile, quod anima ſit in corpore, & ſic non erit vnita vt dãs ei eſſe inſeparabile.

Quintodecimo. Sic nunquam homo corrumperetur. Nam homo conſtat

ſtat ex forma, & materia, materia autem incorruptibilis eſt. Ergo ſi forma eſt etiã incorruptibilis, ſequitur quod homo nunquam corrumpatur.

Sextodecimo. Si anima eſt forma corporis. Ergo eius partes erunt organicæ. Hoc falſum. Ergo. Probo maiorem. Accidens non poteſt eſſe abſtractior ſubſtantia. Ergo nec intellectus anima. Anima autem organizat corpus.

Decimoſeptimo. Intellectus, & anima realiter idem ſunt, ſed intellectus non eſt forma corporis. Ergo nec anima.

Decimooctauo. Quamuis anima bouis vt ſubſtantia eſt, non depẽdeat a materia, tamen eſt in materia, vt forma materialis. Igitur a ſimili, quamuis intellectus non dependeat a materia, eſt tamen in materia ſicut & anima, At anima deforis venit, vt ſupra diximus ex Philoſopho 2. de gen. an. cap 3 Ergo quamuis anima & intellectus ſint in materia, non tamen ſunt in ea, vt in ea eſt forma.

Pro reſolutione quæſtionis. Primo ponemus aliqua fundamenta neceſſaria ad eius intelligentiam, & declarationem. Secundo improbabimus opinionem Auerrois, teſtimonijs Ariſtotelis. Tertio alijs rationibus. Vltimo diſſoluemus argumenta.

Opiniones. Quoad primum omiſſis multis opinionibus Philoſophorum antiquorũ de intellectu, ſolum pro nunc in medio propono duas opiniones. Prima eſt Thomiſtarum, & omnium Catholicorum, ſcilicet quod anima vnitur corpori, vt forma dans ei eſſe formale, & ſubſtantiale, & etiam operari. Alia eſt Auerroiſtarum, ſcilicet quod anima eſt ſubſtantia ſeparata, & non vnitur corpori vt forma, ſed vt motrix, nam vniri alicui ſtat dupliciter. Primo vt forma materiæ, ex qua vnione fit vnum per ſe ſubſtantiale. Secundo vt motor mobili, prout nauta vnitur naui, Catholici ſuſtinent animam vniri corpori primo modo, Auerroiſtæ vero ſecundo.

Explicatio opinionis Auerrois. Secundo ergo notandum, quod opinio Auerroiſtarum in his punctis conſiſtit. Primum, quod anima intellectiua in homine, vna eſt in omnib. hominibus, immortalis, & ſempiterna, quæ fuit ante omnem hominem, & poſt ſingulos remanet, vnde eis nõ vnitur vt forma informans, & diſtinguens, ſpeciem quæ dans, ſed tantum vt aſſiſtens. Secundum eſt, quod in ſingulis hominibus datur alia anima eſſentialis, per quam homo a cæteris diſtinguitur, quæ corpore corrupto, corrumpitur, & de potentia materiæ educitur, quæ ſingularia cognoſcit, & eſt ſenſitiua, & organica, & hæc anima cogitatiua nuncupatur. Tertium eſt, quod anima illa intellectiua ſeparata, per diuerſa phantaſmata diuerſis hominibus vnitur, vnde quamuis ſua natura ſit vna, tamen ab extrinſeco dicitur multiplex, ratione diuerſorum phantaſmatum, ex quibus diuerſis vnitur.

Intellectus eſt ſeparatus, id eſt non affixus organo corporali. Tertio ſciendum venit ad intelligentiam quæſtionis, & ad confutationem impiæ opinionis Auerrois, quod eſſe ſeparatum a corpore ſtat dupliciter. Primo abſolute, & ſimpliciter, quia id neque eſt in corpore, neque in eo operatur, & tanto magis non eſt affixum organo corporali. Secundo modaliter, videlicet, quia non eſt alicuius partis actus, neque eſt affixum organo corporali. Dum ergo Philoſophus dicit intellectum eſſe immixtum, & ſeparatum, non eſt intelligendus primo modo, (operatur enim in corpore, & eo indiget ad hoc vt intelligat, quia pro hoc ſtatu non intelligit niſi adminiculo ſenſuum.) Intelligitur ergo ſecũdo modo, quod ſit ſeparatus, quatenus non eſt actus corporis, neque organo corporali affixus, ſed eſt ſeparabilis a corpore.

Quar-

Anima eſt forma non imme rſa mate ria. Quarto notandum, quod formæ ſunt in duplici differentia. Quædam enim nō ſubſiſtunt per ſe, ſed per corpus, & in corpore, & hæ ſunt quæ de potentia materiæ educuntur, & ſunt immerſæ materiæ, vnde ſi ſeparētur, amplius formæ non ſunt. Aliæ vero ſunt formę per ſe ſubſiſtentes, quę nō indigent materia ad ſuum eſſe in facto eſſe, & ſi ea indigeant in fieri, qa anima indiuiduatur ex corpore, quare oportet quod creetur in corpore. Cum ergo anima intellectiua intelligere poſſit ſine corpore, poterit eſſe ſeparata a corpore, & eminere corpori, & dominari materiæ, vt nobiliſſima forma, operans ſine dependentia a corpore vt ab organo, & tamen erit in corpore, vt actus, & forma corporis.

Et ſeparata vt eſt intellectiua. Quinto igitur conſiderandū erit, quod duobus modis anima conſiderari poteſt. Primo vt anima, ſeu vt forma, ſeu vt eſt quædam eſſentia. Secundo vt eſt intellectiua, & quædam potentia animæ. Si primo modo conſideretur, eſt forma corporis. Si vero ſecundo modo, eſt ſeparata a corpore, neque ab eo pendet.

Et immaterialis. Sexto videndum venit, quomodo anima vt forma nō ſit ſeparata a corpore, & vt intellectiua vtique. Duo enim videntur huic poſitioni officere. Primum, quod cum anima idem ſit cum intellectu, ideo quod vni attribuitur; alteri non videtur negandum. Secundum eſt, quod ſic potentia animæ, ideſt intellectus, eſſet immaterialior ipſa eſſentia, ideſt ipſa anima. Notandum ergo venit, quod forma per ſe ſubſiſtens, quamuis in materia ſit, tamen materia totam eius capacitatem non recipit. Imaginandum eſt enim hoc eſſe diſcrimen inter formas eductas de potentia materiæ, & per ſe ſubſiſtentes, quod primę prius quam exiſtant, dant eſſe cōpoſito, formæ vero per ſe ſubſiſtētes prius intelliguntur habere eſſe in ſe, & deinde illud dare corpori, ſed corpus non recipere totum eſſe formæ. Hinc non eſt inconueniens, quod eadem anima vt forma corporis det ei eſſe formaliter, ſed vt ſeparata ratione intellectionis non ſit immerſa materiæ. Vel dicendum, quod duo ſunt ſpectanda in anima, ſcilicet ordo ad corpus, vt ei dat eſſe formale, & ordo ad proprium eſſe, prout eſt immaterialis, incorruptibilis, & intellectiua. Quamuis igitur ratione primi non intelligatur ſeparata a corpore, ratione tamen ſecundi apprehenditur vt ſeparabilis, & idem cum intellectu, & eodē modo immaterialis, non autem primo modo.

Et illimitata. Septimo tandem notandū venit, quod formæ ſunt in duplici differentia. Quædam enim dicuntur limitatæ, quia non habent eſſe niſi corporis, & in corpore. Aliæ vero nuncupātur illimitatæ, quia ſi aliquo modo determinentur ad corpus, tamen excedunt eius capacitatem, vnde etiam dicuntur formæ eminentes, habentes eſſe ſupra corpus, & talis forma eſt anima intellectiua, quæ ex ſua eminentia habet potentias corpori non cōmunicabiles, ſcilicet intellectum, & voluntatem.

Prima cō cluſio Ariſtotelica. Quo ad ſecundum ſit prima concluſio. De mente Ariſtotelis tenendū venit, animam intellectiuam vniri corpori vt forma, dans ei eſſe formale, & non vt ſubſtantia ſeparata. Probatur primo. Actus corporis, non eſt ſeparatus a corpore. Sed anima eſt actus corporis, vt patet ex eius definitione. Igitur erit forma dans eſſe corpori. Reſpondent Aduerſarij, Philoſophum eſſe locutum cōditionaliter, ſcilicet ſi aliquid eſt commune omni animæ, erit actus corporis. Sed contra. Primo, quia valet ſecundum Philoſophum, datur aliquid commune omni animæ. Ergo erit actus corpo-

ris. Antecedens patet. Quia Philoſophus ibi dixit ſe velle inquirere id quod erat commune omni animæ, ſcilicet eſſe actum corporis. Hoc enim omni animę conuenit. Secundo, quia expreſſe in ſubſequentibus probat animam eſſe actum corporis, quæ ei dat eſſe vt forma, & vt eius quod quid eſt.

Secundo. Per Ariſtotelem anima eſt quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus primo. Ergo ſi anima non ſolum mouemur, verum & ſumus, &c. dicendum eſt, quod ſit corporis forma. Reſpondent qui ſupra, quod viuere, ſentire, ſint ab anima, ſtat dupliciter. Primo tanquam a forma dante eſſe. Secundo tanquam a forma dante operationem viuendi, intelligendi, mouendi, & hoc ſecundo modo, & non primo dicunt aduerſarij Philoſophum eſſe locutum. Sed iſti videntur propriam vocem ignorare. Nam forma dans ſolū operationem, dat ſolum motum, & actū accidentalem. Sed anima ibi per Ariſtotelem nō ſolum dat operationem, ſed intelligere, ſentire, & viuere, quod viuentibus eſt eſſe. Ergo Ariſtoteles locutus eſt de anima vt dat eſſe.

Tertio. Pars animæ animantis eſſentialiter non eſt ſubſtantia ſeparata. Sed intellectus eſt pars animæ per Ariſtotelem ſupra tex. 1. Ergo.

Quarto. Ariſtoteles 12. diuin. ponens differentiam inter cauſas effectiuas, & formales ait, quod effectiuę poſſunt eſſe ante effectum, formales non, ſed ſimul ſunt cum effectu cui dāt eſſe, ſed quod nihil prohibet quaſdā formas remanere poſt, .i. mēs. Ecce quod Philoſophus affirmat mentem, .i. animam intellectiuam eſſe formā, & non efficientem, id eſt dans ſolum motum.

Secunda concluſio eſt. Secundum veritatem tenendum eſt, animam vniri corpori vt forma, vt etiam eſt intellectiua. Probatur primo. Id quo homo formaliter operatur, pertinet ad formam dantem eſſe formale. Sed intellectu homo formaliter operatur, id eſt intelligit. Ergo. Reſpondēt Aduerſarij ſufficere, quod intellectus vniatur corpori per phantaſmata, ad hoc vt dicatur intelligere. Sed contra arguo primo, Dum ſpecies latet in phātaſmatibus eſt tantum in potentia, ex quo homo ſic ſolum dicitur intelligēs in potentia. Ergo ad hoc vt dicatur intelligens in actu, neceſſe eſt quod intellectus vt pars animæ intellectiuę per receptam ſpeciem intelligat in actu. Secundo, quia ſic homo magis diceretur intelligi, quam intelligere. Probatur. Quia ſicut color viſus dum habet ſpeciem in oculo non dicitur videre, ſed videri, ita intellectus dum relucet in phantaſmate potius dicitur intelligi, quam intelligere.

Secundo. Ex anima & corpore fit vnum per ſe, Sed ex mouente, & moto non fit vnum per ſe, ſed tantum per accidens. Ergo anima non vnitur cum intellectu corpori tantum vt motrix.

Tertio. Operatio ſequitur eſſe. Si igitur anima dat intelligere formaliter. Ergo neceſſe eſt, quod prius dederit eſſe.

Quarto. Illud quo res formaliter, & eſſentialiter diſtinguitur, eſt illius forma, & actus, Sed homo per animā intellectiuam a cæteris animalibus, & entibus diſtinguitur. Ergo erit eius actus, & forma. Reſpondent, quod homo per intellectum diſtinguitur ab alijs, vt per principium intrinſece operans, ſed per cogitatiuam diſtinguitur eſſentialiter. Sed contra inſto. Primo. Per id homo a cæteris diſtinguitur, per quod in eſſe conſtituitur, & per quod alia in nobilitate ſuperat, Sed per intellectum .ſ. per animam intellectiuam in eſſe naturæ intellectualis conſtituitur, & omnia alia animalia

malia in nobilitate vincit. Ergo. Confirmatur, quia cogitatiua cum ſit virtus ſenſitiua, communis eſt hominibus, & animalibus. Secundo, quia pueri non habentes coniunctionem per phantaſmata cum intellectu, ſic non eſſent niſi beſtiæ, quia ſolum cogitatiuam habent, ſicut beſtiæ retinent. Si quis vberiores rationes circa hanc difficultatem videre cupit, legat S.D. 1. par. quæſt. 76. art. 1. Ferrarienſem hic, Toletum in 2. de anima quæſt. 10.

Argumenta ſoluuntur.

Ad primum dicitur, prout ſupra, quod & ſi anima in genere entium nō ſit denudata a ſe ipſa, in genere tamē intelligibilium debet eſſe denudata, ſi vult ſe intelligere.

Ad ſecundum dicendum, quod intellectus ſit extenſus, bifariam poteſt intelligi. Primo ſecundum ſe, ita vt extendatur ſecundum ſuam naturam ad extenſionem ſubiecti, in quo eſt. Et hoc eſt falſum, & ſecundum hunc ſenſum procedit argumentum. Secundo ſecundum aliud, quia ſcilicet eſt in ſubiecto extenſo, quamuis ſecundum ſe non ſit extenſus, & ſic intellectus poteſt dici impropriè, & per accidens extenſus.

Ad tertium primo dicitur, non eſſe inconueniens idem moueri, & quieſcere, non ſecundum idem, ſed ſecundum diuerſas partes. Secundo dicitur, quod motus, & quies propriè denotāt totum, & non partes, modo totum nō ſimul mouetur, & quieſcit.

Ad quartum dicendum, quod ſpecies recepta in intellectu dupliciter cōſiderari poteſt. Primo per accidens, ideſt in eſſendo, & ſic recipitur in intellectu indiuidualiter, i. vt eſt quædam qualitas. Secundo per ſe, ideſt in repræſentando, prout eſt inſtituta ad repræſentandum obiectum vniuerſaliter. Vnde negamus quod eo modo, quo concurrit vt ſpecies, dicatur indiuidualiter recipi.

Ad quintum dicendum, quod valet de his, quæ directe cognoſcuntur, modo intellectus non intelligit ſe ipſum, niſi reflexe, prout infra oſtendemus.

Ad ſextum dicendum, quod anima eſt tota in toto vt forma, ſed non vt operatiua, quia in diuerſis partib. habet diuerſas operationes. Secundo dicitur, quod intellectus eſt in anima, prout corpus excedit.

Ad ſeptimum diximus animam intellectiuam non eſſe eductam de potētia materię, ſed venire deforis, quia creatur a Deo.

Ad octauum dicendum, quod anima vegetatiua, & ſenſitiua dupliciter ſumi poſſunt. Primo ſeorſum, & ſecundum ſe, & ita educuntur de potentia materiæ. Secundo, vt trahuntur ad eſſe animæ intellectiuæ per virtualem continentiam, & ſic ſecundū eſſe retinent eius conditionem.

Ad nonum dicendum, quod omnes auctoritates Philoſophi, dum habet, intellectum eſſe immixtum, ſeparatum, non actum corporis. Intelligendæ veniunt per independentiam a corpore, tanquam ab organo corporeo, vt ſit ſenſus. Intellectus eſt naturæ ſpiritualis, & immixtus, i. non cōpoſitus ex corporeis, & eſt ſeparabilis, ideſt immortalis.

Ad decimum diximus ſupra, quod anima dupliciter conſiderari poteſt. Primo ſecundum ſe, & tunc habet eādem immaterialitatem vt eſt anima, & vt eſt intellectiua. Secundo ſecundum quod dicitur corporis forma, & ſic diximus intellectum eſſe abſtractiorem, quia ſecūdum hanc partem corpus excedit.

Ad vndecimum dicendum, quod maior eſt vera ſi tale eſſe non communicetur compoſito, modo eſſe animæ eſt eſſe compoſiti, quod non conuenit alijs formis, vnde ſunt corruptibiles, anima vero intellectiua non. Ita reſpondet

ſpondet S.D.1.par.quæſt.76.artic.1. Quæ reſponſio quatuor habet difficultates. Prima eſt, quomodo eſſe animæ intellectiuæ ſit eſſe compoſiti. Secunda, quomodo hoc non conueniat alijs formis. Tertia, quomodo propter hoc anima intellectiua ſit incorruptibilis. Et quarta, quomodo propter hoc aliæ formæ corrumpantur. Contra primum dictum inſtat Scotus in 4. diſt.45. quæſt.1. vt etiam in ſecundo dictum fuit.

Primo. Quęlibet res habet proprium eſſe, Sed compoſitum, & forma ſunt diuerſæ res. Ergo habent diuerſa eſſe.

Secundo. Per D.Thomam anima ſeparata habet ignobilius eſſe ſeipſa, vt eſt coniuncta. Ergo habet aliud, & aliud eſſe.

Tertio. Anima remanet ſeparata, & non remanet compoſitum. Quomodo ergo tunc eſſe animæ erit eſſe compoſiti ſi non eſt?

Contra ſecundum dictum ſtat, q̄ in quolibet compoſito v.g. in boue, & leone per S. D. non ſunt duo eſſe ſubſtantialia, ſed vnum. Ergo eſſe formæ eductæ de potentia materiæ eſt eſſe compoſiti etiam in his.

Contra tertium inſtat Scotus hoc ſuppoſito, quod eſſe compoſiti ſit eſſe formæ. Primo. Generatio eſt via ad eſſe compoſiti, & corruptio ad non eſſe compoſiti. Ergo ſicut generatur, & corrumpitur cōpoſitum, neceſſe eſt, q̄ anima generetur, & corrumpatur.

Secundo ait Scotus. Ante probabas, quod anima eſſet immortalis, quia eius eſſe ab ipſa ſeparari non poteſt. Ergo ſi hoc eſſe eſt ei, & compoſito commune, ſi ſeparatur a compoſito, neceſſe eſt etiam quod ab ea ſeparetur.

Contra quartum arguitur. Contrarietas eſt ratio corruptibilitatis, & non habere aliud eſſe a compoſito.

Pro reſolutione horum. Primo notandum venit, quod hic loquimur de eſſe exiſtentiæ, quod vt quo conuenit formæ, & vt quod compoſito ſubſiſtenti.

Secundo notandum, quod formæ geminæ ſunt. Nam quædam ſunt per ſe ſubſiſtentes, & independentes a materia. Quædam vero ſunt dependentes ab ea, quia non habent eſſe niſi in materia. Primæ dicunt quo, & q̄. Quod, quatenus ſunt independētes, & poſſunt eſſe ſine compoſito. Quo, quatenus dant eſſe compoſito, vel ei ſuum eſſe communicant, & talis forma eſt anima intellectiua. Aliæ vero ſunt ſolum quo, ſed non quod, quia ex ſe non poſſunt habere eſſe, vnde oportet vt in ſubiecto ſuſtententur, & tales ſunt omnes formæ eductæ de potentia materiæ.

Tertio notandum, quod formæ independentes ſunt in duplici genere. Quædam enim non poſſunt alijs eſſe rationes eſſendi, vt Angeli, qui non poſſunt vniri corporibus, vt formæ. Quædam vero ſunt alijs rationes eſſendi, vt eſt anima intellectiua, & hæc tria habet. Primum, quod ſit forma. Secundum, quod ſit independens. Tertium, quod ſit ratio eſſendi compoſito. Quatenus ergo forma eſt, eſſe ab ea ſeparari non poteſt. Vt independens habet, quod poſſit per ſe eſse. Et vt ratio eſsendi compoſito, quod ſuum eſſe compoſito cōmunicet. Itē ex primo habet, q̄ ſit quo, ex ſcdo, quod ſit quod, & ex tertio quod ſit pars compoſiti. Item ex primo conuenit cum omnibus formis, ex ſecūdo cum intelligentijs, & ex tertio cum formis materialibus. His ſtantibus.

Ad primum reſpondetur, quod proprium dupliciter ſumitur. Primo, vt diſtinguitur contra cōmune. Secundo, vt diſtinguitur contra extraneū. Hoc autem ſecundo modo quęlibet res habet proprium eſſe, id eſt non extraneum, ſed non primo modo, quia compoſitum, & forma habent

vnum

vnum eſſe commune.

Ad ſecundum dicitur, quod anima quo ad eſſe habet eandem nobilitatẽ, vt coniuncta, & vt ſeparata, ſed non quo ad eundem modum eſſendi, quia coniuncta habet eſſe completum, & communicat ſuum eſſe formaliter, quod arguit perfectionem. Et per hoc patet ad tertium, ſ. quod vnum eſt eſſe, quamuis ſit diuerſus modus eſſendi.

Ad tertium dicendum, quod quãuis anima, & compoſitum habeant vnum eſſe, hoc tamen eſſe, ei intelligitur communicatum a forma, quæ ſi eſt quo, & quod, poteſt ſeparari a corpore, non vero ſi ſolum ſit quo, vt ſupra.

Ad ea quę fiebant contra ſecundũ, & quartum dictum dicendum, quod forma in materialibus & corruptibilibus habeat diuerſum eſſe, & ideo oriatur corruptio bifariam poteſt intelligi. Primo, vt per eſſe intelligamus diuerſitatem realem eſſendi in eſſe reali, & ſecundum hunc ſenſum non intentum procedit argumentum. Secundo, vt ſint diuerſæ rationes vel modi eſſendi. Et hoc eſt verum, quia forma independens ſe habet, vt quod ideo poteſt per ſe eſſe, aliæ vero non, quia ſolum ſe tenent vt quo.

Ad ea quæ fiebant contra tertium dictum dicimus, quod quamuis habeant idem eſſe, tamen eſſe compoſiti eſt eſſe cõmunicatum, & ideo poteſt generari, non ſic forma.

Ad ſecundum dicitur, quod eſſe proprium inſeparabile arguit incorruptibilitatem, non autem eſſe communicatum, vnde eſſe proprium eſt ſemper inſeparabile a formis, ſed eſſe communicatum eſt ſeparabile per ſubtractionem communicantis, & ideo anima intellectiua eſt incorruptibilis, quamuis compoſitum ſit corruptibile.

Ad vltimum dicitur, quod habere contrarium prouenit ex defectu non habendi eſſe permanens.

Ad duodecimum principale dicendum primo, quod valet de forma dependenti, quæ ſolum ſe habet vt quo. Anima autem rationalis independẽs eſt, & ſe habet vt quod, & ideo intelligitur prius eſſe, quam dare eſſe compoſito. Secundo dicitur, quod forma non remanet ſine propria materia, vel ſine inclinatione ad propriam materiam, vnde quamuis anima intellectiua ſine materia remaneat, id eſt ſine compoſito, non tamen remanet ſine inclinatione, & ordine ad propriam materiam, i. ad corpus.

Ad tertiumdecimum dicendum, ꝙ pendere ex diſpoſitionibus materiæ ſtat dupliciter. Primo totaliter, & quo ad omnes operationes, & eſſe, & tale corrumpitur, materia corrupta. Secũdo non totaliter, prout apparet in intellectu, qui eſt ſeparatus, & independens a materia, & conſequenter incorruptibilis. Argumentum ergo procedit in primo ſenſu, & nos loquimur in ſecundo. Secundo dicitur, quod argumentum procedit de forma depẽdenti, quæ ſe habet, vt quo præciſe, & non de independenti, quæ ſe habet etiam vt quod.

Ad quartumdecimum dicendum, quod illa vnio eſt tranſcendentalis ſecundum ſe, permiſſiue vero dum anima eſt vnita corpori ſe habet vt permanens, & vt ſubſtantia. At dum ſeparatur ſe habet vt accidens, nec hoc mirum eſt, ex quo, & quod animæ.

Ad quintumdecimum dicendum, quod generatio, & corruptio non dicuntur de partibus compoſiti, ſed de ipſo compoſito, quia compoſitum eſt illud, quod generatur, & corrumpitur, & ideo non ſequitur, quod ſit incorruptibile, quia vnio corruptibilis eſt.

Ad alia patet ex dictis.

LE.

LECTIO Septima.

QVAESTIO XVII.

Vtrum vnus ſit intellectus, & vna ani ma intellectiua, in ſingulis hominibus.

Videtur quod intellectiuum principium non multiplicetur ſecundum multiplicationem corporum. Nam Ariſt. 1. de anima tex. 82. dicit intellectum eſſe antiquiſſimũ, & quoddam diuinum. Ergo ſi eſt antiquiſſimus, non multiplicatur, id eſt de nouo creatur.

Secundo. Omne quod plurificatur, habet materiam, ex 5. Metaph. Sed intellectus non habet materiam, cum ſit immaterialis. Ergo non pluri ficatur ſecundum pluralitatem corporum.

Tertio. Si plures eſſent animæ, & intellectus, cum mundus ſecundum Ariſtotelem ſit æternus, ſequerentur infinitæ animæ, & conſequenter daretur infinitum in actu, quod eſt contra Philoſophum 3. Phyſic.

Quarto. Quælibet ſubſtantia immaterialis multiplicatur ſecundum ſpeciem, & non ſecundum numerũ, ſecundum Thomiſtas. Sed anima intellectiua eſt immaterialis. Ergo non multiplicatur ſecundum numerum.

Quinto. Remota cauſa, remouetur effectus. Ergo ſi animę humanę multiplicantur ratione corporum, ſublatis corporibus plures non erunt animæ. Sed hoc eſt falſum, cum anima remaneat poſt corpus, vt ab eo independens. Ergo.

Sexto. Intellectus cognoſcit vniuerſale, & vniuerſaliter. Ergo erit vnus intellectus vniuerſalis, vt potentia correſpondeat obiecto.

Septimo. Si diuerſi sũt intellectus, diuerſa erunt etiam intellecta, prout ſimilia ſunt in intelligi. Sed a quibuſcunque ſimilibus, eſt abſtrahibilis vnus conceptus. Ergo & ab his intellectus. Sed hoc eſt proprium imaginatiuæ, & non intellectus.

Octauo. Cum diſcipulus accipit ſcientiam a Magiſtro, aut eſt eadem ſcientia, aut ſcientia magiſtri generat ſcientiam diſcipuli. Non ſecundum, quia ſcientia non eſt forma actiua. Si primum. Ergo vna erit omnium ſcientia, & vnus intellectus.

Nono. Auguſtinus in libro de quãtitate animę dicit. Si plures tantum animas Chriſtianas dixerim, ipſe me ridebo. Ergo videtur eſſe tantum vna anima, & vnus intellectus.

Pro enucleatione pręſentis quęſtionis tria agenda ſunt. Primo enim pręmittenda erunt aliqua fundamenta. Secundo loco concluſio noſtra erit probanda. Et tertio ſoluenda argumenta.

Quoad primum. Primo erit ſciendũm, quod quidam multiplicauerũt intellectum poſſibilem, & quidam vnum intellectum omnium hominũ eſſe fecerunt. Qui poſuerunt diuerſos intellectus partiti ſunt in quatuor opiniones. Primam tenuit Alex. ponendo triplicem intellectum. Primũ dixit poſſibilem, exiſtentem in potentia ad recipiendum influxum intellectus agentis. Secundum dixit agentẽ, quem & Deum appellat. Tertium vocauit intellectum in habitu, id eſt cum ſpecie intelligibili in actu primo. Secundam ſententiam habent Auempaces, & Albumazar Arabes, ponentes vnum intellectum agentem, in omnibus phantaſmata illuſtrantem, & facientem ea repręſentare vniuerſaliter, vnde iſti negabant omnes ſpecies intelligibiles, & ſolum ponebant illuſtrationem phantaſmatum, dicebantque intellectum poſſibilem non eſſe niſi imaginatiuam. Cum autem hæc ſit organica, & multiplex, ideo dice-

Opiniones.

dicebant multos eſſe intellectus, pro indiuiduorum diuerſitate. Tertiam habuit Plutarchus, ſtatuens plures eſſe intellectus introductos in hominibus,cum omnibus ſpeciebus in actu, ſed volebat, quod hi intellectus vnirentur hominibus non vt formæ, ſed vt motores tantum. Quarta ſententia vera eſt Sancti Thomæ,ponentis plures intellectus agentes, & poſſibiles, vt explicatum eſt, & explicabitur.

Qui autem poſuerunt vnum intellectum in omnibus adhuc diuiſi sũt. Nam Themiſtius, & Theophraſtus ponũt vnam animam immortalem in omnibus hominibus,quam compoſitam faciunt ex duplici intellectu .ſ. ex poſſibili concurrente vt materia, & agente vt forma, dicuntque intellectum poſſibilem non recipere ſpecies intelligibiles, ſed ſolum illuſtrationẽ agentis,vt ſit intelligere. Auerroes vero vnum eſſe intellectum in omnibus ſuſtinuit, ſed neceſſitatem ſpecierum a diuerſis phantaſmatibus abſtractarum non negauit. Tandem Picus Mirãdulanus lib.3 .ſect.prima, ſecunda,& ſexta euerſionis ſingularis certaminis,vnam eſſe animam, & vnum eſſe intellectum in omnibus contendit,ſed ait,quod hęc anima,& hic intellectus non eſt forma aſſiſtens,(vt Commentator voluit.) ſed informãs, quod dicit tenendum eſſe ſecundum principia Philoſophiæ,& ſi contrariũ ſit affirmandum ſecundum fidem. Idem docuit Achillinus lib.de intelligentijs.

Naturæ viuentiũ ſunt in triplici gradu. Secundo notandum, quod viuentia ſunt in triplici gradu. Quædam enim ſunt naturæ pure ſpirituales,vt intelligentiæ.Quædã pure ſenſitiuæ, vt bruta, & q̃dã ſunt naturę mediæ,i. naturę nec pure ſpirituales, nec pure ſenſitiuę.Primę non poſſunt eſſe formæ corporum,quia nec ordinẽ, nec ꝓportionẽ habẽt cum materia, vnde ei non vniũtur vt formæ, ſed vt motores. Secundæ nec ipſę poſſunt eſſe formę hominis, cum homo eſſentialiter non per ſenſum, ſed per intellectum conſtituatur in eſſe ſpecifico. Oportet ergo quod formę hominum medię ſint inter naturam pure ſpiritualem, & ſenſitiuam, ex quo anima noſtra dicitur Horizon, ideſt mediũ coniungens naturam ſenſitiuam, & intellectiuam. Ex hoc autem plura ſequuntur. Primum eſt,quod prout cõmunicat cum ſubſtantijs pure ſpiritualibus eſt principium intelligendi, & vt communicat cum ſenſitiuis eſt principium ſentiendi. Medium enim participat rationem vtriuſque extremi. Secundum eſt,quod inde ſequitur,animam noſtram eſſe formam informantem,& ita dare eſſe ſenſitiuũ, & intellectiuum. Tertio ſequitur,ꝙ geminę potentię ab anima procedũt, ideſt vires ſenſitiuę, per quas cum natura corporea viuente communicat, & vires proprię intellectiuę,per quas cum intelligentijs conuenit. Quartũ eſt,quod cum anima noſtra magis accedat ad naturam ſpiritualem quam ſenſitiuam. Nam omne ſuperius formaliter habet rationem ſuperioris,& virtualiter inferioris,ideo ſi anima ſecundum ſe ſubſiſteret, in corpore nõ eſſet. Sed quia in compoſito ſubſiſtit, cui eſſe dat, propterea oportet quod ſit forma corporis. Quintũ eſt, quod homo dicitur rationalis,& non intellectiuus abſolute, quia non ſimplici apprehenſione res apprehendit, vt faciunt intelligentiæ,ſed indiget diſcurſu,& adminiculis ſenſuum, quia non participat rationem ſuperioris, niſi infimo modo, ſicut inquiebat diuiniſſimus Dionyſius, quod infimum ſupremi, attingit ſupremum infimi.

Tertio notandum, quod phantaſmata dupliciter conſiderari poſſunt. Primo ac ſi eſſent ſpecies intelligibiles, intellectum actuantes. Secundo tanquam obiecta, in quibus relucent ſpe- *Phantaſmata dupliciter cõſiderari poſſunt.*

ſpecies intelligibiles. Si prima conſideratio eſſet poſſibilis(ait S.D.)phantaſmata poſſent diuerſificare intellectiones, adeo vt vna anima ex diuerſitate phantaſmatum, in pluribus eſſet diuerſificata. Sed hęc conſideratio nō eſt,nec vera,nec poſſibilis, quia phantaſmata ſe habent vt obiecta. Nam ſicut color non eſt quod videt, ſed quod videtur, ita phantaſmata non vident, nec intellectionem cauſant, ſed videntur, & intuentur.

Concluſio probatur. Quoad ſecundum concluſio eſt. Non eſt vna anima, nec vnus intellectus in ſingulis, & omnibus hominibus, ſed ſinguli,ſingulares animas, & intellectus habent. Probatur primo auctoritate Philoſophi, qui in 2. Phyſic.ait,eandem eſſe rationem materiæ, & formæ, ſed cuilibet homini datur vna materia. Ergo & vna forma. Item 7.Metaphyſ. aſſerit impoſſibile eſſe vt vnus actus ſit plurium. Igitur non poterit vna anima multorū eſſe diſtinctiua. Item primo de Anima tex.53. & in ſecundo tex.8.ait nō quamlibet animam informare quodlibet corpus,ſed determinatam determinatum. Item 12.Metaphy.tex.20. negat animam antecedere corpus.At ſi vna tantum eſſet anima omnia corpora antecederet.

Secundo. Si in ſingulis hominibus vna anima ſtaret, ſequeretur quod vna eademque met anima, ſapiens eſſet, & inſipiens, iuſta, & iniuſta,& quod anima v.g.Iudę,fuerit anima Chriſti, & anima S.Petri,anima Neronis &c. Probatur, quia eſt vna forma ſecundum Aduerſarios.Et ideo damnata eſt merito hęc opinio in cōcilio Lateran. ſub Leone x.ſeſſ.8.ibi Damnamus, & reprobamus &c.

Tertio. Cuilibet formę propria materia aſſignatur, & cuilibet materię propria forma. Sed vna non eſt materia omnium,ex Ariſt.5.Methaph. Ergo nec vna forma.

Quarto. Nam vel cogitatiua, quę ſecundum Aduerſarios homines diſtinguit, dat eſſe rationale,vel non. Non primum, quia eſt potentia ſenſitiua,& non intellectiua.Si ſecundum. Ergo neceſſaria eſt anima intellectiua,quę ſingularizet, & diſtinguat ſingulos homines.

Quinto. Aut intellectus,quem hoſtes noſtri intelligentiam appellant, habet materiam, vel non.Non ſecundum, quia eam reſpicit. Si primum ſequeretur, quod in intelligentijs non eſſent idē quod quid eſt, & cuius eſt, quia non ſunt idem in materialibus, per Ariſt.7.Metaph.

Argumenta ſoluuntur. Ad primum dicendum, quod Ariſtoteles ibi non loquebatur ſecundū propriam ſententiam, ſed ex conceſſis ab Empedocle appellante intellectū Deum. Conſtat autem Deum eſſe antiquiſſimum, & Dominum omnium rerum.

Ad ſecundum dicendum,ad maiorem, quod habere materiam ſtat dupliciter. Primo tanquam partem ſui, prout eam habent omnia compoſita materialia.Secundo tanquam ordinatum ad eam. Modo dico,quod quamuis anima intellectiua non habeat materiam primo modo, idest quamuis non ſit compoſita ex materia, & forma, habet tamen materiam ſecundo modo, i. ordinem,& inclinationem ad corpus, ex qua inclinatione indiuiduatur, & plurificatur.

Ad tertium, quod eſt Achilles aduerſariorum dicendum venit, Ariſtotelem non probaſſe repugnare, vt detur infinitum niſi in materialibus, non vero in immaterialibus,vt eſt anima intellectiua. Sed quoniam veritas eſt, quod non poteſt dari infinitum, nec etiam in immaterialibus, vt oſtendo p.p.quęſt.7.ideo dico Ariſtotelem non repugnare infinito permixto potentię, ideſt quod non eſt totum in actu, & tale infinitum ſaluatur in animabus

mabus intellectiuis,& immortalibus. Nam data generatione hominum ęterna,& ſucceſſiua, non erit accipere infinitum hoc ſimul, & totum in actu.

Ad quartum dicendum ad maiorem,quod valet de ſubſtantijs immaterialibus completis,modo anima intellectiua non eſt ſubſtantia immateris completa, ſed pars ſubſtantiæ cõpletæ, & ideo indiuiduatur per ordinem ad materiam,compoſiti partem.

Ad quintum dicendum, quod maior valet de cauſa præciſa, modo anima non ſolum habet eſſe quo corpus viuit, ſed etiam quod in ſe ſubſiſtit. Secundo dicitur, quod quamuis anima ſeparata actu non informet corpus,habet tamen naturalem inclinationem ad ipſum, & ex hoc indiuiduatur,& multiplicatur.

Ad ſextum dicendum,quod intellectus cognoſcit vniuerſale,& vniuerſaliter, prout ſpecies eſt vniuerſalis in repræſentando,& tamen eſt ſingulare accidens in eſſendo, & hoc modo intellectus eam recipit indiuidualiter.

Ad ſeptimum dicendum, quod argumentum ſupponit falſum, ſ. quod intellectus multiplicetur ſecundum multiplicationem intellectorum. Hoc enim falſum eſt in genere entis.

Ad octauum dicendum,quod vna eſt ſcientia magiſtri & diſcipuli realiter, ſed diuerſa formaliter,quia prout eſt in magiſtro dicitur ſcientia, & prout eſt in diſcipulo dicitur diſciplina.

Ad nonum dicitur, quod Auguſtinus intendit omnes animas conuenire in vna ſpecie.

LECTIO. Octaua.

QVAESTIO. XVIII.

Vtrum intellectus poſſibilis poſſit ſe ipſum cognoſcere.

VIdetur quod non. Nam omne quod cognoſcitur, ſub ſuo obiecto continetur. Sed intellectus cum ſit immaterialis non continetur ſub ſuo obiecto, quod eſt quidditas rei materialis. Ergo non poteſt cognoſcere ſeipſum.

Secundo. Si ſe cognoſceret, aut cognoſceret ſe eadem cognitione cũ ſua eſſentia,aut diuerſa. Non primũ, quia ſolum intelligentiæ cognoſcunt ſeipſas, per ſeipſas. Non ſecundum, quia ſic intellectus eſſet mouens, & motum, ideſt cognoſceret,& cognoſceretur. Ergo.

Tertio. Cognoſcens debet eſſe denudatum a natura cogniti, Sed intellectus non eſt denudatus a ſeipſo. Ergo.

Quartò. Quod cognoſcitur, per ſpeciem cognoſcitur, Sed intellectus non habet ſpeciem, cum non habeat proprium Phantaſma, a quo eliciatur. Ergo.

Sed contra arguitur. Primo. Intellectus eſt præſtantior cogitatiua, Sed ipſa ex forma ſpeciei ſenſatæ poteſt elicere ſpeciem formæ non ſenſatæ .ſ. amoris,vel filiationis. Ergo hoc magis poterit intellectus.

Secundo. Vbi maior eſt proportio, ibi certior eſt cognitio. Sed inter intellectum & intelligibile maior eſt proportio, cum ambo ſint immaterialia,quam inter intellectum, & materialia. Ergo ſi cognoſcit materialia, multo magis poterit cognoſcere ſeipſum.

Tertio. Scientia non fit ſine intellectione, Sed eſt ſcientia de intellectu

in potentia. Ergo & intellectio. Ergo intellectus eſt per ſe intelligibilis.

Quarto. Intellectus alia a ſe intelligit, quia ſunt ei præſentia per ſpeciem, Sed magis eſt ſibi præſens, cum ſit ſibi præſens per eſſentiam ſuam. Ergo.

Quinto. Anima ſeparata ſeipſam intelligit. Ergo & coniuncta. Probatur. Quia ex ſeparatione non mutatur anima.

Opiniones. Pro enucleatione huius quæſtionis. Primo ſciendum eſt, quod circa modum quo intellectus cognoſcit ſeipſum, quadruplex eſt opinio. Prima fuit Alexandri dicentis, quod intellectus intelligit ſe per accidens, i. quia fit vnum cum re intellecta, vnde eam intelligendo, tunc per accidens ſe intelligit. Secunda fuit Plotini, & Philopponi dicentium, intellectum ſemper ſe intelligere, cum ſemper ſit ſibi præſens, ſed quod hoc non animaduerteret ex nimia familiaritate, & continuatione. Tertia fuit Alpharabij aſſerentis, quod intellectus primo format ſpeciem exterioris obiecti, & poſtea format ſpeciem de ſeipſo, & ſic ſe intelligit. Quarta fuit Auerrois, affirmantis intellectum adeptum ſeipſum intelligere. De qua re infra. Omnes autem iſtæ ſententiæ falſæ ſunt.

Prima quidē, quia nos experimur noſtras intellectiones, & intellectum intelligere, ſine aliorum cognitione. Secunda vero, quia non eſt ſibi præſens in eſſe intelligibili. Item tertia, quia non habet propriam ſpeciem. Et tandem quarta, quia non datur intellectus adeptus.

Triplex genus intelligentium. Secundo ergo notandum, quod tria ſunt genera ſeparatarum, & immaterialium ſubſtantiarum. Primum eſt puriſſimi actus, ideſt Dei, omnino immaterialis, nullam commixtionē materiæ, vel potentiæ admittentis. Secundum eſt Angelorum, qui non ſunt puri actus, vnde & ſi non admittant compoſitionem ex materia, & forma, hanc tamen admittunt ex potentia, & actu, ex eſſentia, & eſſe, & ex natura, & ſuppoſito. Tertium genus eſt animarum noſtrarum, quæ in ſua creatione ſunt puræ potentiæ in genere intelligibilium. Modo dicimus Deum, & ſeipſum, & alia a ſe cognoſcere per eſſentiam ſuam, quia nullo recipit perfectionem, nec quoad eſſe, nec quoad intelligere, Angelos vero affirmamus ſe cognoſcere per eſſentiam ſuam, & alia per ſpecies coæuas, & congenitas. At animæ noſtræ non poſſunt nec ſe, nec alia cognoſcere niſi per ſpecies a rebus abſtractas.

Duplex cognitio directa & reflexa. Tertio notandum quod duplex eſt cognitio. Prima dicitur directa, ideſt per propriam ſpeciem, vt dum cognoſco lapidem per ſpeciem lapidis. Secunda dicitur reflexa, ideſt mediante ſpecie alterius. Intellectus non intelligit ſeipſum directe, cum non habeat propriam ſpeciem ſui ipſius. Cognoſcit ergo ſe reflexe, prout ex cognitione rei proprium actum cognoſcit, & ex proprio actu cognoſcit ſeipſum.

Senſus & intellectus differunt in cognoſcendo. Quarto notandum, eſſe differentiam inter ſenſum, & intellectum, quod quia ſenſus affixus eſt organo corporali, non poteſt ſe reflectere ſupra ſeipſum. Viſus enim non videt ſe videre, ex immutatione facta a ſpecie viſibili. At intellectus, quia non eſt affixus organo corporali, ideo poteſt ſe reflectere ſuper ſe, & ſuum actum, ſciendo, & intelligendo ſe eſſe intellectiuum, & intelligere hoc, vel illud.

Duplex autem eſt ſimilitudo. Quinto notandum, quod inter cognoſcens, & cognitum debet eſſe conuenientia, & aſſimilatio. Prima dicitur naturæ, quia ſimilia conueniunt in natura, vt Socrates, & Plato in natura humana. Secunda dicitur in eſſe intelligibili, ideſt in aliqua vna ſpecie intel-

intelligibili, & hæc eſt neceſſaria, & non prima inter cognoſcentem, & cognitum.

Cognoſcẽs aſſimilatur cognito.

Sexto notandum pro nunc, quod duplex eſt cognitio. Prima dicitur an eſt, ideſt exiſtentiæ, quia docet de exiſtentia rei. Secunda dicitur quid eſt, quia inſtruit de quidditate, & eſſentia. Si loquamur de cognitione intellectus quoad an eſt, dicimus intellectum ſe directe cognoſcere, quia cognito actu ſuo, immediate ſcit ſe eſſe. At ſi ſermo ſit de cognitione quid eſt, ſeu eſſentiæ quidditatis, videtur dicendum, quod cognita ſua ſpecie, ſe directe cognoſcit. Imaginandum enim eſt, quod intellectus cognoſcit naturam rerum, non prout ſunt ſingulares, ſed vt ſunt vniuerſales. Hinc deduxerunt Philoſophi, quod ob hoc, quod intellectus cognoſcit vniuerſaliter, conſequenter ſpecies eſt immaterialis. Nam ſi eſſet materialis, non repræſentaret vniuerſaliter, ſed indiuidualiter. Sed vlterius ob hoc, quod intellectus recipit in ſe ſpeciem immaterialem, deduxerunt ipſum eſſe immaterialem, & ita cognouerunt naturam intellectus.

Intellect⁹ aliquo modo ſe directe cognoſcit.

Septimo ergo notandum eſt, quod intellectus dupliciter conſiderari poteſt. Primo, vt eſt pura potentia, quia nondum aliquam rem cognouit. Secundo, prout rem ipſam iam cognouit, & ſuper actum ſuum ſe reflectit, intelligendo ſe intelligere. Primo modo, intellectus ſe reflexe cognoſcit, quia per alterius cognitionem ſe percipit. At ſecundo modo aliqua ratione poſſumus dicere intellectum ſeipſum directe cognoſcere, quia tunc inter actum intellectus cognitum, & intellectum cognoſcentem, nullum cadit medium.

Explicatur modus

Octauo ergo notandum, quod intellectus dicatur ſe cognoſcere reflexe, dupliciter poteſt intelligi. Primo, vt ly reflexe quamcunque immediationem neget, vt ſit ſenſus. Intellectus nullo modo directe ſe cognoſcit. Et hic ſenſus falſus eſt, quia, vt diximus, immediate ſe cognoſcit ex actu ſuo. Secundo, vt ly reflexe idem ſonet, quod non primo. Et hic ſenſus verus eſt, quia intellectus primo intelligit rem materialem, v.g. lapidem. Secundo, cognoſcit lapidem intellectum non eſſe ſe intelligentem. Vlterius intelligit ſe non intelligere per aliquod extraneum, & tunc cognoſcit ſe eſſe naturæ intellectiuæ.

Concluſio probatur.

Quoad ſecundum principale concluſio eſt. Intellectus non ſe cognoſcit directe, ideſt primo. Probatur. Illa cognitio non eſt directa, in qua principium efficitur terminus, & terminus principium. Sed in cognitione intellectus res materialis ſe habet vt principium motiuum, & intellectus vt terminus. In cognitione vero ſui ipſius intellectus ſe habet vt principium, vt ſupra explicatum eſt. Ergo.

Argumenta ſoluuntur.

Ad primum dicendum ad maiorẽ, quod duplex eſt obiectũ intellectus. Primum dicitur adæquatum, & hoc eſt ens, & ſub hoc continentur etiam Angeli, & anima noſtra. Secundum dicitur proportionatum pro hoc ſtatu, & talis eſt quidditas rei materialis, & de hoc procedit argumentum.

Ad ſecundum dicendum, quod intellectus ſe cognoſcit cognitione diuerſa a ſua eſſentia. Ad improbationem vero dicitur primo, quod anima eſt illa, quæ ſui ipſius cognitionem cauſat, & intellectus eam recipit. Vel ſecundo dicendum non eſſe inconueniens, quod intellectus vt pura potentia cognitionem recipiat, & vt informatus ſpecie intelligibili, eius virtute eam cauſet.

Ad tertium reſpondet Ferrarienſis primo, maiorem eſſe falſam abſolute, quia non verificatur in natura immateriali cognoſcente. Secundo dicit, quod ſolum valet de his, quæ directe

 cogno-

cognoſcuntur. Sed melius dicitur, ꝙ intellectus in genere intelligibilium eſt denudatus a ſe ipſo, & ſi non in genere entium.

Ad quartum reſpondet Ferrarienſis, maiorem ſolum currere in cognitis] directe intellectus] autem ſe cognoſcere reflexe, quia non habet propriam ſpeciem, nec proprium phantaſma ſui ipſius, Sed melius poſſumus dicere, intellectum habere propriam ſpeciem expreſſam, ideſt proprium conceptum, per quem ſe cognoſcit a cæteris diſtinctum. Et quamuis non habeat proprium phantaſma, hoc tamen non eſt neceſſarium ad ea, quæ cognoſcuntur non per ſe primo, ſed vel per alienam ſpeciem impreſſam, vel per actum ſuum, vel per effectus, vt ſupra explicatum eſt.

Ad primum pro altera parte negamus cogitatiuam poſſe elicere propriam ſpeciem, cum ſit alligata organo corporali, elicit tamen ſuo modo ſpeciem alicuius exiſtentis in re ſenſibili.

Ad ſecundum negatur minor pro hoc ſtatu, pro quo intellectus primo non intelligit niſi materialia.

Ad tertium dicendum, quod de intellectu eſt ſcientia, ſed a poſteriori, confuſa, & reflexa.

Ad quartum dicendum, quod intellectus & ſi ſit ſibi præſens in genere entium, non tamen eſt ſibi præſens in genere intelligibilium, vt ſupra explicatum eſt.

Ad quintum negatur ſequela, quia pro alio ſtatu intelligit ad modum ſubſtantiarum ſeparatarum, & non habet impedimentum, quod habet pro hoc ſtatu.

LECTIO Nona.

S. D. octaua.

Intellect' reducitur de potētia ad actum

PHiloſophus in tex. 8. oſtendit quo modo intellectus poſſibilis reducatur de potētia ad actum, & inquit, quod intellectus dum habet ſpeciem intelligibilem, aliquo modo dicitur eſſe in potentia, ſed diuerſimode antequam eam reciperet, vnde tripliciter poteſt conſiderari. Primo, vt eſt in pura potentia, ideſt ante receptionem cuiuslibet ſpeciei. Secundo, vt eſt in habitu, ſeu in actu primo, ideſt dum habet ſpecies, ſed per ipſas non intelligit, vt dum dormit, vel alijs attendit. Tertio, vt eſt in actu ſecundo, ideſt dum actualiter conſiderat repræſentata per ſpecies. Subinfert autem, quod intellectus primo modo non poteſt quandocunque vult intelligere, at ſecundo modo vtique, quia poteſt vti ſpeciebus in intellectu exiſtentibus in habitu.

In tex. 9. 10. & 11. oſtendit quod nam ſit obiectum intellectus, ſed prius dicit, quod quę ſunt in materia, duo habent diſtincta, ſcilicet eſſe exiſtentię, & quid eſt, ideſt quidditatem, ſeu diffinitionem, quia aliud eſt quid aquæ, ideſt definitio aquæ, & aliud eſſe aquæ, i. exiſtentia aquæ, & ideo cum eſſe ſit ſingulare, cognoſcitur a ſenſu, quia ſenſus eſt ſingularium, q d autem ideſt definitio, cognoſcitur ab intellectu, qui eſt vniuerſalium directe, & ſingularium reflexe.

Intellect' eſt potentia, & ſpecies actus.

Circa ſupradicta autem. Primo notandum eſt, quod ſicut in compoſito reali duo reperiuntur, ita etiam in cōpoſito intelligibili. Nam in compoſito reali reperitur materia, quæ ſe habet vt potentia, & forma quæ ſe habet vt actus materiæ, ita intellectus in genere intelligibilium ſe habet vt materia, quia in hoc genere eſt pura potentia,

tentia, ſpecies vero ſe habet vt actus, quia actuat,& determinat intellectũ, faciendo illum actu intelligere. Hoc autem dupliciter contingit, vt diximus,ſcilicet in actu primo,& in actu ſecundo,& omnia clara ſunt.

Eſſe, & quidditas diſtinguũtur in materialib.

Secundo notandum, quod aliud ſit eſſe,& aliud quidditas, dupliciter poteſt intelligi. Primo abſolute,& in omnibus,& hoc falſum eſt, quia ſubſtantiæ abſtractæ ſeipſis indiuiduantur, & in ipſis non diſtinguuntur ab intrinſeco natura,& ſuppoſitum, eo modo quo docet S.D.p. p.quęſt.3.art. 4.Secũdo in materialibus,& hoc eſt, quod exprimit Philoſophus.

Etiam in Mathematicis.

Tertio notandum circa id quod aſſerit Philoſophus,eſſe, &.quod quid eſt differe non ſolum in Phyſicis, ſed etiam in Mathematicis,quod hic non ſumuntur Mathematica prout abſtrahunt a materia ſecundum rationem ,ſed prout ea concernunt ſecundum eſſe.

QVAESTIO XIX.

Vtrum ſingulare directe cognoſcatur ab intellectu.

HAnc quæſtionem habes a me diffuſe examinatã in 7. Methaph. ideo eam ibi vide.

QVAESTIO XX.

Vtrum quidditas rei materialis ſit obiectum intellectus noſtri.

VIdetur quod nõ. Nam obiectum intellectus,& ſcientiæ præcipue Metaph.eſt ens vt ens. Ergo non eſt tantum quidditas rei materialis,ideſt ens tale, ſ. materiale.

Secũdo.Si quidditas rei materialis eſſet obiectum,quanto res eſſet materialior,tãto magis intelligeretur. Nã q̃to magis aliquid eſt coloratũ,tanto magis videtur, (arguẽdo a ſimil).Sed hoc eſt falſum, cum res intelligantur per ſeparationem a materia. Ergo.

Tertio. Aut quidditas rei materialis eſt obiectum, prout concernit conditiones materiales, aut prout eſt ab eis ſeparata. Si primum,cum talis q̃dditas ſit ſingularis, obiectum intellectus erit ſingulare. Si ſecundum, cum talis ſit ens rationis, & ipſa eſſet ens rationis. Vtrumque autem eſt inconueniens.

Quarto. Obiectum cauſat ſpeciem in intellectu,Sed quidditas rei materialis non poteſt eam cauſare, quia vel illa ſpecies cauſatur a quidditate particulari,vel ab vniuerſali. Non primum, quia illa ſpecies repræſentat vniuerſaliter. Non ſecundum, quia non datur talis quidditas extra intellectum.

Quinto. Nulla potentia poteſt eleuari vltra ſuum obiectum,Sed intellectus non ſolum eleuatur ad cognoſcenda materialia, ſed etiam immaterialia. Ergo.

Sexto. Illud eſt obiectum proportionatum, quod primo ab intellectu cognoſcitur. Sed tale eſt accidens repræſentatum per phantaſma, quod eſt accidens. Ergo. Et confirmatur, quia Ariſt. 1. de anima dixit,accidentia magnam partem conferre ad cognoſcendum quod quid eſt.

Septimo arguitur contra rationẽ S.D.qua hoc probat, quia ſcilicet eſt de ratione intellectus, quod habeat eſſe in re particulari ſenſibili intelligẽdo,& ideo oportet, quod ſemper conuertatur ad phantaſmata. Nam ex hac ratione non deducitur, niſi quod ſi intellectus perfecte intelligit, ad phantaſma ſe conuertit. Non autem ratio conuincit hoc eſſe neceſſarium in quacunque cognitione.

Octauo. Quia etiam ſic corpus impaſſibile,intelligẽdo,ſe cõuerteret ad phantaſmata, ꝙ eſt cõtra eundẽ S.D.

Pro

Termini explicantur. Pro intelligentia huius quæſtionis notandum eſt, quod obiectum eſt res illa, quæ immutat potentiam, imprimendo in eam ſpeciem. Quidditas vero rei materialis eſt eſſentia, ſeu natura habens eſſe in re materiali, & ſenſibili.

Potentia ſenſitiua, & intellectus diſcriminatur in obiecto. Secundo notandum venit, magnū eſſe diſcrimen inter obiectum potentiarum ſenſitiuarum, & intellectus. Nam potentiæ ſenſitiuæ cum ſint organis corporalibus affixæ, ſemper habent eundem modum immutandi, v.g. color ſemper eodem modo immutat potentiam viſiuam. Intellectus vero cum non ſit organo corporali affixus, & poſſit ſeparari, diuerſum modum ſortitur in corpore, ab eo quod habet extra corpus. Nam in corpore intelligit ſolum per conuerſionem ad phantaſmata, & conſequenter poteſt ſolum intelligere materialia, quæ habent per ſe phantaſmata, ſeparatus vero a corpore, quia intelligit per ſpecies infuſas, ideo non conuertitur ad phantaſmata, nec ſolum materialia cognoſcit. Vlterius cum potentiæ ſenſitiuæ ſint materiales, ideo pro obiecto habent rem materialem. Quia vero intellectus eſt immaterialis, ideo eius obiectum erit immateriale, ideſt quidditas rei, & non eius materialitas.

Quidditas rei materialis duplex. Tertio notandum, quod per quidditatem rei materialis tria poſſumus intelligere. Primo omnem naturam, eſſe in rebus habentem, ſit ſubſtantia, vel accidens. Secundo naturam ſingularem, & determinatam. Tertio omnem naturam, & eſſentiam ex materia, & forma compoſitam, phantaſma habentem. Per quidditatem ergo rei materialis, primum, & tertium intelligimus, & non ſecundum, quia res ſingularis non cognoſcitur directe ab intellectu noſtro.

Quarto notandum, quod pro nūc duplex eſt obiectum intellectus noſtri. Primum dicitur motiuum, quia mouet potentiam, & hoc eſt quidditas rei materialis, cum pro hoc ſtatu ſolum materialia, & ſenſata percipiamus, cum hæc tantum per ſe phantaſmata habeant. Secundum dicitur obiectum terminatiuum, quia ad ipſum tandem intellectio terminatur, ſit per proprium phantaſma, vel per phantaſma ſui effectus, vel alio titulo alienum, & tale obiectum non ſolum poterit eſſe quidditas rei materialis, verum etiam ens, vt ens, & quo libet ens, etiam ſeparatum a materia. *Obiectum duplex, motiuum, & terminatiuum.*

Terminatiuum duplex, adæquatum, & proportionatum. Quinto notandum quod obiectū terminatiuum duplex eſt. Primum dicitur adæquatum, ideſt vniuerſaliſſimum, adeo vt potentia vltra hoc obiectum nullo modo poſſit, & tale eſt ens, quia omnia, quæ intelliguntur, quatenus entia ſunt, intelliguntur, & nihil eſt quod poſſit ſubterfugere naturam, & rationem entis. Secundum vocatur proportionatum pro hoc ſtatu, & tale eſt quidditas rei materialis, quia pro hoc ſtatu non intelligimus niſi adminiculo ſenſuum, & ſubſequenter ſenſata, & materialia, ideo hæc maxime dicuntur pro nunc nobis proportionata. Alij dicunt, quod quadruplex eſt obiectum. Primum dicitur adæquationis, quia adæquat potentiam. Secundum dicitur generationis. Tertium vocatur reſolutionis, quia tandem in ipſo fit reſolutio, & iſta tria obiecta reducuntur ad ens, quod adæquat intellectum, & primo confuſe cognoſcitur, & cognita tandem in ipſum reſoluuntur. Quartum obiectum dicitur perfectionis, & hoc Deus eſt, qui perfectiſſimum ens nuncupatur.

Conditiones obiecti. Sexto notandum, quod aliud eſt loqui de obiecto, & aliud de conditionibus obiecti. Nam obiectum eſt quod intelligitur. Conditio vero eſt ratio, ſine qua non intelligeretur. Hæ autem conditiones obiecti tres ſunt,

Pri-

Prima eſt immaterialitas, quoniam immaterialitas eſt cauſa cognitionis, vnde intellectus immaterialis, non intelligit niſi immaterialiter. Secunda eſt vniuerſalitas, quia intellectus non intelligit ſingulariter, ſed vniuerſaliter. Tertia eſt veritas, vnde verum eſt obiectum, quo ideſt conditio obiecti cogniti.

Concluſio probatur. Quoad ſecundum principale concluſio eſt. Obiectum formale, & proportionatum intellectui noſtro pro hoc ſtatu, eſt quidditas rei materialis. Probatur. Illud eſt obiectum proportionatum intellectus poſſibilis, quod per operationem intellectus agentis fit intelligibile in actu. Talis eſt quidditas rei materialis. Ergo. Maior patet ex dictis Philoſophi ſupra. Minor probatur, quia materialia ſecundum ſe non ſunt intelligibilia, niſi per intellectum abſtrahantur a ſingularitate, & a materia. Ita etiam ſeparata omnino a materia non intelliguntur niſi per effectus materiales.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum dicendum, quod maior valet de obiecto adæquato, & terminatiuo, nos vero loquimur de proportionato, motiuo, & terminatiuo diuerſimode, vt ſupra.

Ad ſecundum negatur aſſumptũ, quia nos non ponimus materiam eſſe obiectum, ſed quidditatem rei materialis, & ideo quanto magis res materiales a ſingularitate, & materialitate ſeparantur, & ad ſuam quidditatem accedunt, tanto magis fiunt intelligibiles.

Ad tertium dicendum, quod eſt obiectũ vt ſeparata. Ad improbationem autem dicitur, quod ens rationis habet ſolum eſſe obiectiuum, & non reale, modo quidditas rei materialis eſt quidditas rei realis. Abſtractio autem eſt conditio ſine qua non.

Ad quartum dicendum, quod illa ſpecies effectiue, & formaliter fit ab intellectu agente, faciente vniuerſalitatem, a phantaſmate vero non eſt niſi inſtrumentaliter.

Ad quintum dicimus, quod procedit de obiecto adæquato.

Ad ſextum dicendum ad maiorẽ, quod obiectum proportionatum intellectus debet per ſe intelligi, & eſſe terminus intellectionis, modo accidens non cognoſcitur niſi in ordine ad ſubſtantiam, & virtute ſubſtantiæ.

Ad confirmationem vero dicitur, quod accidentia iuuant cognitionem perfectam quod quid eſt, ſed ſubſtantia eſt eis prior cognitione, per Ariſt. 7. Methaph.

Ad ſeptimum dicendum, quod cõcludit cognitionem perfectam, & imperfectam eſſe per conuerſionem ad phantaſmata. Nam ſi cognitio perfecta, quæ eſt prior fit per conuerſionẽ ad phãtaſmata, multo magis hoc modo fiet cognitio materialior, ideſt minus perfecta.

Ad octauum dicendum, quod anima corpori paſſibili vnita habet pro naturali, quod conuertatur ad phantaſmata, & ideo hoc etiã fuit in Adamo. At vniri corpori impaſſibili eſt quid ſuper naturale, vnde cum anima ingreditur ordinem ſuperiorem, eo modo intelligit, quo illi ordini conuenit. Congruit autem ſubſtantiæ ſeparatæ a corpore, quod non intelligat per corporalia, vt ſunt phantaſmata, ſed per ſpiritualia, ideſt per ſpecies infuſas.

LECTIO X.

S. D. nona.

Ex tex. 12. 13. 14. 15. 16 & 17. habemus ſolutionem duarum difficultatum. Prima eſt. Quomodo intellectus, qui eſt ſimplex, & immaterialis in recipiendis ſpeciebus patiatur, cum illa pati dicantur, quæ in vna communi materia communicant.

Huic

Huic autem quæſtioni iam dictum eſt, quod aliud eſt pati paſſione corruptiua, & aliud paſſione perfectiua. Nam quæ communicant in communi materia patiuntur paſſione corruptiua. Intellectus vero recipiendo ſpecies dicitur pati paſſione perfectiua.

Secunda difficultas eſt. Quomodo intellectus intelligat, & intelligatur. Huic etiã diximus, quod intellectus duo habet, ſ. quod ſit immaterialis, & conſequenter intelligibilis, & cognoſcitiuus, & conſequenter quod poſſit ſe, & aliud cognoſcere.

QVAESTIO XXI.

Vtrum ſit neceſſarium ponere in intellectu ſpecies intelligibiles.

Videtur quod non. Nam ſpecies naturaliter repræſentant. Ergo cum plures ſint ſpecies in intellectu diuerſa obiecta repræſentantes naturaliter, ſequitur quod intellectus tunc plura, ideſt omnia obiecta per ſpecies repræſentata ſimul intelligat. Sed hoc eſt contra Ariſt. Ergo.

Secundo. Nunquam ſic eſſet falſitas in intellectu. Probatur. Quia ſemper eo modo intelligeret, quo ſpecies repræſentaret.

Tertio. Aut omnium erunt ſpecies, aut ſolum obiecti materialis. Non primum, quia multa ſunt, quæ non habent phantaſmata, & conſequenter nec ſpecies. Non ſecundum, quia ſufficit vt ſenſus rem intellectui præſentet, ita vt vbi potentia inferior deſinit, ſuperior incipiat.

Quarto. Quod prius cognoſcitur, eſt primum cognitum. At ſpecies intelligibilis nõ eſt primum cognitum. Ergo tollitur.

Cogit nos importunitas argumentiũ de hac re agere, de qua etiam ſupra diximus, alia alijs addendo. Primo ergo dicimus, quod ſpecies intelligibilis ſic diffiniri poteſt.

Species intelligibilis eſt qualitas, rei intelligibilis repræſentatiua, & ab eadem re intelligibili, mediante phantaſmate, & intellectu agente in intellectu poſſibili cauſata ad faciendum rem intelligibilem eſſe præſentem intellectui in eſſe intelligibili. Hic qualitas ponitur loco generis, & ſtat pro habitu, & diſpoſitione prima ſpecie qualitatis. Cæteræ particulæ ponuntur vt differentiæ. *Speciei intelligibilis definitio.*

Secundo ergo notandum, circa ly qualitas, repræſentatiua rei intelligibilis, differentiam eſſe inter ſpeciem ſenſibilem, & intelligibilem. Nam ſpecies ſenſibilis non repræſentat rẽ intelligibilem, niſi remote, quia nondum denudata eſt a conditionibus materialibus, quod neceſſarium eſt ad hoc vt fiat intelligibilis. At ſpecies intelligibilis concurrit vt proxima forma cauſatiua intellectionis. *Eſt qualitas repræſentatiua rei intelligibilis.*

Tertio notandum circa ly cauſata a re intelligibili, phantaſmate mediãte, & intellectu agente, quod hæc tria diuerſimode cauſant intellectionem. Nam intellectio tripliciter poteſt conſiderari. Primo quoad id, quod intelligitur, & ſic cauſatur a re intelligibili per ſpeciem. Secundo quoad ea, quibus intelligitur, & hoc dupliciter. Primo tanquam a cauſa principali, & ſic producitur ab intellectu agente. Secundo tanquam ab inſtrumento, & ſic producitur a phantaſmate. Hinc patet error Ioannis Bacconi, nolentis diſtinguere ſpeciem intelligibilem a phantaſmate, dicendo, quod phantaſma illuſtratum erat ſpecies intelligibilis. Nam patet, quod Philoſophus hic aſſerit ſpeciem intelligibilem recipi in intellectu poſſibili, & ipſum actuare ſicut forma actuat materiam, & ipſum ponere in actu primo. *Mediante re ipſa, intellectu agẽte, & phantaſmate.*

Quarto notandum, quod intellectus

ctus dupliciter conſiderari poteſt. Primo ante receptionem ſpeciei intelligibilis, & ſic ſolum paſſiue concurrit ad intellectionem, quod docuit Philoſophus, quando dixit, intelligere eſſe quoddam pati. Secundo poſt receptionem ſpeciei, & ſic concurrit actiue, mediante ſpecie intelligibili, vnde intelligere eſt actio vitalis.

Cũ modo dato a ſpecie. Quinto ergo notandum, quod in intellectione duo ſunt penſanda. Primum eſt ſubſtantia intellectionis, i. ipſa intellectio, & talis eſt ab intellectu intelligente, ex quo res intellectæ denominatione extrinſeca dicuntur intelligibiles. Secundum eſt modus intellectionis, & hic eſt a ſpecie intelligibili, quæ modificat intellectum, ad ſic, vel ſic intelligendum, ex quo intellectus dicitur effici res intellecta.

Cauſæ ponendi ſpeciem intelligibilem. Sexto notandum, quod propter multas cauſas ponimus ſpecies intelligibiles. Prima eſt, vt res materialis, q̃ de ſe non eſt intelligibilis, vt talis, per ſpeciem immaterialem ab ea elicitam fiat intelligibilis. Secunda eſt, vt per eam intellectus conſtituatur in actu, cum ſit pura potentia, vt ſupra. Tertia eſt ad hoc, vt intellectus poſſit cognoſcere rem etiam abſentem, habendo apud ſe in habitu eius ſpeciem intelligibilem.

Concluſio probatur. Quoad ſecundum principale concluſio eſt. Neceſſe eſt ponere ſpeciem intelligibilem in intellectu. Probatur ex ſexto notabili.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum dicendum, quod naturaliter agere ſtat dupliciter. Primo ſemper, & ita q̃ ſic naturaliter agunt, non permittunt ſe informare altera forma, quia ſemper ſunt in actu ſecũdo, & completo. Secundo quandoque, & hæc poſſunt eſſe in habitu, vel actu iperfecto, prout ſpecies exiſtũt in intellectu, & ideo nõ fit in actu cõpleto, niſi per vnã ſpeciem, vel per plures per modũ vnius, & ideo nõ intelligit niſi vnum, vel plura per modũ vnius.

Ad ſecundum dicendum, quod duo ſunt conſideranda in intellectu. Primum eſt apprehenſio ſpeciei. Secundum, eſt compoſitio eius re per aliam ſpeciem repræſentata, vel diuiſio ab ea. In primo nunquam eſt falſitas, & de hoc procedit argumentũ. In ſecundo vero veritas, & falſitas formaliter reperiuntur.

Ad tertium dicendum, quod etiã immaterialium eſt phantaſma, & ſpecies, non ſecundum ſe, ſed ratione effectuum, per quos pro hoc ſtatu cognoſcuntur.

Ad quartum dicendum, quod ſpecies intelligibilis non eſt primum cognitum, quia non eſt quod cognoſcitur, ſed quo res cognoſcitur.

LECTIO XI.

QVAESTIO XXII.

Vtrum ſpecies intelligibilis effectiue, vel partialiter concurrat principaliter ad intellectionem, cũ intellectu.

Videtur enim, quód ſpecies principaliuſconcurrat. Nam S.D. 1. par. quæſt. 56. art. 1. dicit, quod ſpecies eſt principium formale ſenſationis, & intellectionis, ſicut calor eſt principium formale calefactionis in igne. Sed calor effectiue concurrit ad calefactionem, vt principium formale. Ergo & ſpecies ad intellectionem.

Secundó. Habitus infuſus fidei eſt neceſſarius ſimpliciter, ad eius actũ. Igitur & ſpecies. Probo ſequelam. Quia ſicut habitus adiuuat intellectum, ita ſpecies eum actuat, & eſt ei prima ratio agendi.

Tertio. Intellectus intelligit propriam ſpeciem. Igitur ipſa erit ei multo magis principium intelligendi. Probatur per illam maximam. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

Quarto. Magis agit quod eſt in actu, quam quod eſt in potentia. Sed ſpecies intelligibilis ad intellectionē concurrit vt actus, & intellectus vt potentia. Ergo.

Quinto. Dum aqua manum calefacit propter calorem, calefactio manus magis attribuitur calori quam aquæ, quia calor eſt ratio, quod aqua calefaciat. Igitur a ſimili intellectio magis attribuitur ſpeciei, quam intellectui, quia ſpecies eſt ratio, quod intellectus intelligat.

Sexto. Per Philoſophum hic, ſicut ſe habet materia in genere entium, ita ſe habet intellectus in genere intelligibilium, Sed materia prima in genere entium nihil agit. Ergo nec intellectus in genere intelligibilium.

Opiniones. Pro reſolutione huius difficultatis. Primo animaduertendum venit, quod circa eam ſunt multæ opiniones. Prima eſt quorundam, aſſerentium ſpeciem magis concurrere ad intellectionem, quam intellectum. Secunda eſt Scoti in 1. diſt. 3. quæſt. 7. & Capreoli diſt. 35. quæſt. 1. ad 5. Scoti, & conſiſtit in duobus punctis. Primum eſt, quod ſpecies actiue, & partialiter concurrit ad intellectionem, cum hoc tamen, quod principalis cauſa ſit intellectus, cum ſpecies ſit cauſa inferior. Secundū eſt, quod in intellectione ſpecies, & intellectus habent ſuam propriam cauſalitatem, vnde nec intellectus eā accipit a ſpecie, nec ſpecies ab intellectu. Tertia ſententia eſt Domini Caietani 1. par. quæſt. 79. artic. 2. dicentis, quod intellectus non habet ex ſe virtutem agendi, & intelligēdi, niſi Phyſice, ideſt quatenus eſt potentia animę, non vero formaliter, cum hoc habeat a ſpecie intelligibili, vnde formaliter non agit, niſi poſt eius receptionem.

Intellect⁹ recipit ſpeciem. Secundo notandum venit, magnū eſſe diſcrimen inter potentias appręhenſiuas, vt ſunt intellectus, & ſēſus, & appetitiuas, vt eſt voluntas. Nam appetitiuæ rapiuntur ab obiecto ad ſe, vnde non eſt voluntas, quæ trahat bonum ſuum obiectum, ſed bonum eſt, quod ad ſe rapit voluntatem. Appetitiuæ vero obiectum ad ſe trahūt, vnde ſi intellectus vult intelligere, neceſſe eſt, quod ad ſe trahat obiectum, & quia eſt materiale, & ſic ſenſibile, & non intelligibile, ideo mediante intellectu agente, ab eo elicit ſpecies intelligibiles, per quas fit in actu. Illæ autem ſpecies plures ſunt, ſicut & plura ſunt intelligibilia. Nam inter rem cognitam, & cognoſcentem debet eſſe aſſimilatio. At vna ſpecies non poteſt omnibus aſſimilari, & ideo tot erunt ſpecies repræſentantes, quot res repræſentatæ.

Propriā, vel alienam. Tertio notandum, quod quælibet res cognoſcatur per ſpeciem, dupliciter intelligi poteſt. Primo per propriā, & hoc eſt falſum, quia multa ſunt, quæ carent propria ſpecie, vt entia rationis, & ſeparata a materia. Secundo per propriam ſpeciem, vel per ſpeciē alterius ad ipſum ordinati, & ſic ens rationis cognoſcitur per ſpeciem entis realis, & malum per ſpeciem boni, & ſeparata per ſpeciem ſuorum effectuum, vnde quæ habent ordinē adinuicem, & ſi ſint diuerſa vt res ſecundum ſpeciem, vnum tamen poſſunt habere principium, quod vnius ſit immediatum, & alterius mediatum.

Species eſt ſimilitudo obiecti. Quarto notandum, quod ſpecies intelligibilis ſit ſimilitudo obiecti, bifariam intelligi poteſt. Primo cauſaliter, ideſt quod cauſet ſimilitudinē. Secundo formaliter, ideſt quod intrinſece in ſe habeat ſimilitudinem obiecti, & vtroque modo ſpecies eſt eius ſimilitudo. Cauſaliter, quia eam cauſat in intellectu, & formaliter, quia ipſa repræſentat obiectum, vt in ſe eſt.

Quinto notandum, quod ſpecies im-

Differt a verbo. impreſſa, & expreſſa, ideſt ſpecies intelligibilis, & verbum multipliciter differunt. Primo, quia ſpecies eſt principium intelligendi, ſed verbum eſt terminus intellectionis, v.g. ſpecies lapidis eſt principium intelligendi lapidem, verbum vero, ideſt conceptus formatus de lapide, ſcilicet quod eſt ſubſtantia inſenſata, eſt terminus intellectionis. Secundo, quia ſpecies vocatur imago obiecti impreſſa, & verbum expreſſa. Tertio, quia ſpecies directe non cognoſcitur, verbum vtique.

Cõcurrit per ſe ad intellectionem. Sexto notandum, vt propius ad quæſtionem accedamus, quod ſpecies intelligibilis bifariam conſiderari poteſt. Primo, vt eſt forma inhærens, eſt enim quædam qualitas, & conſequenter vt forma inhæret intellectui. Secundo, vt eſt repræſentatiua, & gerit vices rei intelligibilis. Primo modo concurrit per accidens, ad intelligere, ſed ſecundo modo per ſe.

Cum intellectu. Septimo notandum, quod intellectus bifariam conſiderari poteſt. Primo in genere rerum, & ſic eſt in actu non ſolum Phyſice, & incoatiue, verum, & formaliter, quia eſt realis, & formalis vis animæ. Secundo in genere intelligibilium, & ſic ſpecies ſe habet vt forma, & intellectus vt materia, & ideo dicitur incoatiue agere, quia in hoc differt a materia, quia ipſa eſt pura potentia in genere rerum, & ideo non habet quod agat, ſicut habet intellectus, qui in genere rerum eſt actiuus, ſed formaliter hoc habet a forma, quia ea mediante intellectus intelligit. Hic autem habeas tam de ſpeciebus ſenſibilibus, quam intelligibilibus, quod effectiue concurrunt ad ſenſationem, & intellectionem, ita docet S. D. p. p. quæſt. 56. artic. 1. & 1. 2. quæſt. 31. art. 5. Et Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 7. determinant enim potentiam vt formæ, & rationes agendi. At forma agentis eſt principium formale, effectiuum operationis. Hoc autẽ fit inquantum potentia in genere cognoſcentium per ſpeciem fit res ipſa cognoſcibilis, ſit ſecundum ſenſum, ſeu ſecundum intellectum. Et ita potentia, & ſpecies non dicuntur cauſę inſtrumentales ſenſationis, & intellectionis, ſed principales per modum vnius, quia anima agit per eas vt per proximum principium coniunctum.

Vt vnum eſt cũ eo. Sed octauo notandum venit, quod ſpecies intelligibilis dupliciter conſiderari poteſt. Primo, vt eſt actiua intellectionis. Secundo, vt eſt forma intellectus, & intellectus eſt veluti materia, & intelligere eſt ſicut eſſe rei intellectæ, & intellectus, taliter q; ex re intellecta, & intellectu magis fiat vnũ in genere intelligibilium, quam ex materia, & forma in genere rerum, quia ex materia, & forma reſultat quoddam tertium in genere rerum, ideſt compoſitum, ſed ex intellectu, & re intellecta, tertium quid non reſultat, ſed intellectus fit res intellecta (vt dixi) in genere intelligibilium. Si primo modo conſideretur ſpecies, habet rationem partis. Secundo vero modo ſe habet vt vnum cum intellectu, quia facta eſt intellectus formaliter, ideſt in genere intelligibilium. Vel poſſumus dicere, quod ſpecies antecedenter, ideſt vt actuat intellectũ, intelligitur vt pars, ſed formaliter, ideſt vt intelligitur eſſe intellectum, ſic non differt ab intellectu.

Concluſiones probãtur. Quoad ſecundum principale pono hanc concluſionem contra primã opinionem. Intellectus principaliter concurrit ad intellectionem. Probatur primo. Quod ſe habet vt forma ſubſtantialis in actione, principalius concurrit quam illud, quod concurrit ad eandem actionem, vt forma accidentalis. Sed in intellectione intellectus magis accedit, quam ſpecies ad rationem formæ ſubſtantialis, dicente Ariſtotele, quod anima eſt quo viuimus,

 uimus,

uimus, & intelligimus primo, cum iſtæ potentiæ naturaliter radicentur in eſſentia animæ, & ſpecies ab externo obiecto eliciatur. Ergo.

Secundo. Quia dicimus intellectum intelligere.

Secunda concluſio in fauorẽ Caietani. Intellectus poſt receptionem ſpeciei intelligibilis, & vt formaliter vnum factus eſt cum ipſa, principalius concurrit ad intellectionem, immo non vt pars, ſed vt vnum totum principium intellectionis. Probatur per Auerroem dicentem, quod intellectus poſt receptionem ſpeciei factus eſt vnum cum ipſa, magis quam fiat vnum ex materia, & forma. Hæc patent ex ſupradictis.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum dicendum, quod S.D. intellexit ſpeciem concurrere vt principium formale antecedenter, non autem formaliter, quia tunc non ſumitur vt ſpecies, ſed vt intellectus cũ ea identificatus.

Ad ſecundum dicitur, quod ſimilitudo currit ſumendo ſpeciem antecedenter, ſed non formaliter, vt nos de ea loquimur. Et ita patet ad tertiũ. Procedit enim de ſpecię ſumpta antecedenter, id eſt vt actuat intellectũ, & non formaliter, vt eſt intellectus. Et ſic reſpondetur ad alia. Hic autem excludes opinionem illorum qui dixerunt ſpeciem non eſſe formalem ſimilitudinem obiecti contra Ariſt. 2. de Anima tex. 21. & de memoria, & reminiſc. cap. 1. & 3. de Anima tex. 62. & S. D. p.p. quæſt. 12. art. 2. & 2. contra Gentes cap. 98. & lib. 3. cap. 99. Reddit enim potentiam ſimilẽ obiecto in eſſe repreſentatiuo, non tamen prius terminat intellectionem, quam intellectus formet verbum, vnde habet initiari intellectionem, & non terminare, & ſi paſſionem cauſat, paſſio tamen hæc perfectiua eſt, faciens potentiam per ſui vnionem ſimilẽ obiecto, & vnum cum obiecto, in eſſe intelligibili, nam in eſſe reali conſtat ſpeciem eſſe accidens, & intellectum animæ potentiam.

LECTIO XII.

QVAESTIO XXIII.

Vtrum intelligere ſit pati formaliter, & cauſaliter.

VIdetur enim, quod intellectus non patiatur, id eſt non ſit potentia paſſiua. Primo. Nam vnumquodque patitur ratione materiæ, & agit ratione formæ. Sed intellectus non habet materiam, cum ſit immaterialis, & immixtus. Ergo non patitur.

Secundo. Quod patitur, corruptibile eſt, ex Ariſt. hic tex. 20. At intellectus eſt incorruptibilis, vt pro nunc ſupponitur. Ergo.

Tertio. Potentia intellectiua nobilior eſt quam vegetatiua. Sed potentia vegetatiua agit, id eſt eſt actiua. Ergo & intellectiua. Nam nobilius eſt agere, quam pati.

Quarto. Si intellectus eſſet potentia paſſiua, eſſet vtique ratione obiecti, quia ab eo recipit ſpeciem. Sed hoc eſt falſum. Ergo. Probo minorẽ. Corporeum non agit in ſpiritum, per D. Auguſtinum 12. ſuper Gen. ad lit. cap. 16. Phantaſmata autem corporea ſunt, & anima eſt ſpiritus.

Quinto. Intelligere eſt actio vitalis. Sed actio vitalis non eſt paſſiua, ſed actiua. Ergo.

Sexto. Ariſt. 9. Methaph. tex. 16. dicit, intelligere eſſe actionem immanentem. Ergo non eſt paſſio.

Septimo arguit Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 7. Intellectio non ſolum habet, quod ſit actio vitalis, ſed etiam quod ſit determinata ad naturam talis obiecti. Sed hæc determinatio eſt ab obiecto cum intellectu. Ergo intellectus concurrit actiue cum obiecto.

Octauo. Nec dicitur pati in ordine ad ſpeciem intelligibilem. Probatur. Quia ſi obiectum eſſet vnitum potentiæ, omne id faceret, quod facit ſpecies intelligibilis, cum ipſa agat virtute obiecti. Vnde etiam S.D.p.p. quæſt.12. dicit eſſentiam diuinã, quæ eſt obiectum intellectus beati vniri intellectui, vt ſpecies intelligibilis. Ergo ſolum erit per accidens, quod intellectus patiatur a ſpecie intelligibili.

Nono. Sic etiam intellectus Angelicus eſſet paſſiuus. Probatur. Quia etiam ſpecies Angelicæ ſunt accidentales, ſuperadditæ, & receptæ in intellectu.

Sic etiam voluntas eſſet potentia paſſiua. Probatur. Quia & ipſa recipit ſuam volitionem.

Ex altera parte videtur, quod intellectus ſe toto non producat intellectionem, quia ſic idem eſſet efficiens, & materia.

Opiniones. Pro explicanda quæſtione. Primo notandum eſt, quod non ſolum hic quærimus an intelligere ſit pati, vel agere intellectus, ſed etiam an ſit pati cauſaliter, ideſt recipiendo ſpeciẽ, vel formaliter, ideſt poſtquam intellectus recipit ſpeciem, & producit intellectionem, dicatur etiam tunc pati. Nam circa præſentem quæſtionem variæ ſunt ſententiæ. Prima eſt Henrici quodlib.4. quæſt.7. negantis noſtrum intelligere eſſe pati formaliter, vel cauſaliter. Negat .n. cum Ocham in 2. quæſt. 17. & 18. Gab. d.8. quæſt. 2. Durando d.2. quæſt.6. omnem ſpeciem, & vult, quod noſtrum intelligere fiat, quia terminatur ad tale obiectum, v.g. intelligere lapidem non eſt aliquo modo pati recipiendo ſpeciem, ſed tantum eſt terminare intellectionem. Secunda ſententia eſt Scoti in 1. diſt.3. quæſt.7. & quodlib. 13. art.3. ad 2. arg. Arbitratur enim obiectum actiue ſimul cum intellectu concurrere ad intellectionem, vnde hoc non erat pati niſi per accidens. Tertia ſententia q̃ eſt Caietani p.p. quæſt 79. art.2. & Capreoli in 4. diſt.49. q.4. Ferrarienſis 2. contra Gentes, cap.60. 82. & 98. q̃ in hoc ſtat, quod noſtrũ intelligere eſt pati antecedenter, & cauſaliter, ideſt dum intellectus recipit ſpeciem cum obiecto, ſed non eſt pati formaliter, ideſt dum intellectus ſpecie informatus intelligit. Tunc enim dicitur agere, & non pati.

Intellectus patitur recipiendo ſpeciẽ in actu primo. Secundo igitur notandum, quod præſens quæſitum ſub triplici ſenſu poteſt ſtare. Primus erit, vt tunc intellectus dicatur pati dum aliquid recipit, quocunque modo illud recipiat. Secundus erit, quod dicatur pati dum actum primum tantum recipit, quia iam erat in potentia eſſentiali. Tertius erit, vt dicatur pati tam reſpectu actus primi, quam ſecundi. Primus ſenſus non eſt intentus, quia Angelicus intellectus recipit ſpecies, & tamẽ non dicitur pati, tum quia nullã ſpeciem recipit cum obiecto, tum quia nunquam intellectus Angeli intrinſece fuit in potentia ad ſuas ſpecies. Nec tertius ſenſus eſt intentus, quia vt videbimus, intellectus concurrit actiue ad actum ſecundum, ideſt ad operationem. Secundus ergo ſenſus intenditur, vt ſit quærere, an dum intellectus eſt in potentia eſſentiali ad recipiendum ſpeciem in actu primo, dum eam recipit, tunc pati dicatur, non paſſione corruptiua, ſed perfectiua, vt ſupra explicatum fuit.

Poſitiue & negatiue. Tertio notandum, quod hic loquimur de potentia receptiua, & ideo paſſiua. Hæc autem quod dicatur pati poteſt dupliciter intelligi. Primo poſitiue, quia poſitiue de potentia reducitur ad actum, & tunc dicitur pati. Secundo negatiue, quia etiam dato, quod potentia non præcederet actum, ſed eſſet illi coæua, quia tamen ex ſua natura, & intrinſece hoc ſibi non

non vendicaret, ſicut facit intellectus Angelicus, ideo ſemper hæc potentia obiecto, & actui comparata dicatur paſſiua, & vtroque modo intelligimus intellectum hominum pati, quia dato, quod intellectus Adam, Chriſti, & cuiuſcunque creati de nouo informatus omni ſpecie intelligibili, dato (inquam,) quod hi intellectus non eſſent in potentia eſſentiali ad ſpecies intelligibiles, tamen dicerentur paſſiui, quia non durationem inſpicimus, ſed naturam per ſe intellectus humani, cui accidere poteſt ab extrinſeco, quod actuetur in eius creatione.

In ordine ad obiectum, & ad ſpeciē.

Quarto notandum, quod intellectus poteſt tripliciter conſiderari. Primo in ordine, ad obiectum. Secundo in ordine ad ſpeciem. Et tertio in ordine ad intellectionem. Primo modo eſt paſſiuus, quia non agit in obiectū, ſed obiectum agit in ipſum, imprimendo in eum ſpeciem. Et ita ſecundo modo, quia intellectus poſſibilis ex ſe ſpecies non producit, ſed eas productas ab intellectu agente recipit. Tertio vero modo eſt actiuus, quia intelligere eſt actio vitalis, quod non ſolum verum eſt, dum vnam rem per vnam ſpeciem intelligit, ſed etiam dū vnam cum altera componit, vt dum componit ſpeciem montis cum ſpecie auri, & intelligit montem aureū. Sic enim actiue componit, & actiuē intelligit.

Non in ordine ad intellectionem.

Quinto notandum, quod hæc propoſitio. Intellectus dum producit intellectionem agit, & non patitur, poteſt bene & male intelligi. Male dupliciter. Primo ſi imaginemur, quod intellectus actuatus ſpecie ſolū denominatiue intelligat, & ſpecies ſola formaliter ſit actiua intellectionis. Sic enim intellectus ſuſtentaret intellectionem, & non formaliter intelligeret. Secundo, ſi intelligeremus, quod ſicut ex materia, & forma fit quoddā tertium, ita fiat ex intellectu, & re intelligibili, nam hoc fuit ſupra reiectum. Bonus ergo ſenſus erit, quod intellectus identificatus cum ſpecie intelligibili actiue, & ſe toto, & non partialiter producat intellectionem.

Concluſio probatur.

Secundo loco principali ponitur hæc concluſio. Intelligere eſt quoddam pati cauſaliter. Probatur. Intellectus exiſtens in potentia eſſentiali ad actum primum, ipſum recipit. Sed hoc eſt pati, vt patet ex ſupradictis. Ergo. Confirmatur ex doctrina Ariſ. expreſſa lib. de mem. & reminiſc. tex. 2. non longe a fine, & 2. de Anima tex. 21. vbi dicit ſenſum eſſe ſuſceptiuum ſpecierum ſine materia. Quod repetit hic tex. 134. Eſtque communis opinio. Peripat. & Scholaſticorum ſere omnium. Patet etiam experientia, quia ex ſpecie in memoria ſenſitiua, vel intellectiua conſeruata, in abſentiam obiecti, de eo recordamur &c.

Argumenta ſoluuntur.

Ad primum, & ſecundum dicitur, quod procedunt de paſſione corruptiua.

Ad tertium dicendum, quod agere eſt nobilius pati ſui generis, non autem ſuperioris, vt eſt intelligere. Habeas etiam hic ſpeciem in genere entis eſſe nobiliorem obiecto, vt immateriale materiali. Hanc autem maiorem nobilitatem non ſortitur ex obiecto, quia cum ſit eius cauſa, ſic erit ea nobilior, ſed ex agente, & recipiente, i. intellectu agente, & poſſibili cum quo vnū fit, & ideo in hoc bene dixit Ferr. 1. contra Gentes cap. 55.

Ad quartum reſpondemus ad probationem minoris, quod intellectus poſſibilis principaliter patitur ab intellectu agente, & a ſpecie recepta; quæ ſunt res ſpirituales. A phantaſmatibus autem dicitur pati ſecundario, & inſtrumentaliter, quod non eſt inconueniens.

Quintū, & ſextū pro nobis faciūt, .ſ. q intelligere, formaliter eſt agere.

Ad

Ad ſeptimum dicendum, quod determinatio non eſt ab obiecto, ſed a ſpecie, cuius officia ſunt vnire obiectum intellectui, ipſum conſtituere in actu, cum eo vniri, & ſic efficere intellectionem, vnde patet, quod ipſa concurrit per ſe, ad intellectionem, & nō per accidens, vt voluit Scotus. Hic etiam colligas, obiectum & ſpeciem non eſſe eiuſdem naturæ in eſſendo, aliter ſpecies albi non ſtaret cum ſpecie nigri, cum album & nigrum ſint contraria ſunt tamen eiuſdem rationis in repræſentando, vt docuit S.D. queſt.8. de verit. art.11. ad 3. & eſt opinio communis contra Durandū in 2. diſt.3.q.6. eſſe autem ſpecierū dicitur intentionale, & ſpirituale ſecundum eundem S. D. p.p. q.78. art.3.

Ad octauum iam diximus, & ita ad nonum in adnotationibus.

Ad decimum dicitur, quod voluntas fertur ad rem, & non eam recipit, vt intellectus facit.

Ad illud pro altera parte dicitur, quod intelligere formaliter, dupliciter poteſt conſiderari. Primo, vt eſt ab intellectu, & ſic dicitur ſimpliciter actio. Secundo, vt eſt actio immanens in eodemmet intellectu recepta, & ſic ſecundum quid dicitur pati, vnde pati ſimpliciter reſpicit actum primum, & non ſecundum.

De intellectu agente.

LECTIO. XIII. & XIV.

S. D. decima.

Datur intellectus agens.

Poſtquam Philoſophus tractauit de intellectu poſſibili, modo in tex. 17. incipit tractare de intellectu agente, & ait, quod ſicut in omni natura eſt aliquid, quod ſe habet vt materia, & potentia, & aliquid, quod ſe habet vt actus, & faciens exiſtere in actu, ita in aīa eſt duplex intellectus. Primus dicitur poſſibilis, qui eſt omnia fieri, quia eſt in potentia ad omne intelligibile. Secundus dicitur agens, qui eſt omnia facere actu intelligibilia, & hic ſe habet ad intellectum poſſibilem, ſicut lumen ad colores, quia ſicut color videtur per lumen, ita intellectus poſſibilis intelligit per illuſtrationem intellectus agentis.

Conditiones eius.

In tex. 19. vero quatuor conditiones aſſignat intellectui agenti. Prima, quod ſit ſeparabilis. Secunda, quod ſit impaſſibilis. Tertia, quod ſit immixtus, ideſt non compoſitus ex materia, nec ex naturis corporalibus, nec affixus organo corporali. Et quarta, quod ſit in actu ſecundum ſuam ſubſtantiam. Has probat tali ratione. Agens eſt nobilius patiente, ſed intellectus poſſibilis eſt ſeparatus, & immixtus. Ergo multo magis agens.

Natura intellect⁹ in actu.

In tex. 20. determinat de intellectu in actu, & dicit illum habere tres conditiones. Prima eſt, quod intellectus, & intellectum, ideſt res intellecta sūt vnum, quod non verificatur de intellectu in potentia. Secunda eſt, quod ſcire in actu abſolute eſt prius tempore, quam ſcire in potentia, quamuis in vno, & eodem prius ſit ſcire in potentia, quam in actu. Tertia eſt, quod differt ab intellectu agente, & poſſibili, quia illi quandoque intelligunt, & quandoque non. Intellectus autem in actu ſemper intelligit.

QVAESTIO. XXIII.

An detur intellectus agens.

Videtur quod non. Non datur ſenſus agens. Ergo nec intellectus. Probatur ſequela. Quia ſicut ſe habet ſenſus ad ſenſibilia, ita ſe habet intellectus ad intelligibilia.

Secundo. Si daretur, eſſet propter medium, ſicut datur lumen, vt illuminet Diaphanum, At in intell. ctū nullum

Termini explicantur. Pro intelligentia huius quæſtionis notandum eſt, quod obiectum eſt res illa, quæ immutat potentiam, imprimendo in eam ſpeciem. Quidditas vero rei materialis eſt eſſentia, ſeu natura habens eſſe in re materiali, & ſenſibili.

Potentiæ ſenſitiuæ, & intellectus diſcriminatur in obiecto. Secundo notandum venit, magnū eſſe diſcrimen inter obiectum potentiarum ſenſitiuarum, & intellectus. Nam potentiæ ſenſitiuæ cum ſint organis corporalibus affixæ, ſemper habent eundem modum immutandi, v.g. color ſemper eodem modo immutat potentiam viſiuam. Intellectus vero cum non ſit organo corporali affixus, & poſſit ſeparari, diuerſum modum ſortitur in corpore, ab eo quod habet extra corpus. Nam in corpore intelligit ſolum per conuerſionem ad phantaſmata, & conſequenter poteſt ſolum intelligere materialia, quæ habent per ſe phantaſmata, ſeparatus vero a corpore, quia intelligit per ſpecies infuſas, ideo non conuertitur ad phantaſmata, nec ſolum materialia cognoſcit. Vlterius cum potentiæ ſenſitiuæ ſint materiales, ideo pro obiecto habent rem materialem. Quia vero intellectus eſt immaterialis, ideo eius obiectum erit immateriale, ideſt quidditas rei, & non eius materialitas.

Quidditas rei materialis duplex. Tertio notandum, quod per quidditatem rei materialis tria poſſumus intelligere. Primo omnem naturam, eſſe in rebus habentem, ſit ſubſtantia, vel accidens. Secundo naturam ſingularem, & determinatam. Tertio omnem naturam, & eſſentiam ex materia, & forma compoſitam, phantaſma habentem. Per quidditatem ergo rei materialis, primum, & tertium intelligimus, & non ſecundum, quia res ſingularis non cognoſcitur directe ab intellectu noſtro.

Quarto notandum, quod pro nūc duplex eſt obiectum intellectus noſtri. Primum dicitur motiuum, quia mouet potentiam, & hoc eſt quidditas rei materialis, cum pro hoc ſtatu ſolum materialia, & ſenſata percipiamus, cum hæc tantum per ſe phantaſmata habeant. Secundum dicitur obiectum terminatiuum, quia ad ipſum tandem intellectio terminatur, ſit per proprium phantaſma, vel per phantaſma ſui effectus, vel alio titulo alienum, & tale obiectum non ſolum poterit eſſe quidditas rei materialis, verum etiam ens, vt ens, & quo libet ens, etiam ſeparatum a materia. *Obiectum duplex, motiuum, & terminatiuum.*

Terminatiuum duplex, adæquatum, & proportionatum. Quinto notandum quod obiectū terminatiuum duplex eſt. Primum dicitur adæquatum, ideſt vniuerſaliſſimum, adeo vt potentia vltra hoc obiectum nullo modo poſſit, & tale eſt ens, quia omnia, quæ intelliguntur, quatenus entia ſunt, intelliguntur, & nihil eſt quod poſſit ſubterfugere naturam, & rationem entis. Secundum vocatur proportionatum pro hoc ſtatu, & tale eſt quidditas rei materialis, quia pro hoc ſtatu non intelligimus niſi adminiculo ſenſuum, & ſubſequenter ſenſata, & materialia, ideo hæc maxime dicuntur pro nunc nobis proportionata. Alij dicunt, quod quadruplex eſt obiectum. Primum dicitur adæquationis, quia adæquat potentiam. Secundum dicitur generationis. Tertium vocatur reſolutionis, quia tandem in ipſo fit reſolutio, & iſta tria obiecta reducuntur ad ens, quod adæquat intellectum, & primo confuſe cognoſcitur, & cognita tandem in ipſum reſoluuntur. Quartum obiectum dicitur perfectionis, & hoc Deus eſt, qui perfectiſſimum ens nuncupatur.

Conditiones obiecti. Sexto notandum, quod aliud eſt loqui de obiecto, & aliud de conditionibus obiecti. Nam obiectum eſt quod intelligitur. Conditio vero eſt ratio, ſine qua non intelligeretur. Hæ autem conditiones obiecti tres ſunt.

Pri-

Prima eſt immaterialitas, quoniam immaterialitas eſt cauſa cognitionis, vnde intellectus immaterialis, non intelligit niſi immaterialiter. Secunda eſt vniuerſalitas, quia intellectus non intelligit ſingulariter, ſed vniuerſaliter. Tertia eſt veritas, vnde verum eſt obiectum, quo ideſt conditio obiecti cogniti.

Concluſio probatur. Quoad ſecundum principale concluſio eſt. Obiectum formale, & proportionatum intellectui noſtro pro hoc ſtatu, eſt quidditas rei materialis. Probatur. Illud eſt obiectum proportionatum intellectus poſſibilis, quod per operationem intellectus agentis fit intelligibile in actu. Talis eſt quidditas rei materialis. Ergo. Maior patet ex dictis Philoſophi ſupra. Minor probatur, quia materialia ſecundum ſe non ſunt intelligibilia, niſi per intellectum abſtrahantur a ſingularitate, & a materia. Ita etiam ſeparata omnino a materia non intelliguntur niſi per effectus materiales.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum dicendum, quod maior valet de obiecto adæquato, & terminatiuo, nos vero loquimur de proportionato, motiuo, & terminatiuo diuerſimode, vt ſupra.

Ad ſecundum negatur aſſumptũ, quia nos non ponimus materiam eſſe obiectum, ſed quidditatem rei materialis, & ideo quanto magis res materiales a ſingularitate, & materialitate ſeparantur, & ad ſuam quidditatem accedunt, tanto magis fiunt intelligibiles.

Ad tertium dicendum, quod eſt obiectũ vt ſeparatã. Ad improbationem autem dicitur, quod ens rationis habet ſolum eſſe obiecti[illegible]um, & non reale, modo quidditas rei materialis eſt quidditas rei realis. Abſtractio autem eſt conditio ſine qua non.

Ad quartum dicendum, quod illa ſpecies effectiue, & formaliter fit ab intellectu agente, faciente vniuerſalitatem, a phantaſmate vero non eſt niſi inſtrumentaliter.

Ad quintum dicimus, quod procedit de obiecto adæquato.

Ad ſextum dicendum ad maiorẽ, quod obiectum proportionatum intellectus debet per ſe intelligi, & eſſe terminus intellectionis, modo accidens non cognoſcitur niſi in ordine ad ſubſtantiam, & virtute ſubſtantiæ.

Ad confirmationem vero dicitur, quod accidentia iuuant cognitionem perfectam quod quid eſt, ſed ſubſtantia eſt eis prior cognitione, per Ariſt. 7. Methaph.

Ad ſeptimum dicendum, quod cõcludit cognitionem perfectam, & imperfectam eſſe per conuerſionem ad phantaſmata. Nam ſi cognitio perfecta, quæ eſt prior fit per conuerſionẽ ad phãtaſmata, multo magis hoc modo fiet cognitio materialior, ideſt minus perfecta.

Ad octauum dicendum, quod anima corpori paſſibili vnita habet pro naturali, quod conuertatur ad phantaſmata, & ideo hoc etiã fuit in Adamo. At vniri corpori impaſſibili eſt quid ſuper naturale, vnde cum anima ingreditur ordinem ſuperiorem, eo modo intelligit, quo illi ordini conuenit. Congruit autem ſubſtantiæ ſeparatæ a corpore, quod non intelligat per corporalia, vt ſunt phantaſmata, ſed per ſpiritualia, ideſt per ſpecies infuſas.

LECTIO X.

S. D. nona.

Ex tex. 12. 13. 14. 15. 16 & 17. habemus ſolutionem duarum difficultatum. Prima eſt. Quomodo intellectus, qui eſt ſimplex, & immaterialis in recipiendis ſpeciebus patiatur, cum illa pati dicantur, quæ in vna communi materia communicant.

Huic

ctus dupliciter conſiderari poteſt. Primo ante receptionem ſpeciei intelligibilis, & ſic ſolum paſſiue concurrit ad intellectionem, quod docuit Philoſophus, quando dixit, intelligere eſſe quoddam pati. Secundo poſt receptionem ſpeciei, & ſic concurrit actiue, mediante ſpecie intelligibili, vnde intelligere eſt actio vitalis.

Cū modo dato a ſpecie.

Quinto ergo notandum, quod in intellectione duo ſunt penſanda. Primum eſt ſubſtantia intellectionis, i. ipſa intellectio, & talis eſt ab intellectu intelligente, ex quo res intellectæ denominatione extrinſeca dicuntur intelligibiles. Secundum eſt modus intellectionis, & hic eſt a ſpecie intelligibili, quæ modificat intellectum, ad ſic, vel ſic intelligendum, ex quo intellectus dicitur effici res intellecta.

Cauſa ponendi ſpeciem intelligibilem.

Sexto notandum, quod propter multas cauſas ponimus ſpecies intelligibiles. Prima eſt, vt res materialis, q̄ de ſe non eſt intelligibilis, vt talis, per ſpeciem immaterialem ab ea elicitam fiat intelligibilis. Secunda eſt, vt per eam intellectus conſtituatur in actu, cum ſit pura potentia, vt ſupra. Tertia eſt ad hoc, vt intellectus poſſit cognoſcere rem etiam abſentem, habendo apud ſe in habitu, eius ſpeciem intelligibilem.

Concluſio probatur.

Quoad ſecundum principale concluſio eſt. Neceſſe eſt ponere ſpeciem intelligibilem in intellectu. Probatur ex ſexto notabili.

Argumēta ſoluuntur.

Ad primum dicendum, quod naturaliter agere ſtat dupliciter. Primo ſemper, & ita q̄ ſic naturaliter agunt, non permittunt ſe informare altera forma, quia ſemper ſunt in actu ſecūdo, & completo. Secundo quandoque, & hæc poſſunt eſſe in habitu, vel actu imperfecto, prout ſpecies exiſtūt in intellectu, & ideo nō ſit in actu cōpleto, niſi per vnā ſpeciem, vel per plures per modū vnius, & ideo nō intelligit niſi vnum, vel plura per modū vnius.

Ad ſecundum dicendum, quod duo ſunt conſideranda in intellectu. Primum eſt appręhenſio ſpeciei. Secundum, eſt compoſitio enim re per aliam ſpeciem repræſentata, vel diuiſio ab ea. In primo nunquam eſt falſitas, & de hoc procedit argumentū. In ſecundo vero veritas, & falſitas formaliter reperiuntur.

Ad tertium dicendum, quod etiā immaterialium eſt phantaſma, & ſpecies, non ſecundum ſe, ſed ratione effectuum, per quos pro hoc ſtatu cognoſcuntur.

Ad quartum dicendum, quod ſpecies intelligibilis non eſt primum cognitum, quia non eſt quod cognoſcitur, ſed quo res cognoſcitur.

LECTIO XI.

QVAESTIO XXII.

Vtrum ſpecies intelligibilis effectiue, vel partialiter concurrat principaliter ad intellectionem, cū intellectu.

Videtur enim, quod ſpecies principalius concurrat. Nam S. D. 1. par. quæſt. 56. art. 1. dicit, quod ſpecies eſt principium formale ſenſationis, & intellectionis, ſicut calor eſt principium formale calefactionis in igne. Sed calor effectiue concurrit ad calefactionem, vt principium formale. Ergo & ſpecies ad intellectionem.

Secundo. Habitus infuſus fidei eſt neceſſarius ſimpliciter, ad eius actū. Igitur & ſpecies. Probo ſequelam. Quia ſicut habitus adiuuat intellectum, ita ſpecies eum actuat, & eſt ei prima ratio agendi.

Tertio. Intellectus intelligit propriam ſpeciem. Igitur ipſa erit ei multo magis principium intelligendi. Probatur per illam maximam. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

Quarto. Magis agit quod eſt in actu, quam quod eſt in potentia. Sed ſpecies intelligibilis ad intellectionē concurrit vt actus, & intellectus vt potentia. Ergo.

Quinto. Dum aqua manum calefacit propter calorem, calefactio manus magis attribuitur calori quam aquæ, quia calor eſt ratio, quod aqua calefaciat. Igitur a ſimili intellectio magis attribuitur ſpeciei, quam intellectui, quia ſpecies eſt ratio, quod intellectus intelligat.

Sexto. Per Philoſophum hic, ſicut ſe habet materia in genere entium, ita ſe habet intellectus in genere intelligibilium, Sed materia prima in genere entium nihil agit. Ergo nec intellectus in genere intelligibilium.

Opiniones. Pro reſolutione huius difficultatis. Primo animaduertendum venit, quod circa eam ſunt multæ opiniones. Prima eſt quorundam, aſſerentium ſpeciem magis concurrere ad intellectionem, quam intellectum. Secunda eſt Scoti in 1. diſt. 3. quæſt. 7. & Capreoli diſt. 35. quæſt. 1. ad 5. Scoti, & conſiſtit in duobus punctis. Primum eſt, quod ſpecies actiue, & partialiter concurrit ad intellectionem, cum hoc tamen, quod principalis cauſa ſit intellectus, cum ſpecies ſit cauſa inferior. Secundū eſt, quod in intellectione ſpecies, & intellectus habent ſuam propriam cauſalitatem, vnde nec intellectus eā accipit a ſpecie, nec ſpecies ab intellectu. Tertia ſententia eſt Domini Caietani 1. par. quæſt. 79. artic. 2. dicentis, quod intellectus non habet ex ſe virtutem agendi, & intelligēdi, niſi Phyſice, ideſt quatenus eſt potentia animę, non vero formaliter, cum hoc habeat a ſpecie intelligibili, vnde formaliter non agit, niſi poſt eius receptionem.

Intellectus recipit ſpeciem. Secundo notandum venit, magnū eſſe diſcrimen inter potentias apprehenſiuas, vt ſunt intellectus, & ſenſus, & appetitiuas, vt eſt voluntas. Nam appetitiuæ rapiuntur ab obiecto ad ſe, vnde non eſt voluntas, quæ trahat bonum ſuum obiectum, ſed bonum eſt, quod ad ſe rapit voluntatem. Apprehenſiuæ vero obiectum ad ſe trahūt, vnde ſi intellectus vult intelligere, neceſſe eſt, quod ad ſe trahat obiectum, & quia eſt materiale, & ſic ſenſibile, & non intelligibile, ideo mediante intellectu agente, ab eo elicit ſpecies intelligibiles, per quas fit in actu. Hæ autem ſpecies plures ſunt, ſicut & plura ſunt intelligibilia. Nam inter rem cognitam, & cognoſcentem debet eſſe aſſimilatio. At vna ſpecies non poteſt omnibus aſſimilari, & ideo tot erunt ſpecies repræſentantes, quot res repræſentatæ.

Propriā, vel alienam. Tertio notandum, quod quælibet res cognoſcatur per ſpeciem, dupliciter intelligi poteſt. Primo per propriā, & hoc eſt falſum; quia multa ſunt, quæ carent propria ſpecie, vt entia rationis, & ſeparata a materia. Secundo per propriam ſpeciem, vel per ſpeciē alterius ad ipſum ordinati, & ſic ens rationis cognoſcitur per ſpeciem entis realis, & malum per ſpeciem boni, & ſeparata per ſpeciem ſuorum effectuum, vnde quæ habent ordinē adinuicem, & ſi ſint diuerſa vt res ſecundum ſpeciem, vnum tamen poſſunt habere principium, quod vnius ſit immediatum, & alterius mediatum.

Species eſt ſimilitudo obiecti. Quarto notandum, quod ſpecies intelligibilis ſit ſimilitudo obiecti, bifariam intelligi poteſt. Primo cauſaliter, ideſt quod cauſet ſimilitudinē. Secundo formaliter, ideſt quod intrinſece in ſe habeat ſimilitudinem obiecti, & vtroque modo ſpecies eſt eius ſimilitudo. Cauſaliter, quia eam cauſat in intellectu, & formaliter, quia ipſa repræſentat obiectum, vt in ſe eſt.

Quinto notandum, quod ſpecies im-

Differt a verbo. impreſſa,& expreſſa,ideſt ſpecies intelligibilis, & verbum multipliciter differunt. Primo, quia ſpecies eſt principium intelligendi, ſed verbum eſt terminus intellectionis, v.g. ſpecies lapidis eſt principium intelligendi lapidem, verbum vero, ideſt conceptus formatus de lapide, ſcilicet quod eſt ſubſtantia inſenſata, eſt terminus intellectionis. Secundo, quia ſpecies vocatur imago obiecti impreſſa, & verbum expreſſa. Tertio, quia ſpecies directe non cognoſcitur, verbum vtique.

Cõcurrit per ſe ad intellectionem. Sexto notandum, vt propius ad quæſtionem accedamus, quod ſpecies intelligibilis bifariam conſiderari poteſt. Primo, vt eſt forma inhærens, eſt enim quædam qualitas, & conſequenter vt forma inhæret intellectui. Secundo, vt eſt repræſentatiua, & gerit vices rei intelligibilis. Primo modo concurrit per accidens, ad intelligere, ſed ſecundo modo per ſe.

Cum intellectu. Septimo notandum, quod intellectus bifariam conſiderari poteſt. Primo in genere rerum, & ſic eſt in actu non ſolum Phyſice, & incoatiue, verum, & formaliter, quia eſt realis, & formalis vis animæ. Secundo in genere intelligibilium, & ſic ſpecies ſe habet vt forma, & intellectus vt materia, & ideo dicitur incoatiue agere, quia in hoc differt a materia, quia ipſa eſt pura potentia in genere rerum, & ideo non habet quod agat, ſicut habet intellectus, qui in genere rerum eſt actiuus, ſed formaliter hoc habet a forma, quia ea mediante intellectus intelligit. Hic autem habeas tam de ſpeciebus ſenſibilibus, quam intelligibilibus, quod effectiue concurrunt ad ſenſationem, & intellectionem, ita docet S.D. p.p. quæſt. 56. artic. 1. & 1. 2. quæſt. 3 1. art. 5. Et Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 7. determinant enim potentiam vt formæ, & rationes agendi. At forma agentis eſt principium formale, effectiuum operationis. Hoc autẽ fit inquantum potentia in genere cognoſcentium per ſpeciem fit res ipſa cognoſcibilis, ſit ſecundum ſenſum, ſeu ſecundum intellectum. Et ita potentiæ, & ſpecies non dicuntur cauſæ inſtrumentales ſenſationis, & intellectionis, ſed principales per modum vnius, quia anima agit per eas vt per proximum principium coniunctium.

Sed octauo notandum venit, quod ſpecies intelligibilis dupliciter conſiderari poteſt. Primo, vt eſt actiua intellectionis. Secundo, vt eſt forma intellectus, & intellectus eſt veluti materia, & intelligere eſt ſicut eſſe rei intellectæ, & intellectus, taliter q; ex re intellecta, & intellectu magis fiat vnũ in genere intelligibilium, quam ex materia, & forma in genere rerum, quia ex materia, & forma reſultat quoddam tertium in genere rerum, ideſt compoſitum, ſed ex intellectu, & re intellecta, tertium quid non reſultat, ſed intellectus fit res intellecta (vt dixi) in genere intelligibilium. Si primo modo conſideretur ſpecies, habet rationem partis. Secundo vero modo ſe habet vt vnum cum intellectu, quia facta eſt intellectus formaliter, ideſt in genere intelligibilium. Vel poſſumus dicere, quod ſpecies antecedenter, ideſt vt actuat intellectũ, intelligitur vt pars, ſed formaliter, ideſt vt intelligitur eſſe intellectum, ſic non differt ab intellectu. *Vt vnum eſt cũ co.*

Concluſiones probãtur. Quoad ſecundum principale pono hanc concluſionem contra primã opinionem. Intellectus principaliter concurrit ad intellectionem. Probatur primo. Quod ſe habet vt forma ſubſtantialis in actione, principalius concurrit quam illud, quod concurrit ad eandem actionem, vt forma accidentalis. Sed in intellectione intellectus magis accedit, quam ſpecies ad rationem formæ ſubſtantialis, dicente Ariſtotele, quod anima eſt quo viuimus,

uimus, & intelligimus primo, cum iſtæ potentiæ naturaliter radicentur in eſſentia animæ,& ſpecies ab'externo obiecto eliciatur. Ergo.

Secundo. Quia dicimus intellectum intelligere.

Secunda concluſio in fauorē Caietani. Intellectus poſt receptionem ſpeciei intelligibilis, & vt formaliter vnum factus eſt cum ipſa, principalius concurrit ad intellectionem, immo non vt pars, ſed vt vnum totum principium intellectionis. Probatur per Auerroem dicentem, quod intellectus poſt receptionem ſpeciei factus eſt vnum cum ipſa, magis quam fiat vnum ex materia,& forma. Hæc patent ex ſupradictis.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum dicendum, quod S. D. intellexit ſpeciem concurrere vt principium formale antecedenter, non autem formaliter, quia tunc non ſumitur vt ſpecies, ſed vt intellectus cũ ea identificatus.

Ad ſecundum dicitur, quod ſimilitudo currit ſumendo ſpeciem antecedenter, ſed non formaliter, vt nos de ea loquimur. Et ita patet ad tertiũ. Procedit enim de ſpecie ſumpta antecedenter, ideſt vt actuat intellectũ, & non formaliter, vt eſt intellectus. Et ſic reſpondetur ad alia. Hic autem excludes opinionem illorum qui dixerunt ſpeciem non eſſe formalem ſimilitudinem obiecti contra Ariſt. 2. de Anima tex. 21. & de memoria, & reminiſc. cap. 1. & 3. de Anima tex. 62. & S. D. p. p. quæſt. 12. art. 2. & 2. contra Gentes cap. 98. & lib. 3. cap. 99. Reddit enim potentiam ſimilē obiecto in eſſe repreſentatiuo, non tamen prius terminat intellectionem, quam intellectus formet verbum, vnde habet inimari intellectionem, & non terminare, & ſi paſſionem cauſat, paſſio tamen hæc perfectiua eſt, faciens potentiam per ſui vnionem ſimilē obiecto, & vnum cum obiecto, in eſſe intelligibili, nam in eſſe reali conſtat ſpeciem eſſe accidens, & intellectum animæ potentiam.

LECTIO XII.

QVAESTIO XXIII.

Vtrum intelligere ſit pati formaliter, & cauſaliter.

Videtur enim, quod intellectus non patiatur, ideſt non ſit potentia paſſiua. Primo. Nam vnumquodque patitur ratione materiæ, & agit ratione formæ. Sed intellectus non habet materiam, cum ſit immaterialis, & immixtus. Ergo non patitur.

Secundo. Quod patitur, corruptibile eſt, ex Ariſt. hic tex. 20. At intellectus eſt incorruptibilis, vt pro nunc ſupponitur. Ergo.

Tertio. Potentia intellectiua nobilior eſt quam vegetatiua. Sed potentia vegetatiua agit, ideſt eſt actiua. Ergo & intellectiua. Nam nobilius eſt agere, quam pati.

Quarto. Si intellectus eſſet potentia paſſiua, eſſet vtique ratione obiecti, quia ab eo recipit ſpeciem. Sed hoc eſt falſum. Ergo. Probo minorē. Corporeum non agit in ſpiritum, per D. Auguſtinum 12. ſuper Gen. ad lit. cap. 16. Phantaſmata autem corporea ſunt, & anima eſt ſpiritus.

Quinto. Intelligere eſt actio vitalis. Sed actio vitalis non eſt paſſiua, ſed actiua. Ergo.

Sexto. Ariſt. 9. Methaph. tex. 16. dicit, intelligere eſſe actionem immanentem. Ergo non eſt paſſio.

Septimo arguit Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 7. Intellectio non ſolum habet, quod ſit actio vitalis, ſed etiam quod ſit determinata ad naturam talis obiecti. Sed hæc determinatio eſt ab obiecto cum intellectu. Ergo intellectus concurrit actiue cum obiecto.

Octa-

Octauo. Nec dicitur pati in ordine ad ſpeciem intelligibilem. Probatur. Quia ſi obiectum eſſet vnitum potentiæ, omne id faceret, quod facit ſpecies intelligibilis, cum ipſa agat virtute obiecti. Vnde etiam S. D. p. p. quæſt. 12. dicit eſſentiam diuinã, quæ eſt obiectum intellectus beati vniri intellectui, vt ſpecies intelligibilis. Ergo ſolum erit per accidens, quod intellectus patiatur a ſpecie intelligibili.

Nono. Sic etiam intellectus Angelicus eſſet paſſiuus. Probatur. Quia etiam ſpecies Angelicæ ſunt accidentales, ſuperadditæ, & receptæ in intellectu.

Sic etiam voluntas eſſet potentia paſſiua. Probatur. Quia & ipſa recipit ſuam volitionem.

Ex altera parte videtur, quod intellectus ſe toto non producat intellectionem, quia ſic idem eſſet efficiens, & materia.

Opiniones. Pro explicanda quæſtione. Primo notandum eſt, quod non ſolum hic quærimus an intelligere ſit pati, vel agere intellectus, ſed etiam an ſit pati cauſaliter, ideſt recipiendo ſpeciẽ, vel formaliter, ideſt poſtquam intellectus recipit ſpeciem, & producit intellectionem, dicatur etiam tunc pati. Nam circa præſentem quæſtionem variæ ſunt ſententiæ. Prima eſt Henrici quodlib. 4. quæſt. 7. negantis noſtrum intelligere eſſe pati formaliter, vel cauſaliter. Negat. n. cum Ocham in 2. quæſt. 17. & 18. Gab. d. 8. quæſt. 2. Durando d. 2. quæſt. 6. omnem ſpeciem, & vult, quod noſtrum intelligere fiat, quia terminatur ad tale obiectum, v. g. intelligere lapidem non eſt aliquo modo pati recipiendo ſpeciem, ſed tantum eſt terminare intellectionem. Secunda ſententia eſt Scoti, in 1. diſt. 3. quæſt. 7. & quodlib. 13. art. 3. ad 2. arg. Arbitratur enim obiectum actiue ſimul cum intellectu concurrere ad intellectionem, vnde hoc non erat pati niſi per accidens. Tertia ſententia q̃ eſt Caietani p. p. quæſt. 79. art. 2. & Capreoli in 4. diſt. 49. q. 4. Ferrarienſis 2. contra Gentes, cap. 60. 82. & 98. q̃ in hoc ſtat, quod noſtrũ intelligere eſt pati antecedenter, & cauſaliter, ideſt dum intellectus recipit ſpeciem cum obiecto, ſed non eſt pati formaliter, ideſt dum intellectus ſpecie informatus intelligit. Tunc enim dicitur agere, & non pati.

Intellect⁹ patitur p cipiendo ſpeciẽ in actu primo. Secundo igitur notandum, quod præſens quæſitum ſub triplici ſenſu poteſt ſtare. Primus erit, vt tunc intellectus dicatur pati dum aliquid recipit, quocunque modo illud recipiat. Secundus erit, quod dicatur pati dum actum primum tantum recipit, quia iam erat in potentia eſſentiali. Tertius erit, vt dicatur pati tam reſpectu actus primi, quam ſecundi. Primus ſenſus non eſt intentus, quia Angelicus intellectus recipit ſpecies, & tamẽ non dicitur pati, tum quia nullã ſpeciem recipit cum obiecto, tum quia nunquam intellectus Angeli intrinſece fuit in potentia ad ſuas ſpecies. Nec tertius ſenſus eſt intentus, quia vt videbimus, intellectus concurrit actiue ad actum ſecundum, ideſt ad operationem. Secundus ergo ſenſus intenditur, vt ſit quærere, an dum intellectus eſt in potentia eſſentiali ad recipiendum ſpeciem in actu primo, dum eam recipit, tunc pati dicatur, non paſſione corruptiua, ſed perfectiua, vt ſupra explicatum fuit.

Poſitiue, & negatiue. Tertio notandum, quod hic loquimur de potentia receptiua, & ideo paſſiua. Hæc autem quod dicatur pati poteſt dupliciter intelligi. Primo poſitiue, quia poſitiue de potentia reducitur ad actum, & tunc dicitur pati. Secundo negatiue, quia etiam dato, quod potentia non præcederet actum, ſed eſſet illi coæua, quia tamen ex ſua natura, & intrinſece hoc ſibi non

non vendicaret, ſicut facit intellectus Angelicus, ideo ſemper hæc potentia obiecto, & actui comparata dicatur paſſiua, & vtroque modo intelligimus intellectum hominum pati, quia dato, quod intellectus Adam, Chriſti, & cuiuſcunque creati de nouo informatus omni ſpecie intelligibili, dato (inquam,) quod hi intellectus non eſſent in potentia eſſentiali ad ſpecies intelligibiles, tamen dicerentur paſſiui, quia non durationem inſpicimus, ſed naturam per ſe intellectus humani, cui accidere poteſt ab extrinſeco, quod actuetur in eius creatione.

In ordine ad obiectum, & ad ſpeciē. Quarto notandum, quod intellectus poteſt tripliciter conſiderari. Primo in ordine ad obiectum. Secundo in ordine ad ſpeciem. Et tertio in ordine ad intellectionem. Primo modo eſt paſſiuus, quia non agit in obiectū, ſed obiectum agit in ipſum, imprimendo in eum ſpeciem. Et ita ſecundo modo, quia intellectus poſſibilis ex ſe ſpecies non producit, ſed eas productas ab intellectu agente recipit. Tertio vero modo eſt actiuus, quia intelligere eſt actio vitalis, quod non ſolum verum eſt, dum vnam rem per vnam ſpeciem intelligit, ſed etiam dū vnam cum altera componit, vt dum componit ſpeciem montis cum ſpecie auri, & intelligit montem aureū. Sic enim actiue componit, & actiue intelligit.

Non in ordine ad intellectionem. Quinto notandum, quod hæc propoſitio. Intellectus dum producit intellectionem agit, & non patitur, poteſt bene & male intelligi. Male dupliciter. Primo ſi imaginemur, quod intellectus actuatus ſpecie ſolū denominatiue intelligat, & ſpecies ſola formaliter ſit actiua intellectionis. Sic enim intellectus ſuſtentaret intellectionem, & non formaliter intelligeret. Secundo, ſi intelligeremus, quod ſicut ex materia, & forma fit quoddā tertium, ita fiat ex intellectu, & re intelligibili, nam hoc fuit ſupra reiectum. Bonus ergo ſenſus erit, quod intellectus identificatus cum ſpecie intelligibili actiue, & ſe toto, & non partialiter producat intellectionem.

Concluſio probatur. Secundo loco principali ponitur hæc concluſio. Intelligere eſt quoddam pati cauſaliter. Probatur. Intellectus exiſtens in potentia eſſentiali ad actum primum, ipſum recipit. Sed hoc eſt pati, vt patet ex ſupradictis. Ergo. Confirmatur ex doctrina Ariſt. expreſſa lib. de mem. & reminiſc. tex. 2. non longe a fine, & 2. de Anima tex. 21. vbi dicit ſenſum eſſe ſuſceptiuum ſpecierum ſine materia. Quod repetit hic tex. 134. Eſtque communis opinio. Peripat. & Scholaſticorum fere omnium. Patet etiam experientia, quia ex ſpecie in memoria ſenſitiua, vel intellectiua conſeruata, in abſentiam obiecti, de eo recordamur &c.

Argumenta ſoluuntur. Ad primum, & ſecundum dicitur, quod procedunt de paſſione corruptiua.

Ad tertium dicendum, quod agere eſt nobilius pati ſui generis, non autem ſuperioris, vt eſt intelligere. Habeas etiam hic ſpeciem in genere entis eſſe nobiliorem obiecto, vt immateriale materiali. Hanc autem maiorem nobilitatem non ſortitur ex obiecto, quia cum ſit eius cauſa, ſic erit ea nobilior, ſed ex agente, & recipiente, i. intellectu agente, & poſſibili cum quo vnū fit, & ideo in hoc bene dixit Ferr. 1. contra Gentes cap. 65.

Ad quartum reſpondemus ad probationem minoris, quod intellectus poſſibilis principaliter patitur ab intellectu agente, & a ſpecie recepta, quæ ſunt res ſpirituales. A phantaſmatibus autem dicitur pati ſecundario, & inſtrumentaliter, quod non eſt inconueniens.

Quintū, & ſextū pro nobis faciūt, ſ. quia intelligere, formaliter eſt agere.

Ad

Ad ſeptimum dicendum, quod determinatio non eſt ab obiecto, ſed a ſpecie, cuius officia ſunt vnire obiectum intellectui, ipſum conſtituere in actu, cum eo vniri, & ſic efficere intellectionem, vnde patet, quod ipſa concurrit per ſe, ad intellectionem, & nõ per accidens, vt voluit Scotus. Hic etiam colligas, obiectum & ſpeciem non eſſe eiuſdem naturæ in eſſendo, aliter ſpecies albi non ſtaret cum ſpecie nigri, cum album & nigrum ſint contraria ſunt tamen ejuſdem rationis in repręſentando, vt docuit S.D. quęſt.8. de verit. art.11. ad 3. & eſt opinio communis contra Durandũ in 2. diſt.3.q.6. eſſe autem ſpecierũ dicitur intentionale, & ſpirituale ſecundum eundem S. D. p.p. q.78. art.3.

Ad octauum iam diximus, & ita ad nonum in adnotationibus.

Ad decimum dicitur, quod voluntas fertur ad rem, & non eam recipit, vt intellectus facit.

Ad illud pro altera parte dicitur, quod intelligere formaliter, dupliciter poteſt conſiderari. Primo, vt eſt ab intellectu, & ſic dicitur ſimpliciter actio. Secundo, vt eſt actio immanens in eodemmet intellectu recepta, & ſic ſecundum quid dicitur pati, vnde pati ſimpliciter reſpicit actum primum, & non ſecundum.

De intellectu agente.

LECTIO XIII. & XIV.

S. D. decima.

Datur intellectus agens. POſtquam Philoſophus tractauit de intellectu poſſibili, modo in tex. 17. incipit tractare de intellectu agente, & ait, quod ſicut in omni natura eſt aliquid, quod ſe habet vt materia, & potentia, & aliquid, quod ſe habet vt actus, & faciens exiſtere in actu, ita in aia eſt duplex intellectus. Primus dicitur poſſibilis, qui eſt omnia fieri, quia eſt in potentia ad omne intelligibile. Secundus dicitur agens, qui eſt omnia facere actu intelligibilia, & hic ſe habet ad intellectum poſſibilem, ſicut lumen ad colores, quia ſicut color videtur per lumen, ita intellectus poſſibilis intelligit per illuſtrationem intellectus agentis.

Conditiones eius. In tex. 19. vero quatuor conditiones aſſignat intellectui agenti. Prima, quod ſit ſeparabilis. Secunda, quod ſit impaſſibilis. Tertia, quod ſit immixtus, id eſt non compoſitus ex materia, nec ex naturis corporalibus, nec affixus organo corporali. Et quarta, quod ſit in actu ſecundum ſuam ſubſtantiam. Has probat tali ratione. Agens eſt nobilius patiente, ſed intellectus poſſibilis eſt ſeparatus, & immixtus. Ergo multo magis agens.

Natura intellect. in actu. In tex. 20. determinat de intellectu in actu, & dicit illum habere tres conditiones. Prima eſt, quod intellectus, & intellectum, id eſt res intellecta sũt vnum, quod non verificatur de intellectu in potentia. Secunda eſt, quod ſcire in actu abſolute eſt prius tempore, quam ſcire in potentia, quamuis in vno, & eodem prius ſit ſcire in potentia, quam in actu. Tertia eſt, quod differt ab intellectu agente, & poſſibili, quia illi quandoque intelligunt, & quandoque non. Intellectus autem in actu ſemper intelligit.

QVAESTIO XXIII.

An detur intellectus agens.

VIdetur quod non. Non datur ſenſus agens. Ergo nec intellectus. Probatur ſequela. Quia ſicut ſe habet ſenſus ad ſenſibilia, ita ſe habet intellectus ad intelligibilia.

Secundo. Si daretur, eſſet propter medium, ſicut datur lumen, vt illuminet Diaphanum. At in intellectu nullum

nullum eſt medium. Ergo.

Tertio. Intellectus poſſibilis eſt im materialis, & ita ſpecies intelligibilis. Ergo poteſt intellectus poſſibilis ſine agente recipere ſpecies, quia vnumquodque recipitur ſecundum modum recipientis.

Quarto. Sic daretur quid nobilius in homine intellectu poſſibili. Sed hoc eſt falſum. Quia nulla eſt vis in homine nobilior principio intellectionis, & ipſo intelligere, quæ pertinent ad intellectum poſſibilem.

Quinto. Sicut ſe habet lumen ad colores, ita intellectus agens ad intelligibilia per Ariſtotelem hic. Sed lumen non facit colores actu viſibiles, vt in ſecundo probatum fuit. Ergo.

Sexto. Sic ſemper homo intelligeret. Nam præſentibus actiuis, & paſſiuis proportionatis ſequitur actio, ſi actiuum eſt naturale; Sed intellectus poſſibilis, & agens ſemper adſunt, & ſpecies repræſentāt naturaliter. Ergo.

Septimo. Nec valet ratio Ariſtotelis (aiunt aliqui,) quia natura angelica eſt quandoque in potentia ad cognoſcendas plures veritates, & tamen in ea non ponitur intellectus agens.

Octauo. Saltem res immateriales ſecundum ſe ſunt intelligibiles. Ergo ſaltem reſpectu ipſarum non eſt dandus intellectus agens, qui faciat eas intelligibiles.

Nono. Potentiæ animæ remanent in anima, etiam ſeparata, Sed intellectus agens non remanet in anima ſeparata, cum tunc nec habeat illuminare phantaſmata, nec abſtrahere ſpecies. Ergo.

Decimo. Chriſtus fuit eiuſdem ſpeciei cū alijs hominibus. Sed in Chriſto Domino nullam videtur potuiſſe habere operationem ſecundum S.D. in tertio diſt. quartadecima, quæſt. 5. art. 5. ad tertium.

Vndecimo. Res materialis v.g. color, immutat ſenſum intentionaliter, i. oculum. Ergo non eſt inconueniēs pariter, quod ſpecies in interiori ſenſu poſita, abſque intellectu agente producat in intellectu ſpeciem immaterialem altioris ordinis.

Duodecimo. Obiectum ſenſibile, quod eſt ſenſatum, & in imaginatiua poſitum poteſt producere ſpeciem non ſenſatam in cogitatiua. Ergo cogitatiua poterit producere in intellectu poſſibili ſpeciem immaterialem. Probatur. Quia ſicut ſe habet ſenſatum ad nō ſenſatum, ita ſe habet materiale ad immateriale. At ſenſatum vt ſupra producit inſenſatum. Ergo & materiale immateriale. Confirmatur ſecundo. Quia ſupremum infimi attingit infimum ſupremi. Ergo obiectum cogitatiuæ attingit infimum ſupremi, ſ. intellectus immaterialis.

Tertiodecimo. Quicumque intellectus habet operationem, per quam intelligit (cum ex hoc dicatur intellectus.) Sed intellectus agens non intelligit per Ariſt. hic tex. 17.

Quartodecimo. Arguit Durādus. Aut operatio propter quam ponitur intellectus agens eſt neceſſaria propter phantaſmata, aut ratione intellectus, vel ratione vtriuſque. Non primum, quia vel eſſet neceſſaria, vt in ipſa phantaſmata ageret, vel vt ab eis ſpeciem intelligibilem abſtraheret, vt S.D. docet. Non primum, quia cum effectus ſit materialis, ſicut ſunt ipſa phantaſmata, non magis mouebit quam phantaſmata ipſa. Non ſecundum dupliciter. Primo, quia cum illa ſpecies ſit immaterialis non conuenit cum phantaſmatibus, quoniam hæc ſunt materialia. Secundo, quia ſpecies non migrant de ſubiecto ad ſubiectum, i. de phantaſmate ad intellectum. Nec valet reſpondere (habet Durandus) quod educitur de phantaſmatibus, ſicut forma, quæ eſt immaterialis educitur de potentia materiæ, quia

quia alia eſt ratio, quia forma, quę educitur de potentia materię ſubiectatur in materia, ſed ſpecies intelligibilis non ſubiectatur in phantaſmatibus. Nec valet dicere (ſubdit) quod hoc fiat, quia lumen intellectus agentis illuſtrādo phantaſmata facit, quod obiectum intellectus videatur in phātaſmatibus ſine conditionibus materialibus, ſicut lumen facit quod colores ſint viſibiles. Nam hæc relucentia non poteſt induci ab intellectu agente, niſi per aliquam ex ſupranominatis operationibus.

Secundo probat ſecundam partē, ſ. quod non agat in intellectum poſſibilem, quia vel in eum ageret ſolus, vel cum phantaſmatibus. Non primum. Quia noſtra cognitio dependet a ſenſu, & ſecundo quia non opporteret intelligentem phantaſmata ſpeculari, ſi ſolus operaretur. Non ſecundum. Quia phantaſmata ſunt materialia, & intellectus immaterialis. Ergo non poſſunt adunari.

Opiniones. In hac difficultate adeo titubant, ac variant doctores, vt nimis prolixū foret ſi ſingulorum ſententias recenſere vellemus. Famoſiores igitur ſolum aperiemus. Prima igitur opinio omnino negat intellectum agentem ſecundum rem, & hanc multi ex antiquis tenuerunt, & tandem Durandus in primo diſt.3. Secunda opinio referta ab Egidio ſupra tex.28.& D. Bonauentura in 2.diſt.24.art.2.queſt.4. tenuit intellectum agentem dari, ſed eſſe habitum principiorum. Fundantur autem in aliquibus actoritatibus Ariſt. quia 6. Eth. cap. 10.& 11. dat intellectum principiorum, & hic textu 17.& 18. inquit, quod intellect⁹ agens eſt ſicut habitus, & ars, ex 6. autem Eth. habemus, quod ars eſt habitus intellectus. Tertia opinio fuit quorundam aliorum aſſerentium intellectum agentem, eſſe quoddam lumen communicatum nobis a ſubſtantia ſeparata, & in intellectu receptū, ad modum qualitatis tertiæ ſpeciei. Quartam ſententiam amplexatus, eſt Suetonius lib. primo de intellectu tract.4.cap.21. Abulenſis ſupra exod. cap.23. quæſt.70. quam nec abhorret Fran. Toletus in præſenti. Hi enim affirmant eſſe quidem intellectum agētem, ſed non eſſe potentiam animæ, realiter diſtinctam ab intellectu poſſibili, quod probant. Primo quia etiāſi non diſtinguatur ab intellectu poſſibili realiter, poteſt omnia ſimiliter operari. Secundo, quia ſicut non dantur duæ voluntates, ita non videntur dandi duo intellectus. Vltimam ſententiam, cum veris Peripateticis ſuſtinent Thomiſtæ affirmantes intellectum agētem dari, & eſſe partem animæ, & realiter diſtinctum ab intellectu poſſibili.

Intellect⁹ agēs trāſfert rem materialem ad eſſe immateriale. Secundo igitur ad huius veritatis inquiſitionem adnotandum venit, ꝙ res intelligenda duplex eſſe habet. Primum dicitur materiale, & ſingulare, & hoc habet, vt eſt in ſe ipſa, & in ſenſibus exterioribus & interioribus ſ. in imaginatiua, & phātaſia. Secundum dicitur eſſe immateriale, vniuerſale, & intelligibile. Primum eſſe non dicitur intelligibile in actu, ſed in potentia, quia intellectus eſt vniuerſalium, & immaterialium, & ideo neceſſe eſt ad hoc, vt fiat intelligibilis in actu, quod intellectus agens illuſtret phantaſmata, & ab eis auferat ſpecies intelligibiles, a materia, & a conditionibus materiæ denudatas. Datur ergo intellectus agens, vt tranſferat rem a primo ad ſecundum eſſe, & ſic faciat intelligibilia in potentia, intelligibilia in actu.

Triplex eſt genus entiū, & triplex cognoſcentium. Tertio notandum venit, quod ſicut triplex eſt genus rerum, ita triplex eſt genus cognoſcentium. Primum enim genus rerum eſt puri actus, in quo Deus ponitur. Secundum eſt puræ potentiæ, & in hoc materia collocatur.

catur. Tertium eſt permixtorum ex actu, & potentia, & in hoc Angelus, Homo, & omnia compoſita reponuntur. Ita in genere cognoſcentium, quoddam eſt intelligens, qui eſt in ſupremo gradu cognoſcendi, quia omnia quoad omnia, & ſingula cognoſcit per eſſentiam ſuam, & hic Deus eſt. Secundum eſt intelligens habens intellectum quoad omnes veritates naturales ſemper in actu, cum habeat ſpecies ſibi coęuas, vnde eius intellectus non eſt in potentia, niſi ad ſuperiora ſtatus ſui, & hoc intelligēs eſt Angelus. Tertium eſt intelligens in potentia, quia factus eſt cum intellectu exiſtente in pura potentia ad intelligibilia, & ideo ſi debet reduci ad actum ab intrinſeco, neceſſe eſt ponere intellectum agentem, quo omnia fiant intelligibilia in actu.

Concluſiones probātur. Secundo loco principali ponuntur multę concluſiones. Prima ſit contra primam opinionem. Datur intellectus agens. Probatur primo. Quia a communi conſenſu doctorum non eſt diſcedendum ſine euidenti ratione. Modo omnes Doctores (vno excepto Durando) inter noſtrates ponunt intellectum agentem. Ergo.

Secundo. Exiſtens in potentia eſſentiali ab intrinſeco ad intelligendum, neceſſario indiget aliquo principio intrinſeco reducente ipſum ad actum. Sed intellectus poſſibilis eſt in potentia eſſentiali ex ſua natura ad intelligere. Ergo indiget intellectu agente, vt principio intrinſeco faciente intelligibilia in potentia, actu intelligibilia.

Tertio. Cuilibet potentiæ paſſiuę correſpondet potentia actiua eius in quo eſt, per Ariſt. 5. Methaph. Sed datur intellectus poſſibilis in anima, qui eſt eius pars, ergo & in ea dabitur intellectus agens, vt pars eius. Nec valet reſpondere cum Durando, quod Phantaſma gerit vicem potentię actiuæ. Primo, quia actiuum ſemper eſt preſtantius paſsiuo, ſed phantaſma cum ſit corporeum, materiale, & corruptibile non poteſt eſſe præſtantius intellectu poſſibili incorruptibili, & immateriali. Et ſecundo, quia intellectus mouetur ab intelligibili in actu, Phantaſmata autem ſunt intelligibilia in potentia.

Secunda concluſio contra ſecundam opin. eſt. Intellectus agens non eſt habitus primorum principiorum. Probatur primo. Prima principia intelliguntur, & a ſingularibus abſtrahuntur, per Ariſt. primo Poſt. Ergo dandus eſt intellectus agens, qui illa abſtrahat, ſicut & cætera ītelligibilia.

Secundo. Habitus primorum principiorum ſolum ad principia indemonſtrabilia ſe extendit. Sed intellectus agens etiam ad demonſtrabilia progreditur. Ergo.

Tertia concluſio contra tertiā opinionem eſt. Intellectus agens non eſt lumen nobis communicatum a ſubſtantia ſeparata. Prob. Intellectus agens eſt potentia animæ, vt infra probabitur. Sed potentiæ animæ fluunt ab anima, ab intrinſeco per ſimplicē emanationem, & per modum paſſionis, vt licet legere apud S. D. p. p. quę. 77. Ergo.

Quarta concluſio contra quartam opinionem eſt. Intellectus agens, & poſſibilis diſtinguunt realiter. Probatur primo. Sicut intellectus poſſibilis eſt pars animæ realis, ita intellectus agens eſt pars actiua realis animæ. Sed idem non poteſt eſſe actiuum, & paſſiuum per vnam realitatem, quando hæc duas realitates habent. Ergo. Maior eſt Ariſt. tex. 17.

Secundo. Agens reale, & patiens reale diſtinguuntur realiter. Sic ſe habent intellectus agens, & poſſibilis. Ergo.

Tertio. Quomodo intellectus poſſibilis erit vt tabula raſa in qua nihil

eſt

eſt pictum, & omnino in pura potentia in genere intelligibilium, phyſice, & realiter, ſi phyſice, & realiter eſt intellectus agens?

Argumẽta ſoluuntur.

Ad primum negatur ſimilitudo, & ratio diſcriminis eſt, quia intellectus eſt potentia immaterialis, & ſpiritualis, & ideo non poteſt immutari ab obiectis, & phantaſmatibus, quæ ſunt corporalia, & materialia. Senſus vero ſunt potentiæ materiales, & ideo poſſunt immutari per materialia. Sed contra hanc reſponſionem ſunt duæ inſtantiæ. Prima, quia potentiæ inferiores immutant ſuperiores ſicut phãtaſia, quæ retinet ſpecies ſenſatas, immutat cogitatiuam non habentem ſpecies ſenſatas, & ita videtur poſſibile, quod ſenſus poſſint immutare intellectum. Secunda, quia ſicut obiecta immutant potentias, in eas imprimendo ſpecies ſpirituales, vt participant aliquid de ſuperioribus. Ergo & Phantaſmata poterunt immutare intellectum poſſibilem, prout de eo aliquid participant.

Sed reſp. ad primum, quod potentiæ inferiores non immutant ſuperiores, vt principalia agentia, ſed vt inſtrumenta animæ. Modo inſtrumẽtum non habet rationem perfectioris collatum cum effectu, ſed hoc tantum habet cauſa principalis. Secundo dicitur, quod hoc facit obiectum, quod eſt illud, quod mittit ſpecies, & non hoc agunt potentiæ inferiores. Obiectum autem hoc operatur, non vt materiale eſt, ſed vt participat rationem ſuperioris. Modo dicendo ad ſecundam dicitur, quod eſt diſpar ratio, quia ſpecies receptæ in intellectu poſſibili non ſolum ſunt ſeparatæ a materia, ſed etiam a conditionibus materialibus. Species autem exiſtentes in ſenſu, quamuis ſint ſeparatæ a materia, & per hoc participent rationem ſuperioris, non tñ sũt ſeparatæ a conditionibus materialibus & ideo ad hoc faciendum datur intellectus agens.

Ad ſecundum principale negatur minor, quia Phantaſmata ſunt media illuminata.

Ad tertium dicendum, quod & ſi intellectus poſſibilis ſit immaterialis, tamen eius obiecta, vt ad extra ſunt materialia ſunt, & ideo indigent intellectu agente, & ſpoliante a materialitate, vt tandẽ ea offerat intellectui poſſibili depurgata a materia, & ſic ei proportionantur.

Ad quartum dicendum, quod intellectus agens eſt nobilior poſſibili, vnde intelligere bifariam conſiderari poteſt. Primo, vt eſt ab aliquo per ſuam formam, ſ. per ſpeciem intelligibilem. Secundo, vt eſt huius formaliter. Primo modo conuenit intellectui agenti, & ſecundo poſſibili. Nobilius eſt autem primum, quam ſecundum. Secundo dicitur, quod intelligere prout eſt ab intellectu agente per intellectum poſſibilem, eſt nobiliſſima operatio, ſed non, vt præciſe eſt ab intellectu poſſibili, vnde argumentum ſupponit falſum.

Ad quintum ſatis diximus, quod lumen non comparatur ad colores, ſed ad medium quod illuminat, & ita intellectus agens comparatur ad phantaſmata, quæ illuminat.

Ad ſextum dicendum, quod homo non ſemper intelligit, quia non habet ſemper ipſa phantaſmata præſentia, & phantaſia non ſemper eſt in actu ſufficienti, ideo non ſequitur intellectio.

Ad ſeptimum dicendum, quod maxima Ariſt. intelligitur de natura exiſtente in potentia eſſentiali, ſicut eſt intellectus noſter, quia in ſui exordio eſt tanquam tabula raſa. Intellectus autem Angelicus non eſt niſi in potẽtia accidentali ad ſupernas illuſtrationes, & reſpectu omnium naturalium habet ſpecies coęuas, & ideo in An-

gelis non datur intellectus agens.

Ad octauum dicendum, quod res immateriales ſecundum ſe ſunt maxime intelligibiles, ſed non reſpectu noſtri pro hoc ſtatu, in quo per materialia, immaterialia cognoſcimus.

Ad nonum fere omnes tenent intellectum agentem manere in anima ſeparata, ſed quem actum tūc habeat non bene exprimunt. Omiſſis ergo multis a Banneſio p. p. quæſt. 79. art. 3. dub. 1. adductis, cum S.D. dicimus, quod tunc intellectus non abſtrahit a Phantaſmatibus, cum ibi non ſint, ſed intellectui poſſibili virtutem intelligendi præſtat, vel per modum illuſtrationis, vel per modum confortationis. Species vero, quæ in animas ſeparatas infunduntur, in repręſentando ſunt eiuſdem rationis cum ſpeciebus Angelicis, & propterea propter ſuam excellentiam primo repręſentant ſpecies, & ſecundo indiuidua cum omnibus ſuis modis. Species tamen Angelicæ, vt naturæ perfectioris ſunt vniuerſaliores in repręſentando.

Ad decimum dicendū quod Chriſtus, quoad ſcientiam acquiſitam a rebus indiguit intellectu agente abſtrahente ſpecies a phantaſmatibus quia in hoc factus eſt nobis ſimilis. Velle autem loqui de eius ſcientia beata nō eſt ad propoſitum.

Ad vndecimum, & duodecimum dicendum, quod obiectum, vt participat rationem ſuperioris poteſt aliquo modo producere ſpecies intentionales, ſed non omnino immateriales, niſi adiuuetur lumine intellectus agentis.

Ad decimumtertium dicendum, quod intellectus agens vocatur intellectus cauſaliter, & poſſibilis formaliter, vnde ad intellectum agentem non pertinet proprie intelligere, ſed intellectionem cauſare.

Ad decimūquartū dicemus infra

Ad motiuum pro ſecunda opinione dicimus Phil. vocaſſe intellectum habitum principiorū, & artem, quia per intellectum intellexit ſimplicem eius apprehenſionem, vt in primo Poſt. Vel voluit inferre, quod eſt, quo intelligimus, producendo ſpecies, ſicut ars facit artificiatum.

Ad motiuū Toleti dicimus, quod intellectus agens non eſt cognoſcitiuus niſi cauſaliter. Dantur autem duo intellectus, quia intellectio fit per receptionem ſpecierum abſtractarum a rebus, receptarum in intellectu poſſibili. Non autem dantur duę voluntates, quia voluntas non trahit res, ſed a rebus trahitur.

LECTIO XV.

QVAESTIO XXV.

Vtrum Intellectus agens illuſtret Phātaſmata, per qualitatem intime in eis immiſſam.

Videtur quod ſic. Nam intellectus agens ſe habet ad phantaſmata, ſicut ſe habet lumen ad Diaphanū, per Ariſt. hic, Sed lumen imprimit quandam qualitatem in Diaphano, vt ſup. in ſecundo explicatum fuit. Ergo, & intellectus agens illuſtrando phantaſmata imprimit in ea intime quandam qualitatem, ratione cuius dicitur ea illuſtrare.

Secundo. Per illuſtrationem phantaſmata fiunt apta, vt ab eis abſtrahantur ſpecies intelligibiles. Ergo per aliquam qualitatem. Antecedens eſt ab omnibus conceſſum. Conſequentia probatur, quia ſic videtur aliquid reale in eis ponere.

Tertio. Phantaſmata per illuſtrationem apta fiunt, vt poſſint eſſe inſtrumenta intellectus agentis. Sed inſtrumentum fit inſtrumentum cauſæ principalis, per qualitatem ei immiſſam. Ergo.

Pro-

Pro ſolutione huius quæſtionis operę pretium erit prius ponere aliqua fundamenta, & deinde tranſire ad concluſiones, & tandem ad ſolutionem argumentorum.

Tres ſunt operationes intellectus agentis.

Primo igitur ſciendum eſt, quod tres dicuntur eſſe operationes intellectus agentis. Prima eſt illuſtrare, & illuminare phantaſmata, Secunda eſt facere intelligibilia in potentia, intelligibilia in actu. Tertia eſt elicere ſpecies a phantaſmatibus, & eas offerre intellectui poſſibili, & de vnaquaque harum operationum diſputabitur, quia circa vnamquamque controuerſiæ ſunt.

Opiniones.

Secundo igitur notandum, quod circa illuſtrationem phantaſmatum ab intellectu agente factam, diuerſæ inſurgunt ſententiæ. Prima eſt Antonij Montecatini Ferrarieñſis tertio de An. cap. 5. & quorundam aliorum, qui dicunt intellectum agentem illuſtrando phantaſmata infundere in ea quandam uim ſpiritualem, per quã, & per virtutem intellectus agentis producuntur ſpecies intelligibiles, & immateriales, eo modo, quo virtus artis communicatur inſtrumento, per quam eleuatur, & aptatur ad producendum effectum, & ideo cum iſta phantaſmata illuſtrantur, incipit in eis apparere natura, & quidditas rei materialis, quæ prius in ipſis latebat ſub conditionibus ſingularibus.

Secunda ſententia eſt Ferrarienſis, ſecundo contra gen. cap. 73. & 77. ſ. quod illuſtrare phantaſmata non eſt in ea imprimere aliquam qualitatem, nec in eis videre quidditatem ſine ſingularitate, ſed eſt dicere quod cum intellectus agens ſit radicatus in anima, habet ex naturali cõcomitantia, quod ipſum conſequatur phantaſia altior quam in bruto, & propterea in homine ſit apta ad cauſandam intellectionem. Imaginatur enim quod forma perfectior in eſſe, ſit etiam perfectior in operatione, vnde nutritiua in homine carnem generat, & non in planta. Ita phantaſia in homine, quatenus eſt illuſtrata ab intellectu agente radicato in anima, habet quod poſſit producere intellectionem. Hanc ſuam ſententiam primo ſic probat.

Forma quanto eſt perfectior in eſſe, tanto etiam eſt perfectior in operatione, & in omnibus deſeruientibus operationi. At phantaſia in eſſe eſt perfectior in homine, vt in anima intellectiua radicata, quam in brutis. Ergo ex coniunctione cum intellectu agente, eam illuſtrante, ſit apta ad cauſandam intellectionem naturali ſequela.

Secundo. Infimum ſupremi, attingit ſupremum infimi, ideo videmus, quod cogitatiua diſcurrit circa ſingularia, propter vnionem cum ſuperiori ratione. Ergo cum virtus formatiua phantaſmatum, i. phantaſia radicetur in homine in eadem eſſentia animæ, in qua radicatur intellectus agens, poterit producere ſpeciem, & intellectionem naturali concomitantia cum intellectu agente.

Tertio. Probat hoc ex S. D. p. p. q. 85. art. 1. ad 4. vbi ait, phantaſmata ex virtute intellectus agentis reddi habilia, vt ab eis intentiones intelligibiles abſtrahantur, ſicut natura ſenſitiua redditur virtuoſior, ex coniunctione cum intellectu. Sed natura ſenſitiua non redditur fortior ex aliquo ſuperaddito, ſed ſolum, quia fundatur in eadem eſſentia cum intellectu. Ergo idem erit dicendum de phantaſmatibus illuſtratis.

Tertia ſententia eſt Dominici Bannes, p. p. quęſt. 79. art. 3. tenentis, quod intellectus agens dicitur illuſtrare phantaſmata, prout ex eis educit ſpeciem intelligibilem repręſentantem quidditatem rei materialis in actu, quæ prius ibi ſolum erat in potentia,

& infert, quod ſicut lumen illuminãdo Diaphanum facit apparere colores,& eis dat virtutem,vt poſſint'im mutare viſum,ita intellectus agens il luminando phantaſmata ea reddit habilia, vt poſſint repreſentare in actu quidditatem materialem, quod probat.Quia,ſicut ſe habet lumen ad colores,ita ſe habet lumen intellectus agentis ad phantaſmata.Sed intellectus agens nullam proportionem habet cum lumine externo præter hãc, quod aſſumit phantaſmata ad producendas ſpecies intelligibiles in intellectu poſſibili. Ergo. Maior clara. Minor probatur. Quia non aſſimilatur primo effectui luminis illuminando phantaſmata, ſicut lumen illuminat medium, quia per illam actionem anima, quæ eſt ſubiectum intellectus agentis non efficitur illuminata, nec ſecundo effectui, vt dixit ſe probaſſe contra Caietanum. Ergo.

Secundo hoc probat ex S. D.22. quæſt. 173. articul. 2. in corpore vbi dicit, quod intellectus poſſibilis immutatur a phantaſmatibus per ſpeciem, ſecundum illuſtrationem intellectus agentis.i.(explicat Bannes,) quatenus illuſtrantur ab intellectu agente. Ergo apud D.Thomam idem eſt illuſtrari ab intellectu agente, quod aſſumi, & eleuari ad producendam ſpeciem intelligibilem.

Quarta, & vltima ſententia eſt D. Caietani prima parte quæſt.79.art.3. dicentis, quod illuſtratio phantaſmatum obiectiua eſt, quia intellectus agens ea illuſtrando facit, quod quidditas rei materialis, quæ in ipſis latebat,appareat, & videatur ſine conditionibus materialibus, & ſingularibus,& hæc ſententia nobis placet.

Luminis effectus duplex. Secundo ergo notandum cum Caiet. quod duplex eſt effectus luminis. Primus dicitur formalis,prout lumẽ formaliter illuminat,& tanquam qualitas,vel forma in ſubiecto recipitur, ſicut lumen ſolis formaliter illuminat diaphanum, & in eo recipitur vt forma.Secundus dicitur obiectiuus, quod eſt facere apparere, prout effectus luminis obiectiuus eſt facere apparere colores. Lumen ergo intellectus agentis non comparatur ad phãtaſmata tanquam ad formaliter illuminata, quia non eſt qualitas in ipſis recepta, vt probabimus. Comparatur ergo eis obiectiue, prout ea illuſtrando facit,vt in eis appareat quidditas rei materialis.

Illuſtratio phãtaſmatũ cauſat in eis relucentiam quidditatis rei materialis. Tertio notandum, quod hæc apparentia, & relucentia cum dicatur per modum abſtractionis, quia facit prius apparere obiectum intelligibile, antequam ſpeciem intelligibilem intellectus agens eliciat, prioritate in quam naturæ non temporis. Ideo in obiecto relucente in Phantaſmatibus duo erunt penſanda. Primum eſt quidditas, quæ per illuſtrationem apparet. Secundum eſt ſingularitas phãtaſmatis. Nam phantaſma idem eſt, quod imago, ſiue ſimilitudo rei materialis,& ſingularis. In phantaſmate igitur illuſtrato apparet qdditas, ſed non ſingularitas materialis, cum hęc non ſit intelligibilis in actu. Nam ſicut lux ſolis in pomo facit videre colorem,& non ſaporem,& dulcedinem, quia per lumen color videtur,& non dulcedo, ita illuſtratio intellectus agentis in phantaſmatibus illuſtratis facit apparere quidditatem, quia hęc eſt de ſe cognoſcibilis,non vero oſtendit ſingularitatem, & materialitatẽ, quia hæc non ſunt intelligibilia directe.

Nõ tamẽ eo modo, quo cauſat intelligibile in actu. Quarto notandum, quod intelligibilia ſunt duplicis iuris. Nam quædam dicuntur intelligibilia formaliter, & hæc ſunt, quæ per ſpeciem intelligibilem repręſentantur. Quędã vero dicuntur intelligibilia obiectiue, quia obijciuntur intellectui,vt intelli-

telli-

telligibilia,prout eſt quidditas rei materialis, relucens in phantaſmatibus, mediante illuſtratione intellectus agentis. Sed hæc intelligibilia multipliciter differunt. Primo,quia intelligibilia formaliter ,dicuntur intelligibilia in actu,vt immaterialia;intelligibile vero obiectiue dicitur ſolum relucentiæ. Secundo differunt, quia itelligibile formale abſtrahit ab hic, & nunc, intelligibile autem ſecundũ relucentiam minime, quia quamuis per relucentiam ſolum intelligatur quidditas,& non ſingularitas, tamen illa phantaſmata ſunt ſingularia. Tertio differunt, quia intelligibile formale ſecundum totum habet quidditatem, & eſt de genere intelligibilium, at intelligibile ſecundum relucentiam ſeu obiectiue ſecundum ſe eſt in genere ſenſibilium, cum ſit ſingulare phantaſma, at vt illuſtratum dicitur eſſe ingreſſum genus intelligibilium, & hoc modo aliquid amplius habet,quam cogitatiua habeat, quia, & ſi cogitatiua comprehendat phantaſmata, & omnia,quæ ſunt in phantaſmatibus, vt ſunt in genere ſẽſibilium, non tamen ea compræhendit, vt ſunt illuſtrata, quia tunc fiunt inſtrumenta intellectus.

Concluſiones probãtur. Quoad ſecundum ſit prima concluſio contra primam opinionem. Phantaſmata non illuſtrantur per aliquam qualitatem ſpiritualem in ipſis immiſſam. Probatur primo. Omnis qualitas, & virtus recepta in corporeo, ſecundum iſtos eſt corporea materialis. Ergo phantaſmata per ipſa non poſſunt fieri apta, ad hoc vt cauſent ſpeciem intelligibilem. Antecedens eſt ſuppoſitum iſtorum,quia dicunt hanc qualitatem corpoream diſponere phantaſmata, vt poſſint cauſare ſpeciem intelligibilem. Conſequentia probat̃,quia qualitas corporea non producit rem vltra ſuum genus,idest,ſpeciem ſpiritualem. Nec valet reſpondere,hoc eſſe verum de qualitate corporea recepta permanẽter,non autem tranſeunter per modũ diſpoſitionis, quia talis poteſt eſſe ſpiritualis, quia inſtrumentum ſolum recipit motum principalis agentis,& non qualitatem, vt patet in baculo a manu moto. Nam hæc reſponſio procedit de inſtrumento inanimato, phãtaſmata autem concurrunt, vt inſtrumenta quaſi coniuncta, & animata, quia in ipſis vere, & realiter relucet quidditas rei materialis.

Secundo. Nulla qualitas, p̃ter qualitatem ſecundæ ſpeciei, i. potentiã, poteſt eſſe ſubiectum alterius qualitatis. Sed phantaſmata non ſunt potentiæ animæ. Igitur nequeunt eſſe ſubiecta huius qualitatis.

Secunda concl.contra Ferrarienſẽ eſt.Coniunctio phantaſmatum cum anima non dicitur illuſtratio phantaſmatum. Prob.primo auctoritate S. D.2.2.quæ.173.art.2.vbi dicit, quod phantaſmata ſubduntur imperio rationis, in ordine ad id,quod eſt intelligendum. Sed coniunctio phantaſiæ cum anima rationali eſt naturalis, & non ſecundum imperium rationis, ſecundum quod diſponuntur per illuſtrationem intellectus agentis,ſecundum S.D.vt ſup. Ergo.

Secundo. Stante poſitione Ferrarienſis dicendum eſt, quod intellectꝰ agens illuminaret phantaſiam, & nõ phantaſmata,quia phantaſia eſt illa, quæ eſt coniuncta animæ,& non phãtaſmata. Sed hoc eſt contra communem modum dicendi.

Tertia concluſio contra Dominicum Bannes,eſt. Intellectus agens non dicitur illuſtrare phantaſmata, educendo ſpeciem intelligibilem.Probatur primo. Tres ſunt operationes intellectus agentis,& hæ diſtinctę, ſ. illuminare phantaſmata, facere intelligibilia in potentia intelligibilia in actu, & elicere ſpecies intelligibiles.

Ergo

Ergo tertia operatio eſt diſtincta a prima. Nec valet dicere, quod per illuſtrationem phantaſmata diſponuntur, & intellectus fit aptus, vt ex eis eliciat ſpecies, quia diſpoſitio eſt quid diſtinctum a productione termini.

Secundo quæro, an antequam intellectus eliciat ſpecies a phantaſmatibus ibi appareat quidditas rei materialis, vel non? Secundum non eſt aſſerendũ, quia videtur inimaginabile, quod illa illuſtratio non cauſet relucentiam. Si primum, cum nondum ſit perfecta, erit quidditas materialis.

Qua ita cõcluſio ad mentem Caie. eſt. Illuſtrare phantaſmata eſt in eis facere apparere quidditatem rei materialis ſine ſingularitate. Probatur primo. Vel per illuſtrationem phantaſmatum, phantaſmata aliquid accipiunt, vel nihil. Secundum non eſt dicendũ, quia nulla eſſet illuminatio. Si primum, vel qualitatem, vel quid aliud. Non qualitatẽ, vt probauimus. Non quid aliud, quia non eſt imaginabile. Ergo recipiunt ſolum illuſtrationem, per quam in eis videtur quidditas rei materialis.

Secundo. Quando phantaſmata illuminantur, aut ex illuminatione extrahuntur a genere ſenſibilium aliquo modo, vel nullo modo, vel ſimpliciter. Non ſecundum, quia nihil faceret illuminatio. Nõ tertium, quia res prius eſt in termino a quo, antequam ſit in termino ad quem. Ergo erit primum, ſupra explicatum.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum argumentum principale dictum eſt, quod lumen habet ſimilitudinem cum lumine intellectus agentis, non quoad effectum formale, ſed obiectiuum, prout explicatum fuit.

Ad ſecundum etiam dictum eſt, quod phantaſmata fiunt apta, non per aliquam qualitatem in eis immiſſam, ſed per relucentiam obiectiuã.

Ad tertium negamus, quod in inſtrumento ponatur aliquod reale ab agente, intentionale vtique quo eleuatur. Secundo dicitur, quod quamuis phantaſmata non ſint inſtrumenta inanimata intellectus, tamen non dicuntur agere per qualitatem ſuper additam, niſi lumen ipſum intellect. agentis velimus appellare eorum qualitatem. Dicuntur ergo agere ſuapte natura prout per illuſtrationem intellectus agentis dicuntur eſſe ingreſſa genus intelligibilium, ſecundum relucentiam obiectiuam.

Ad primum Ferrarienſis, primo dicitur, quod maior valet, quoad omnia, quę poſſunt eſſe illius generis, nã calor in tota ſua latitudine, habet, vt producat carnem At res materiales, vt phantaſmata, in tota ſua latitudine non habent, vt producant rem omnino ſpiritualem, ſ. ſpeciem.

Secundo dicitur, quod habent, vt concurrant ad producendam ſpeciẽ, vt illuſtrantur per intellectum agentem, radicatum in eſſentia animæ.

Ad ſecũdum Ferrarienſis dicimus, quod cogitatiua, ex coniunctione cũ intellectu attingit, quicquid attingit phantaſia, vt phantaſia eſt, ſed non vt eſt illuſtrata, & ita phantaſia ſecundum ſe non poteſt inſtrumentaliter producere ſpeciem intelligibilem, ſed ſolum, vt eſt illuſtrata, quia hoc ſortitur phantaſia non, vt phantaſia, ſed vt deſeruit intellectui agenti.

Ad tertium dicendum, quod S.D. per virtutem intellectus agentis intellexit illuminationem, & non coniunctionem. Ad Argumentum. Branneſij reſpondebimus in quæſtione ſequenti.

LECTIO XVI.

QVAESTIO XXVI.

Vtrum intellectus agens faciat intelligibilia in potentia intelligibilia in actu.

VIdetur quod non ſcilicet, quod per illuminationem non faciat apparere in phantaſmata quidditatem rei materialis, vt voluit Caietanus.

Primo. Nam quidditas relucens in phantaſmate per illuſtrationem intellectus agentis non eſt perceptibilis ab intellectu, cum illa quidditas ſit ſenſibilitas ſecundum eſſe, vtpote exiſtens in phantaſmate ſenſibili, & ſingulari. Ergo.

Secundo. Intellectus facit intelligibilia in potentia, intelligibilia in actu, prout transfert res materiales ad ordinem intelligibilium. Sed hoc non poteſt conuenire phantaſmati materiali, & ſenſibili, cum ſemper ſit in genere ſenſibilium. Ergo.

Tertio. Quia etiam data relucentia, illa res relucens in phantaſmate non eſt in ordine intelligibilium, ſed ſenſibilium. Ergo.

Quarto. Quia tale intelligibile, ſecundum Caietanum datur ad hoc vt poſſit mouere intellectum, tunc quæro, aut intellectus patitur ab hoc intelligibili, vt a forma, vel vt ab efficiente? Non primum, quia eſt ſenſibile in eſſe. Non ſecundum, quia vel principaliter, vel inſtrumentaliter. Non principaliter, quia eſt res ſenſibilis. Si inſtrumentaliter, hoc etiam conuenit phantaſmatibus ſecundum ſe.

Opinione. Pro enodatione huius quæſtionis notandũ eſt, qđ diuerſi ſunt modi explicandi, quo intellectus facit intelligibilia in potẽtia intelligibilia ĩ actu. Nam Caiet. autumat, quod phantaſmata ſecundum ſe conſiderata dicantur intelligibilia in potentia & p illuſtrationẽ ſecundum relucentiã obiectiuam fiant intelligibilia in actu. Ferrarienſis vero habet, quod obiectum dicitur intelligibile in potentia; vt ab extra eſt, motiue, vt eſt in phantaſmate illuſtrato, & terminatiue ſecundum, quod eſt in intellectu poſſibili. Quia autem fundamenta huius quæſtionis in præcedentibus iacta ſunt, ideo me transfero ad concluſionem.

Concluſio probatur. Sit igitur concluſio. Phantaſmata, vt illuſtrata poſſunt dici intelligibilia in actu. Probatur primo. Quod eſt in genere ſenſibiliũ, prout eſt in tali genere, non eſt intelligibile in actu. Ergo, vt illuſtratur pro ſuperius lumen ingreditur genus intelligibilium. Probatur, quia lumen intellectus facit intellectionem, ſicut lumen corporale corporalem viſionem. Secundo. Phantaſma mouet intellectũ poſſibilem ſecundum Ferrarienſem. Sed intellectus non mouetur niſi ab intelligibili, vt intelligibile eſt. Ergo.

Ad argumenta patet, quod procedunt de phantaſmate, vt ſic, & non de phantaſmate, vt eſt illuſtratum.

QVÆSTIO XXVII.

Vtrum intellectus agens intelligat.

Opiniones. QVamuis ſupra determinatum ſit, quod intelligere cauſaliter ſit ab intellectu agente, & formaliter ab intellectu poſſibili, ad abundantiorem tamen doctrinam, & ad tollendas moleſtias aduerſariorũ, notadum eſt, quod circa præſentem difficultatem variæ ſunt ſententiæ. Nam Albertus in ſumma de homine quæſt. 7. aſſerit, quod intellectus agens intelligit quidem non per

aliquam ſpeciem acceptam a rebus ſed per eſſentiam. Quam opinionem videtur habere Caietanus hic tex. 18. & videtur etiam fuiſſe Ianduni in hoc tertio, quæſt. 23. Probant ergo, quod intellectus agens intelligat.

Primo. Quia intellectus ab intelligendo dr̃ intellectus. Sed intellectus agens vere eſt intellectus. Ergo:

Secundo quia S. D. in 2. diſt. 20. quæſt. 2. art. 2. ad ſecundum, & de veritate quæſt. 16. artic. 8. aſſerit, intellectum agentẽ eſſe nobiliorem potentiam aiæ, q̃ poſſibilẽ, ſed hoc eſſet falſum ſi non intelligeret, q̃a intelligere eſt nobiliſſima operatio hoīs. Nec ſufficit reſpondere, quod S. D. hoc dixit, quia intellectus agens eſt primum principium intellectionis, quia clarum eſt, quod totale principium intellectionis eſt nobilius, quã partiale. Tota autem intellectio ſic attribueretur, intellectui poſſibili. Et confirmatur, quia S. D. dixit, quod: eſt nobilior potentia intellectiua.

Altera eſt ſententia Henrici quodlib. 8. quæſt. 12. Bannes 1. par. quæſtio. 79. artic. 3. S. quod intellectus agens non intelligat formaliter, ſed tantum cauſaliter.

Probant hoc primo ex S. D. in 3. diſt. 23. q. 1. artic. 1. vbi dicit, quod intellectus agens ad vnam tantum operationem determinatur.

Secundo in quęſt. de Anima art. 4. ad ſecundum aſſerit, quod in homine vnum tantum eſt intelligere, quamuis concurrant vterque intellectus, agens, & poſſibilis.

Tertio per Philoſ. intelligere eſt quoddam pati, ſed intellectus agens non patitur, quia non recipit ſpecies. Ergo nec intelligit.

Quarto, quia ſuperfluus eſſet intellectus poſſibilis, ſi agens intelligeret.

Quinto, quia hoc nunquam Ariſtot. dixit.

Sexto, quia intelligere eſt actio immanens, ſed intellectus agens in ſe non recipit intelligere, ſed tantum poſſibilis. Ergo.

Gratia diſputationis, & ob reuerentiam Caiet. diſtinguendum mihi videtur, quod intellectus agens formaliter intelligat, dupliciter intelligi poteſt Primo intellectione diſtincta ab intellectu poſſibili, & perfecta, & hoc modo intellectus agens formaliter non intelligit, quia tale intelligere eſt per ſpeciem, eſt pati, & eſt actio immanens, quæ non conueniunt intellectui agenti: Secundo cognitione ordinata ad intellectum poſſibilem, per quem, & in quo completur intellectio, & hoc modo intellectus agens põt dici cognoſcitiuus formaliter, quia non eſt potentia cæca, nec dans intellectionem, ſine intellectione. Vnum autem dicitur eſſe intelligere, quia vbi vnum eſt propter alterum, ibi dicitur eſſe vnum tantum, & quia intelligere, intellectus agentis ordinatur ad intelligere intellectus poſſibilis, ideo dicitur tantum vnum intelligere, & per hoc patet ad argumenta. *Intellect' agens incomplete intelligit formaliter.*

LECTIO XVII.

QUÆSTIO XXVIII.

Vtrum intellectus agens eliciat ſpecies intelligibiles principaliter, concurrentibus phantaſmatibus inſtrumentaliter.

Videtur enim quod intellectus agens ſolus concurrat ad producendas ſpecies intelligibiles, & in hoc nullam actionem inſtrumentalem habeant phantaſmata. Nam effectus ſpiritualis non dependet niſi a cauſis, & inſtrumentis ſpiritualibus. At ſpecies productæ ſunt ſpirituales, & phantaſmata ſunt inſtrumenta materialia. Ergo nequeunt ab

ab his produci. Nec valet reſpondere, quod phantaſmata hoc habent non vt phantaſmata, ſed vt phantaſmata hominis. Quia illa phantaſmata, quamuis ſint hominis, corporea ſunt tamen ſemper, & materialia.

Nec valet exemplum, quod ſicut calor in homine ex coniunctione ad animam ſenſitiuam producit carnẽ, quam ſecundum ſe non poteſt producere, ita phantaſmata, vt ſunt vnita animæ intellectiuæ producunt ſpecies, quas ſecundum ſe, vt materialia ſunt, non poſſunt producere. Nam effectus carnis eſt proportionatus calori naturali hominis. At materiale, & immateriale ſunt ſemper improportionata, phantaſmata autem ſunt materialia, & ſpecies ſemper immateriales.

Tertio. Forma exiſtens in vna potẽtia non poteſt aſſumi ab alia ad aliquem effectum producendum. Ergo intellectus agens non poterit elicere ſpeciem a phantaſmatibus eis vtendo tanquam inſtrumentis. Antecedens probatur exemplo ſenſus communis, qui non vtitur ſpecie viſibili ad producendam viſionem, ſed vtitur ſola potentia viſiua, & ita vt quod phantaſmata ſint inſtrumenta phantaſiæ, & nõ intellectus agentis.

Quarto. Species producta primo aſſimilatur phantaſiæ, & non intellectui agenti, v. g. phantaſma leonis, primo aſſimilatur phantaſiæ leonis. Ergo phantaſia erit principale agens, nam effectus ſuæ cauſæ aſſimilatur.

Quinto. Inſtrumentum effectiuũ, & materia non coincidunt per Ariſtot. 2. Phiſic. Sed phantaſma eſt materia ad quam intellectus reſpiciens ſpeciem producit. Ergo non erit eius inſtrumentum.

Sexto. Sic ſequeretur, quod diuerſæ ſpecies intelligibiles eſſent in intellectu, ſed hoc eſt falſum. Ergo Aſſumptum prob. quia ꝑ diuerſitate materię dantur diuerſę formæ. Minor, quia idem intellectus eandem ſpeciem hominis producit ex phantaſmate Petri, Pauli, Antonij &c.

Ad habendam veritatem huius quæſtionis primo notandũ eſt, quod Hen. quodl. 4. quæſt. 21. & quodl. 8. quæſt. 12. & 13. & Io. Bacchonus, quæſt. 2. prologi, art. 5. & in 2. diſt. 3. quæſt. 2. artic. 3. & 4. negant quod intellectus agens eliciat ſpecies intelligibiles a phantaſmatibus, vnde dicunt intellectum agentem illuſtrando phantaſmata, ea ſic facere apta, vt his vtatur intellectus poſſibilis, & ſic intelligat. Altera eſt ſententia communis, quod vltra illuſtrationem phantaſmatum adhuc intellectus agens ab eis eliciat ſpecies. *Opiniones.*

Secundo recolendum eſt id, quod in ſuperioribus diximus, quod res ipſæ dupliciter conſiderari poſſunt. Primo ſecũdum ſuum eſſe naturale, & vt ad extra ſunt, & in rerũ natura exiſtunt. Secundo, vt habent ordinem ad intellectum, & vt ſunt intelligibiles. *Res ſunt intelligibiles per intellectũ agentem.*

Primo modo conſideratæ habent eſſe materiale, & ſingulare, nec ſic collocantur in genere intelligibiliũ, ſed intelligibilium.

Secũdo vero modo in genere intelligibilium collocantur. Sed quia nihil poteſt reponi in genere intelligibilium niſi ſit ſpirituale, & immateriale (immaterialitas enim eſt cauſa cognoſcibilitatis) propterea neceſſarius eſt intellectus immaterialis, & vniuerſalis, qui eliciat ſpecies immateriales, & vniuerſales in repræſentando his faciendo, quod intellectus poſſibilis intelligat. *Res quædam ſunt ad eſſendum, & quædã ad repræſentandum.*

Tertio notandum, quod quædam res factæ ſunt, vt ſint, & quædam vt repræſentent. Primæ ſunt ſubſtantiæ omnes, quæ ad hoc factæ ſunt,

Cc 2 vt

vt exiſtant, & iſtæ, vt ſunt, & exiſtunt non ſibi vendicant ſecundum ſe, vt ſint intelligibiles. Secundæ vero ſunt in duplici differentia, nam quædam factæ ſunt, vt repræſententent, tanquam miniſtrantia intellectui, ideſt vt eius inſtrumenta, & iſta ſecundum ſe conſiderata ſunt ſolum in potentia intelligibilia, & vt illuſtrata, actu intelligibilia, ſed ſolum ſecundum relucentiam, ideſt, obiectiue. Quædam vero repræſentant, vt actus, & perfectiones intellectus, quibus formaliter intelligit, & iſtę ſunt ſpecies intelligibiles, quæ faciunt obiectum repræſentatum actu intelligibile, immo ipſum intellectum.

Phantaſma virtualiter continet ſpeciem. Quarto notandum, quod in phantaſmate virtualiter continentur ſpecies, vnde ſi quis quærat cur intellectus agens ex phantaſmate Petri eliciat ſpeciem hominis, & non equi, ratio in promptu erit, quia ſcilicet talis ſpecies ſcilicet hominis inibi virtualiter continetur, & non ſpecies equi.

Phantaſmata sūt inſtrumēta intellectus agentis. Quinto notandum, quod phantaſmata dupliciter conſiderari poſſunt. Primo vt ſunt inſtrumenta intellectus agentis, ad producendam ſpeciem intelligibilem, & prout coniunguntur animæ intellectiuæ, ex qua coniunctione fiunt inſtrumenta habilia ad producendam ſpeciem intelligibilem, concurrendo cum principali agente, ſcilicet cum intellectu agente. Non quod hæc cōiūnctio ſit illuſtratio (vt voluit Ferrarięſis) ſed ſit proportio, & aptatio phantaſmatū ad hoc vt ſecundum relucentiam obiectiue fiant intelligibilia in actu. Nec propter hoc tollitur neceſſitas ſpecierum, vt (male Bānes attribuit Caietano faciēs ipſum coincidere cū Henrico,) quia relucentia eſt quædam diſpoſito, ad hoc vt intellectus agens a phantaſmatibus eliciat ſpecies, quæ ipſa trahant ad genus intelligibilium ſecundum relucentiam, ad genus intelligibilium, & immaterialium abſolute, & ſimpliciter. Secundo modo poſſunt conſiderari, vt materia ex qua intellectus agens deducit ſpecies, & inde eſt, quod pro diuerſitate naturæ phantaſmatū, diuerſæ eliciuntur ſpecies, ſed tamen phantaſmata ſunt ſolum materia ſubiectiua, ita vt non concurrant ſic inſtrumentaliter ad determinandam actionem intellectus agentis, poſſunt tamen dici inſtrumenta modificatiue, quia modificant actionem intellectus agentis, vt pro ipſis fiet, & non pro alijs.

Concluſiones probātur. Secundo loco principali ponuntur duæ concluſiones. Prima concluſio eſt. Intellectus vtitur phantaſmatibus, tanquam inſtrumentis ad producendas ſpecies intelligibiles. Probatur.

Sicut calor cum anima ſenſitiua generat carnem, ita phantaſmata cum intellectu agente producunt ſpeciem. Sed calor hoc habet vt inſtrumentum animæ. Ergo & phantaſmata hoc habēt vt inſtrumenta intellectus agentis. Minor eſt nota, & maior fuit ſupra explicata.

Secunda concluſio contra Henricum, & cæteros. Sæpius Ariſtot. nominauit ſpecies. Probatur ex tex. 6. tertij huius, dum dicit animam intellectiuam eſſe locum ſpecierum, & tex. 38. quod lapis non eſt in anima, ſed ſpecies lapidis, & quod actuatur ſpeciebus ſicut materia formis.

Argumēta ſoluuntur. Ad primum, primo reſpondetur ad maiorem, quod valet de cauſa principali, & non de inſtrumentali, vt ſunt phantaſmata. Nā cernimus, quod etiam ſemen attingit animam rationalem, quo ad vnionem, vt docet S. D. 1. par. quæſt. 118. artic. 2. Secundo dicimus, quod etſi phantaſmata,

taſmata, vt materialia ſunt non poſſint producere ſpeciem, vt tamen illuſtrata ſunt, ſic cum intellectu agente ad eam producendam inſtrumentaliter concurrere poſſunt, & per hoc patet ad ſecundum.

Ad tertium dicendum ad probationem antecedentis, quod non eſt eadem ratio, quia viſus non poteſt aſſumi, vt inſtrumentum ad producendum quid ſpirituale, vt poſſunt aſſumi phantaſmata. Secundo dicitur, quod cum phantaſia ſecundum ſe ſit materialis, & ſingularis, non poteſt producere ſpeciem vniuerſalem, & ſpiritualem principaliter, ſed tantum inſtrumentaliter.

Ad quartum dicendum, quod in ſpecie producta duo ſunt conſiderâda. Primum eſt obiectum extrinſecum, quod repræſentat, cuius phanthaſma eſt in phantaſia. Secundum eſt immaterialitas, repræſentat enim materiale, immaterialiter. Primo modo aſſimilatur phantaſiæ, & obiecto. Secundo vero, in quo ſtat vera ſimilitudo, aſſimilatur, intellectui.

Ad quintum dicendum, quod duplex eſt materia. Prima dicitur in potentia ad formam, & ſecunda ad ſpeciem intelligibilem. Item quædam eſt cauſa effectiua principalis, & quædam inſtrumentalis. Ariſtot. locutus eſt de prima materia, & de primo efficiente, nos de ſecundis loquimur, quæ poſſunt coincidere.

Ad ſextum dicendum, quod ſpecies differentes ſpecie ſunt plures, ac differentes numero nequaquam, quia ſpecies non repræſentat principia indiuiduantia, niſi per accidens, & ideo Petrus, Paulus, & Antonius repræſentur vna ſpecie hominis.

LECTIO XVIII.

QVAESTIO XXIX.

Vtrum intellectus agens ſit ſubſtantia ſeparata.

Videtur quod ſic. Nam Phil. hic tex. 20. dicit, quod ſemper intelligit. Sed anima noſtra non ſemper intelligit, ſed quandoque ſic, & quandoque non. Ergo non erit pars animæ, ſed ſubſtantia ſeparata.

Secundo. Phil. tex. 19. ait intellectum eſſe ſeparatum, & immixtum. Ergo non eſt in anima: Ergo eſt ſubſtantia ſeparata.

Terto in eodem tex. dicit, quod intellectus eſt ens actu, ſed nihil eſt ſimul in potentia, & in actu. Ergo ſi anima eſt intellectus poſſibilis; id eſt in potentia, non erit intellectus agens, qui eſt in actu, & ſic erit ſubſtantia ſeparata.

Quarto ibidem videtur affirmare, quod in intellectu agente idem eſt intellectus, & res intellecta. Sed hoc conuenit ſeparatis.

Quinto hoc ibidem ſubinfert, ſeparatus autem & hoc, quod vere eſt, & hoc ſolum perpetuum, & immortale. Si ergo eſt quid ſeparatum, ergo non erit in nobis.

Sexto. Potentiæ fluunt ab eſſentia animæ. Sed intellectus agens videtur animæ ineſſe per participationem ſuperioris intellectus. Ergo.

Septimo hoc conatur probare Caietanus de mente Phil. ſic. Ex ratione Phil. videlicet, in omni natura eſt aliquid quod eſt omnia fieri, & aliquid quod eſt omnia facere nihil aliud amplius habemus, niſi quod in natura intellectuali ſicut datur agens, ita datur patiẽs, prout cauſæ inſunt effectui. Sed ex hoc nos non poſſumus deducere, quod ſicut patiens eſt pars animæ, ita etiam agens

ſit pars animæ, ſed potius quod agens ſit ſubſtantia ſeparata illuminatiua &c. Ergo.

Octauo. Quia Phil. attribuit intellectui agenti, quod intelligat. Sed vnum ſolum eſt intelligere in homine. Ergo intelligere intellectus agentis erit ſubſtantię ſeparatę, maxime cum vocet hunc intellectum, immixtum & ſeparatum.

Pro quæſtione examinanda non eſt opus multa percurrere, cum hic potius diſputem* de intentione Phil. quam de veritate, ad rei tamen claritatem, & ad Ariſt. mentem perluſtrandam, primo quædam annotabimus, deinde concluſionem veram probabimus, tertio fiet ſatis argumentis.

Quoad primum primo ſciendum eſt, quod circa præſentem difficultatem ſunt multę opiniones.

Prima igitur fuit opinio Alexādri, & Auicennæ, qui tenuerunt animam rationalem eſſe formam informantē, & non aſſiſtentem, & tamen negauerunt intellectum agentem eſſe partē animæ. Vnde Alexander dicebat eū eſſe primam cauſam, quæ ſicut vocatur bona, quia eſt cauſa bonitatis, ita vocatur intellectus agens, quoniam eſt cauſa omnis intellectionis. Sed Auicenna eum vocabat vltimam intelligentiam, mundo inferiori præſidentem, quem etiam datricem formarum nominauit, eo propter, quia omnes formas influit, & intellectum agentem, quia in inferioribus intellegibilibus ſpecies intelligibiles producit. Alij autem qui tenuerunt animam intellectiuam non eſſe formam informantem, ſed aſſiſtentem, fecerunt intellectum agentem ſubſtantiam ſeparatam, etiam ſecundum animam, & alij ſolum ſecundum virtutem, quas omnes opiniones deteſtatur Catholica fides. Et ideo ſtabimus ſuperius explicatis, ſ. quod intellectus agens eſt pars animæ.

Tertio igitur notandum, quod propter multas rationes ponimus intellectum agentem eſſe potentiam animę. Prima eſt vt dicebamus, quia in omni natura perfecta, ſi datur potentia paſſiua ordinata ad actum, in ea quoque datur potentia actiua, potens reducere paſſiuam ad actum. Nec valet, quod potentia ſenſitiua ſit mere paſſiua, & non habeat actiuum niſi ex ſtrinſecū, ſ. obiectum. Nam potentia ſenſitiua ſemper intelligitur ſub actu primo, & ſolum in potentia ad actum ſecundum, quod non verificatur de intellectu poſſibili. Sed, & addimus, quod ſenſus habet moueri ab obiecto extrinſeco, ad quod terminatur eius actio, vt in ſe eſt. Intellectus vero debet moueri ab intelligibili, vt in ipſo eſt. Secunda ratio eſt, quia agens, & paſſum ad vnum genus, vel ſpeciem pertinent, nam ſi materia eſt in potentia ad vnam numero formam, datur actiuum eam reducens ad hanc formam, ſi ad vnam formam ſpecie, datur actiuum, eam reducens ad vnam ſpeciē. Cum igit' intellectus poſſibilis, & agens, immo ipſum intelligere ſit vnum ſecundum ſpeciem, nam ex effectu arguimus vnitatem cauſæ. Ergo intellectus agens erit vnus ſecundum ſpeciem cum poſſibili, & ſic non erit ſubſtantia ſeparata, quæ differt ſpecie.

Rationes cur dandus eſt intellectus agens.

Tertia ratio eſt, quia anima in ſuo genere eſt perfecta, & conſequenter debet habere omnia quæ ſpectant ad eius perfectionem. Cum ergo intellectus agens eam conſtituat in eſſe actiuo, ſicut poſſibilis in eſſe paſſiuo, ſi deficit in intellectu poſſibili, ſupplere debet per intellectum agentē, & hæ rationes valeant etiam pro probationē concluſionis, ſed pro maiori claritate.

Secundo loco principali ponitur talis concluſio. Intellectus agens non

eſt

Cõcluſio probat. eſt ſubſtantia ſeparata, ſed eſt potentia animæ. Probatur primo. In omni natura, in qua inueniuntur potentia, & actus, eſt aliquid, quod ſe habet, vt materia, & aliquid, quod ſe habet, vt forma. Talis eſt anima intellectiua, quæ quandoque eſt in potentia ad intelligere, & quandoque actu intelligit. Ergo. Minor eſt nota. Maior fundatur ſupra rationem Ariſt. tex. 17. Reſpondet Caiet. quod vtique hæc duo ſunt in omni natura, ſed non intrinſece, & formaliter; ſed vel formaliter, vel cãliter, quia .ſ. in natura tali, materia erit intriſeca, & cauſa extrinſeca, mõ ratio Ariſt. hec ſolũ cõcludit.

Sed contra. Primo. Quia Phyl. dixit in animam reperiri actum, & potentiam, ſimilitudinem materiæ, & formæ, rationem agentis, & patientis, materiæ autem correſpondet actus intrinſecus, & paſſiuo formali, ſuum proprium actiuum, & non cõmune, ſicut cuilibet potentiæ paſſiuę naturali, correſpondet ſua actiua naturalis. Igitur hæ proportiones ſaluandæ ſunt inter intellectum agenté, & poſſibilẽ, & conſequenter intellectus agẽs non poteſt dici actiuum ſeparatum.

Secundo. Quia anima eſt natura perfecta. Ergo debet in ſe habere principia ſuæ perfectionis. Ergo ſi in ea datur principium paſſiuum intellectionis, in eo quoque dandum erit principium actiuum. Confirmatur. Quia ſi intellectus agens eſt cauſa intellectionis, & eſt ſubſtantia ſeparata, conſequenter erit ſubſtantia libera. Ergo poterit illuminare phantaſmata, & non illuminare &c. & ſic poterit dari homo qui omnibus ſenſibus bene ac commodatis, nunquam intelligar, & ſic ab intrinſeco, & formaliter poterit dari homo beſtia.

Secundo principaliter Ariſt. in tex. 17. 18. & 20. vocat intellectum agentem habitum. Sed habitus alteri inhęret, & non per ſe ſubſiſtit. Ergo intellectus agens erit potentia animæ, & non ſubſtantia ſeparata. Reſpondent Aduerſarij, quod aſſimilatio inter intellectum agentem, & habitum in hoc ſtat, quod vtimur habitu, quãdo volumus, & ita intellectu agente.

Sed contra. Id, quo vtimur, quando volumus, non eſt ſubſtantia ſeparata. Sed intellectu agente per aduerſarios, vtimur quando volumus. Ergo non erit ſubſtantia ſeparata. Minor nota. Maior probatur primo. Quia ſic intellectus inferre poſſet violentiam intelligentiæ, vel ad ſuam ſeruiturem eam habere. Secundo, quia actio intellectus agentis eſt modificata adhunc intellectõ poſſibilem. Ergo erit ei propria. Nam ſubſtantia ſeparata eſt modificatiua, & non modificata.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum dicimus, quod quando Phil. dixit intellectum ſemper intelligere, non loquebatur de intellectu agente ſed de poſſibili in actu ſecũdo, qui eſt idem cum re intellecta, quia res intellecta, eſt ipſe intellectus. Sed hæc reſponſio non placet Caiet. quia Phil. abſolute dixit, quod intellectus eſt idem cum re intellecta, & non dixit cum re intellecta, vt intellecta eſt. Nam differentia eſt inter ipsã rem intellectam, & rẽ intellectã vt intellecta eſt. Primo mõ conuenit ſubſtãtię vt ſaparatæ. Scdo aũt mõ itellectui noſtro. At qͣuis Phil. non expreſſerit hãc reduplicationem, eam tamẽ ſubintelligendam voluit, quoniam tex. 17. dixit. Animam ſecundum intellectum, & non ſecundum eſſe, intelligibilia eſſe, & ſecundum ſenſum ſenſibilia. Contra illud, quod Ariſt. loquebatur tũc de intellectu in actu inſtar Caiet. dicendo, hanc reſp. eſſe puerilem. Sed immerito tantam notã dat S. D. cuius eſt reſponſio, nam his locutionibus ſæpe vtitur Phil. vt dũ 9. Metaph. tex. 11. dixit. Id exiſtere in actu, quod non eſt in potentia, & quis hoc

hoc ignorat? Item in 5. aſſerit, quod cauſa in actu, eſt ſimul cum ſuo effectu in actu, quod nullus poteſt negare, explicuit igitur Ariſt. rem per notiſſima verba, quæ propterea poſſunt eſſe quaſi ſynonyma.

Ad ſecundum dicendum, quod eſſe ſeparatum a materia, & immixtum dupliciter ſtat. Primo abſolute, & ſimpliciter, & hoc conuenit ſubſtantijs ſeparatis, nec hoc aſſeruit Phil. de intellectu agente, vel poſſibili. Secundo ſolum ab organo corporeo; quæ ſeparatio ſtat pro hoc ſtatu; cum indigentia corporis, vt obiectum eſt, & ſic eſt ſeparatus ab organo corporali, neque eſt mixtus cum aliquo corporeo organo. Nam Phil. ſupradixerat intellectum poſſibilem eſſe ſeparatũ, & ideo idem voluit probare de intellectu agente, quia agens eſt nobilius patiente, vnde ratio pro nobis eſt, nã nullus dubitaret, quod ſubſtantia ſeparata, eſſet nobilior intellectu noſtro poſſibili.

Ad tertium dicendum eſt, non inconuenire, quod idem ſecundum diuerſa ſit in potentia, & in actu, ſicut anima reſpectu intellectus poſſibilis dicitur in potentia, & reſpectu agentis in actu, & hoc in genere intelligibilium.

Ad quartum dic ſicut ad primum.

Ad quintum dicendum, quod tũc non loquebatur, nec de intellectu agente, nec de poſſibili, ſed de tota ſubſtantia animæ, quæ eſt ſeparabilis, & immortalis, & ideo dixit hoc, quod vere eſt, ſ. ſubſtãtia, i. aĩa intellectiua.

Ad ſextum dicendum nihil officere, quodq; paſſiones fluant ab eſſentia animæ, quatenus eſt immaterialis, & Dei actio, ſ. eſt modificata in illa.

Ad ſeptimum dictum eſt.

Ad octauum diximus etiam. Non enim negamus intelligere ab intellectu agente, ſed tale, i. vltimatum, & formale, cum expreſſione verbi.

LECTIO XIX. XX. & XXI.

QVAESTIO XXX.

Vtrum anima ſit immortalis.

Videtur quod non. Forma, quæ determinatas diſpoſitiones requirit, his corruptis, & ipſa corrumpitur, quia ſequitur eorum eſſe. Sed anima requirit determinatas diſpoſitiones in materia. Igitur his corruptis, & ipſa corrumpitur.

Secundo, Ceſſante ratione animæ, videtur ipſa anima ceſſare. Sed ratio animæ, eſt dare corpori eſſe, viuere, & intelligere. Ergo dum hæc ceſſant in corpore, ſignum eſt, quod anima defecit.

Tertio. Vnio animæ intellectiuæ cum materia, aut eſt ipſa anima, aut eſt eius accidens ſeparabile. Si primũ, corpus eſſet incorruptibile, quia ſi ſemper remanet anima, remanet & illa vnio. Si ſecundum, non videtur, quomodo accidens ſeparabile poſſit manu tenere duas ſubſtantias.

Quarto. Si anima remanet corpore corrupto, corruptio non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentalis, contra Phil. 5. Phyſ. Prob. Quia principia permanerent incorrupta .ſ. materia prima, & anima, quæ eſt forma.

Quinto. Quod alicui conuenit ſecundum ſe, nõ poteſt ab eo ſeparari, ipſo ſtante. Sed animæ intellectiuæ conuenit per ſe eſſe formam corporis. Igitur cum deficit eſſe formam corporis, occumbit, & ipſa.

Sexto. Formæ ſeparatæ a materia .ſ. Angeli, & formæ in materia .ſ. animæ noſtræ non ſunt eiuſdem ſpeciei. Ergo ſi illæ ſecundum ſuam naturam ſunt ſeparatæ, hæ .ſ. animæ noſtræ erunt inſeparabiles, & per conſequẽs corruptibiles, & mortales.

Septi-

Septimo. Si anima noſtra eſſet immortalis, eſſet infinita in virtute eſſendi. Nam Phil. ex perpetuitate motus, arguit motorem infinitæ virtutis. Igitur ſimiliter ex virtute eſſendi infinita, poſſumus argumentari virtutem eſſendi infinitam. Sed anima nullo modo eſt infinita. Ergo.

Octauo. Sic daretur infinitum in actu. Nam per Philoſophum generatio eſt æterna. Si ergo anima eſt immortalis. Ergo infinitæ animæ præceſſerunt. Sed non poteſt dari infinitum in actu. Ergo.

Nono. Sic ſecundum Phil. daretur reſurrectio mortuorum. Sed hoc eſt falſum, cum ipſe 10. Metaphyſicę dicat, quod a priuatione ad habitũ non datur regreſſus. Probo aſſumptum. Vniri corpori, eſt animæ naturale. Ergo ſtare ſeparata a corpore erit ei contra naturam. Sed nullum violentum perpetuum. Igitur anima reuniretur corpori. Et ſecundo, quia ſeparata eſt pars, & conſequenter imperfecta. Igitur appetit ſuam perfectionem, quã cõſequetur per reunionem cum corpore.

Decimo. Nulla res poteſt manere ſine propria operatione. Sed ſi anima ſeparata remaneret, ſtaret ſine propria operatione. Ergo. Maior eſt clara. Minor probatur. Nam intelligere cum phãtaſmate eſt operatio animę: Sed phantaſma non poteſt eſſe in anima ſeparata. Ergo.

Vndecimo per Phil. 7. Metaph. partes, quæ poſſunt remanere ſeparatę a toto ſunt elementa. Sed anima nõ eſt elementum. Ergo.

Duodecimo. Nihil quod eſſe incepit, eſt æternum per Phil. primo Cęli. Sed anima incepit eſſe. Ergo.

Tertiodecimo. Corrupto intellectu, corrumpitur anima. Sed intellectus paſſiuus per Phil. hic eſt corruptibilis. Ergo.

Decimoquarto. Per eundem Phil. Si intelligere non eſt ſine phantaſia, anima nõ eſt ſeparabilis. Sed per eundem intelligere non eſt ſine phantaſia, quia anima nihil intelligit ſine phantaſmate. Ergo.

Decimoquinto. Quorum vnus eſt ortus, vnus videtur etiam eſſe interitus, Sed vnus eſt ortus hominum, & iumentorum (teſte Sal.) Ergo, & interitus.

Decimoſexto. Principium fini correſpondet. Sed omnia ex nihilo creata ſunt. Ergo in nihilum redigentur.

Decimoſeptimo. Omnes animæ operationes deficiunt. Ergo ipſa non erit ſempiternæ durationis.

Decimooctauo. Sic animæ ſeparatæ ſpecie diſtinguerentur, cum ſubſtantiæ ſeparatæ diſtinguantur ſpecie, & vnitę diſtinguerentur numero ex principijs indiuiduantibus. Videtur autem inconueniens, quod idem diſtinguatur ſpecie, & numero.

Decimonono. Hoc probatur auctoritatibus Ariſt. Nam 12. Diu. per conditionalem ſi, de eius immortalitate dubie locutus eſt.

Vigeſimo. Idem 2. Phyſ. tex. 83. cõnumerat animam intellectiuam inter formas generabiles, & corruptibiles, de quibus dicit ſe tractaturum.

Vigeſimoprimo. Idem 2. Phyſ. tex. 12. dicit animam eſſe naturam, & hanc non poſſe ſeparari, niſi ſecundũ rationem, quod autem non ſeparatur ſecundum eſſe, mortale eſt.

Vigeſimoſecundo. Idem 4. Phyſ. dicit formam non eſſe locum, quia locus ſeparatur a locato, forma vero non ſeparatur ab eo cuius eſt forma.

Vigeſimo tertio. Idẽ octauo Phyſ. tex. 52. dicit, quod principia, quæ ſe mouent per accidens ſunt corruptibilia. Sed anima eſt principium motum per accidens. Ergo.

Vigeſimo quarto. Idem duodecimo Metaph. aſſerit, quod Deo fœlicitas perpetuo ineſt, nobis autem pauco

tempore. Ergo anima non erit perpetua, & immortalis.

Vigeſimo quinto. Tertio Eth. inquit, Homines fortes in morte timere, quia vltimum terribilium eſt mors, & poſt hanc vitam nihil boni, vel mali videtur ſupereſſe.

Vigeſimo ſexto. In primo de anima tex. 13. dicit, quod ſi anima nihil intelligit ſine phantaſmate, non erit ſeparabilis. Modo in hoc tertio tex. 39. determinat eam nihil poſſe intelligere ſine phantaſmate. Ergo diffinit eam eſſe mortalem.

Vigeſimo ſeptimo. Vel anima noſtra educitur de potentia materiæ, vel creatur. Si primum, eſt corruptibilis. Si ſecundum, non videtur affirmatum a Phil.

Vigeſimo octauo. Si anima eſt ſeparabilis, poteſt moueri de loco ad locum, At hoc eſt contra Ariſt. ſexto Phyſ. dicentem, indiuiſibile nullo modo poſſe moueri.

Vigeſimo nono. In ſecũdo de Anima habet, quod nõdum notum eſt. Vtrũ intellectus ſit ſeparabilis ſecundum rem, & vtrum ſit vnitus ſicut forma vnitur materiæ, vel vt nauta vnitur naui.

Trigeſimo. Idem Ariſt. in hoc tertio loquẽdo de intellectu poſſibili, & agẽte diuerſimode loqui videtur. Nã de agente ait, quod eſt ſeparatus in eſſendo, ſed poſſibilis ſolum ſecũdum quidditatẽ, vnde eſt ſicut figura, quæ & ſi ſecundum ſe neq. lignea, neq. ærea ſit tamẽ, nõ poteſt eſſe niſi in aliqua materia, & ita intellectus, quamvis vt intellectus non ſit *in* mã, cum non ſit alligatus organo corporali, tamen non poteſt eſſe ſine materia.

Trigeſimo primo arguitur alijs argumentis. Corruptibile, & incorruptibile differunt genere per Ariſt. 10. Metaphy. Sed anima bruti, & anima hominis non differunt genere, cum conueniant in genere animalis. Ergo ſi anima bruti eſt corruptibilis, talis quoque erit anima hominis.

Trigeſimo ſecundo. Damaſc. aſſerit Angelum nõ natura, ſed gratia eſſe incorruptibilem. Ergo, & anima noſtra. Probatur ſequela, quia anima noſtra eſt natura Angelo inferior.

Trigeſimo tertio. Natura incorruptibilis habet, quod ſit ſemper. Sed animæ noſtræ non fuerunt ſemper, cum receperint eſſe poſt non eſſe. Ergo.

Trigeſimo quarto. Anima noſtra ſecũdũ ſuam eſſentiã eſt forma corporis. Sed ipſa per mortem deficit ab informatione corporis. Ergo moritur.

Trigeſimo quinto. Quęcunque cõiunguntur in vno eſſe, coniunguntur etiã in vna immortalitate, vel mortalitate. Sed anima vegetatiua, & ſenſitiua coniunguntur in vno eſſe, cum anima intellectiua, cũ tantum ſit vnũ eſſe hominis. Ergo ſi poſt mortem corporis anima nec vegetat, nec ſenſit, ſignum erit quod ſit mortua.

Trigeſimo ſexto. Natura inferior non attingit naturam ſuperioris, ſicut ſimia non attingit naturam hominis. Sed homo eſt natura inferior Angelo. Ergo non poterit peruenire ad perfectionẽ ſubſtantiarũ ſeparatarum, vt intelligat ſiue phantaſmate, ſed poſt mortẽ corporis nullum eſt phãtaſma. Ergo nec anima.

Trigeſimo ſeptimo. Habet Ariſt. primo Phy. omne finitum conſumi, aliquo ablato. Sed anima noſtra finita eſt, & eius bonũ minuitur per peccatum. Ergo tandem ad interitum deueniet.

Trigeſimo octauo. Debilitas effectus oſtendit debilitatẽ cauſę. Sed nos videmus hominem ad ſenectutem properantẽ continuo debilitari. Ergo & anima, quæ eſt eius cauſa, ita vt tandem moriente corpore, & ipſa moriatur.

Trigeſimo nono. Omne quod eſt

ex ni-

ex nihilo,in nihil redigendum venit. Sed anima eſt ex nihil.Ergo.

Quadrageſimo. Omne quod eſt per ſe ſubſiſtens eſt hoc aliquid, per Ariſt. in prædicamentis. Sed anima noſtra non poteſt eſſe hoc aliquid, cum tale ſit completum in ſpecie, & non pars, vt eſt anima noſtra. Ergo non poteſt per ſe ſubſiſtere.

Quadrageſimo primo. Vnius eſſētię vnus eſt modus eſſendi. Ergo vnus modus operandi. Ergo animę natura quæ eſt vnius eſſentiæ non habebit modum intelligendi,niſi per conuerſionē ad phantaſmata. Ergo eſt mortalis. Prima conſequentia patet, quia modus operandi,eſt ſecūdū modū eſſendi. Secunda. Quia talem modum in hac vita retinet,Tertia. Quia hoc docuit Ariſt.

Quadrageſimo ſecundo. Denominatio fit a ſuperabundatiori ex ſexto Phy. Sed operationes animæ quæ eam oſtendunt mortalem ſuperabundant, ſcilicet tot operationes pertinentes ad eam,vt eſt uegetatiua, & ſenſitiua,præualent enim vni intelligere. Ergo.

Quadrageſimo tertio. Denominatio fit ab eo quod præualet. Sed operationes oſtendētes animam mortalem præualent in homine,pręualent enim perſectæ,& efficaces operationes ſenſuum in omnibus fere hominibus,intelligere obſcuro, & confuſo,& paucorum hominum.

Quadrageſimo quarto. Anima vt intellectiua etiam eſt, eſt actus corporis ſecundum .S. D. Ergo eſt mortalis. Probatur ſequela, quia ſic eſt actus corporis, quod deficit.

Quadrageſimo quinto Per Ariſt.hic c. de intellectu agēte,ſolus intellectus agens eſt immortalis, poſſibilis vero corrumpitur, quodam interius corrupto. Sed intellectus poſſibilis eſt intrinſecus animæ,vt patet per eundem Ariſt. Ergo eo corrupto corrumpitur anima.

Quadrageſimo ſexto. Anima non eſt hoc aliquid. Ergo non eſt incorruptibilis. Antecedens eſt Ariſt. dicentis animam eſſe quo,& non quod. Sequela tenet quia,ſic nō habebit niſi eſſe compoſiti ſubſiſtentis, quod corrumpitur.

Quadrageſimo ſeptimo. Intelligētiæ nō poſſunt habere modum intelligendi animæ humanæ.i.diſcurſum. Ergo nec anima humana poterit habere modū intelligēdi intelligētiarū, .ſ. ſine phantaſmate. Probatur primo, quia in hoc diſtinguuntur in intelligere Secundo, quia operationes non poſſunt tranſmutari, ita vt diſcurrere ſit ſimplex intelligere,& e cōtra. Tertio, quia ab intrinſeco habet anima intelligere cū phantaſmate,& conſequenter inſeparabiliter. Quarto,quia Ariſt. nullam poſuit intelligentiā ſine corpore,quod moueret.

Quadrageſimo octauo. Irrationabile videtur quod dentur quędā potentię in anima otioſæ. At tales eſſent in anima ſeparata omnes operationes vegetatiuæ, & ſenſitiuæ. Ergo.

Quadrageſimo nono. Ariſtoteles miracula ignorauit. At miraculū eſt, quod forma ſtet, ſine eo cuius dicitur forma,& maius quam quod in ſacramento altaris accidens ſtet ſine ſubiecto,cum vnio accidentis cum ſubiecto ſit accidentalis,& diſſolubilis,animæ vero cum corpore ſit per ſe, & eſſentialis. Ergo.

Quinquageſimo. Si anima ſtat ſeparata. Ergo tunc erit ſubſtantia ſeparata. Hoc falsū, quia talis non conſideratur a Phyſico niſi vt principiū motus, vt dicitur octauo phy. Anima autem conſideratur quidditatiue, & ſecundum ſe. Ergo.

Quinquageſimo primo. Inter appetitum intellectiuum, & ſenſitiuum

eſt cōtinua pugna & viciſſitudinaria victoria, ſed in anima ſeparata non poteſt eſſe pugna, nec paſſiua victoria, Ergo.

Quinquageſimo ſecūdo. Anima, ab extrinſeco non poteſt aduenire Ergo erit mortalis. Conſequentia admittitur. Antecedēs probatur. Primo. Quia ſic anima exiſteret ante corpus. Secundo. Prius eſſet, quam informaret contra Ariſt. 12. Diuinorum, vbi negat formam præcedere id, cuius eſt forma. Tertio. Quia ſubiectū nō præcedit animam, ſicut nec anima ſubiectum. Quarto. Quia non poteſt eſſe forma eſſentialis corporis, ſi prius eſt completa in ſe, nā ex octauo Metaph. quæ fiunt per ſe, vtrumque eſt in potētia, & neutrum ſtat per ſe. Quinto. Quia ſic ſe haberet vt intelligentia ad orbem. Sexto. Quia anima definitur per ſubiectum ex Ariſt. 2. de Anima, & 7. Metaphy. quia dicit neceſſariam habitudinem ad ipſum, Ergo deducitur ex potentia materiæ, ſeu ſubiecti.

Quinquageſimo tertio. Vere immortale non poteſt eſſe principium formale corruptibilium. At anima eſt principium formale operationū corruptibilium, ſcilicet nutritionis, augmenti &c. Ergo &c.

Quinquageſimo quarto. Anima ſine materia nō producitur, Ergo nec ſine ea eſſe poteſt. Probatur, quia vnum infert aliud.

Quinquageſimo quinto. Generatio hominis eſt vniuoca, & ſimpliciter ab homine. Ergo generās generat formā, & homo animā, aliter dī generās ſecundum quid, cum non producat materiam, nec formā, ſed tātum faciat vnionem.

Quinquageſimo ſexto. Mundus ſecundum Ariſt. octauo phy. primo de cęlo, ſecundo de generat. & 12. Metaphy. non potuit, non ſemper fuiſſe. Ergo nec anima. Ergo ſemper fuit. Hoc falſum. Ergo. Probatur ſequela, quia idem eſt iudicium de toto, & parte.

Quinquageſimo ſeptimo. Ab agēte ęterno nō poteſt eſſe effectus nouus ſine eius mutatione, ex Ariſt. ſexto phy. à textu ſexto vſque ad 13. Ergo anima non poteſt de nouo creari, nā Deus eſt agens æternum, agens ſine ſui mutatione.

Quinquageſimo octauo. Anima coniuncta perfectior dicitur quam ſeparata. Sed in ſtatu coniunctionis parum cognoſcit. Ergo multo magis ſeparata, Hoc autem videtur inconueniens, quod ſit ſubſtantia ſeparata intellectualis, & parum intelligat. Ergo melius dicitur, quod cum corpore intereat.

Pro deciſione huius magnæ quæſtionis, quæ de ſumma rerum agit. Primo aliqua annotabimus. Secundo veram concluſionem ponemus, & probabimus. Tertio defenſabimus expoſitionem S. D. in lect. 10. a Caiet. impugnatam, Quarto reſpondebimus obiectis.

Quoad primum notandum eſt, ꝙ famoſiores opiniones de immortalitate animæ tres ſunt. Dicendum eſt ergo prius, quod præſens quæſtio dupliciter poteſt diſputari. Primò ſecundum veritatem, & ita quamuis multi tenuerint Ariſt. feciſſe animam mortalem, vel de hac re dubium fuiſſe, tamen ſecundum eorum propriam ſententiam animam eſſe immortalem profitētur, vt Greg. Niſſenus, Scotus. Herueus, & Thomas Caiet. Secundo modo poteſt diſputari de mēte Ariſt. & vtroque modo eam examinabimus.

Quidam ergo vt Epicurei Saducei, & quidam alij Heretici, apud Caſtro lib. 2. aduer ſus hereſes, verbo anima abſolute tenuerunt animam eſſe mortalem,

talem, propter quod eam nominabãt humorum complexionem; hancque ſententiã videtur recepiſſe Galenus, eam tamen retractaſſe credo lib. de timore, & rigore, in quo illos laudat, qui animam fecerunt immortalem.

Immortalitatẽ autem animæ omnes Catolici indubie, & libentiſſime fatentur, & inter Philoſophos Triſmegiſtus, Diogenes, Tucidides, Tales Mileſius, Zoroaſtes, Anaxagoras, Aratus, Feresſides, Pytagoras, Plotinus, Porphyrius, Plato, ac multi alij apud Nicolaum Fabentinum lib. primo de Immortalitate animæ, Cap. 11.

Opiniones. Sed quoad mentem Ariſt. quidam volũt, vt Iuſtin⁹ Martir, Theodoſius, & duo Gregorij, Niſſenus, & Naziãzenus, & cum his Thomas Caietanus, quod ſenſerit animam eſſe Corruptibilem, & Mortalem. Alij vero tenent vt Scotus in quarto diſt. 43. q. 2. Herueus, & Niphus Ariſtotilem de hac re fuiſſe dubium. At alij defendunt Ariſtotilem tenuiſſe indubie animam noſtram eſſe ſempiternam, & immortalem. Ita S D. cum Lateranenſi 2. contra gentes. Cap. 79. Olimpidorus, Ammonius, Philoponus, Simplicius, & Auicenna, apud Mirandulanũ, lib. 4. de examine vanitatis, Cap. 9. Albertus Magnus tractatu 2. & in 4. Diſt. 8. quæſt. 5. Eugubinus lib. 9. de perẽni Philoſophia Ca. 18. & fere omnes recentiores.

Perpetuũ ſimpliciter, & ſecundum quod. Secundo notandum. Quod perpetuum dupliciter ſumitur. Primo pro perpetuo ſimpliciter, ſ. pro eo, ꝙ nec initium habuit, nec finem habebit. Secundo pro perpetuo ſecundum quid, ſ. a parte poſt, quod quidem habuit ortum, ſed non habebit interitũ, & hoc ſecundo modo quærimus, & dicimus animam eſſe perpetuam, & immortalem.

Hoc autem bifariam intelligi poteſt. Primo ex gratia, & quaſi ab extrinſeco. Secundo ex natura, & ab intrinſeco, quo modo dicimus etiã Angelos eſſe perpetuos. Hoc ergo ſecundo modo, & non primo modo animã noſtram immortalem facimus, affirmamusq; oppoſitũ periculoſum eſſe in fide. Primo, quia anima noſtra a Deo creatur vt independens in eſſe, a corpore. Secundo, quia ab aliquo nõ poteſt occidi Mat. 10. Tertio, quia id videtur definiuiſſe Concilium Lateranenſe tertium, ſub Leone. 10. Seſſione 8. Non eſt tamen de fide, hoc euidenti ratione naturali poſſe deduci, vt docuit Caietanus, non enim Eccleſia diffiniuit hoc eſſe certum, & euidens, ex lumine naturali, ſed probabile, nam aliter non erraſſent multi Philoſophi.

Anima eſt immortalis ab intrinſeco. Tertio notandum, quod immortale, & incorruptibile duplex eſt. Primum ab intrinſeco, & hoc eſt illud, quod compoſitionem ex contrarijs non admittit, nec materiam nouit. Secundum ab extrinſeco, & hoc eſt illud, quod ſecundum ſe eſt incorruptibile, i. ab intrinſeco, tamen ab aliquo extrinſeco principio corrumpi poteſt, vt ſunt corpora cæleſtia, & animæ noſtræ, quæ ſecundum ſe ſũt entia incorruptibilia, & tamẽ ab omnipotente in nihilum redigi poſſunt. Facimus ergo animam incorruptibilem hic ab intrinſeco, & ſi nõn ab extrinſeco, quia omnia Deo ſubijciunt.

Et vt forma ſubſiſtens. Quarto notandum, quod forma non dicatur corrumpi, bifariam poteſt intelligi. Primo ratione ſui, & hoc quidem verum eſt de omni forma, ſiue ſit educta de potentia materiæ, ſiue deforis veniat, nam forma dicit eſſe, & actum, quæ abſunt a corruptione. Secundo ratione ſubiecti, ſiue per accidens, & ita omnes formę eductæ de potentia materiæ corrumpuntur ad corruptionem ſubiecti, quia non poſſunt habere eſſe niſi in ſubiecto. At formæ non eductę de potentia materiæ non corrumpuntur, quia

poſſunt

poſſunt ſine ſubiecto eſſe.

Et vt eſt, quo, & quod. Quinto rememorandum eſt, id ꝙ in ſuperioribus declarauimus, videlicet, quod quædam ſunt formæ, quę ſolum ſe habent, vt quo, ſ. illæ, quæ ſunt eductæ de potentia materiæ, & conſequenter ſunt corruptibiles. Aliæ ſunt formæ, quę ſe habent vt quo, & vt quod, ſ. quæ ſecundum ſe habẽt eſſe, & eſſe dant ſuppoſito, & hæ non educuntur de potentia materiæ, ſed dicuntur quo, vt dant eſſe compoſito materiale, & dicuntur quod, vt per ſe ſubſiſtunt, & totum eorum eſſe non compręhenditur a materia, & habẽt aliquam operationem propriam, in qua non communicat corpus, & tales ſunt animæ intellectiuæ.

Quoad ſecundum concluſio eſt. Anima intellectiua perpetua eſt, & immortalis. Probatur primo.

Si anima habet propriam operationem abſque corpore eſt ſeparabilis, & immortalis. Sed anima habet propriam operationem a corpore nõ dependentẽ, ſ. intelligere. Ergo. Maior eſt Ariſt. vt ſupra. Minor eſt vera, & nota.

Reſpondent aduerſarij primo, ꝙ eſſe ſeparabile a corpore ſtat dupliciter. Primo ſecundum eſſe, ſecundo ſecundum operationem. Senſus ergo Phil. eſt, quod ſi anima habet propriam operationem erit ſeparabilis a corpore, non ſecundum eſſe, ſed ſecundum operationem. Secundo reſpondent, quod habere propriam operationem ſtat bifariam. Primo abſolute .i. operationem nullo modo eſſe cõmunicabilem corpori. Secundo ſecundum quid .i. habere propriam operationem non dependentem a corpore, vt ab organo, ab eo tamen dependentem vt ab obiecto, quia anima nihil intelligit pro hoc ſtatu, ſine phãtaſmate. Sed contra primam reſponſionem arguitur.

Quia ibi Ariſt. ex ſeparabilitate ſecundum operationem, arguit ſeparabilitatem ſecundum eſſe, quia operatio ſequitur naturam operantis, & eſt eius certiſſimum teſtimonium. Contra ſecundam inſtatur, quia dependere a corpore, vt ab obiecto non arguit corruptibilitatem, nam per hoc diſtinguitur a dependere a corpore, vt ab organo, quia ſic dicit fixionem, mõ apertiſſimis verbis docuit Ariſt. tex. 5. & 6. quod intellectus poſſibilis eſt immixtus, i. non alligatus organo corporeo. Sed adijciamus animam per Dei potentiam poſſe intelligere ſi ei immediate ſpecies infunderet, vt facit in raptu. Ergo non repugnat animã intelligere ſiue phantaſia ſenſata.

Cõfir. Per Ariſt. 12. textu primi de Aĩa vbi habet (vt diximus) dubitationẽ eſſe. An animæ operationes ſint communes, & habenti .i. corpori, an vero ſit aliqua, & animæ propria operatio .i. vt diſtinguitur contra corpus, textu autem 13. concludit hanc conditionalem. Si quidem igitur eſt aliquid animæ operum, aut paſſionum, proprium, continget vtique eam ſeparari ſic. Non ergo eſt neceſſarium (vt dicit Caiet.) quod habere propriã operationẽ excludat corpus non ſolũ vt organum, verum etiam vt obiectũ, quod non facit anima pro hoc ſtatu, ſed ſufficit quod non habeat communem operationem cum corpore, vt operatur, non dicitur autem corpus operari vt obiectum, ſed vt organum, ergo vult dicere, quod anima ſi habet propriam operationem in qua corpus non communicat vt organum, erit ſeparabilis. Hanc autẽ habere docuit tertio de Anima, dum dixit intellecta eſſe immixtum, non affixum organo corporali, &c. Nec ſatisfacit reſponſio Caiet. dicentis Ariſt. facere intellectum immixtum, & ſeparatum primo quidditatiue .i. diffinitiue, quia habet propriam definitionem. Secundo perfectiue, quia non dependet a quali-

qualitatibus corporis, quia .ſ. non fit nec calidus, nec frigidus. Sed non fecit eum ſeparatum exiſtenter (in quo modo ſtat difficultas) cum fecerit eũ corporis actum. Nam conſtat Ariſt. 2. de generat. animalium cap. 3. dixiſſe mentem eſſe immixtam, & cum eius actione non communicare corpus. Ibi autem tractat ordinate de animabus. Primo de vegetatiua, dein de de ſenſitiua, & tertio de intellectiua, quam ibi mentem (ſecũdum quod nominatur) vt bene notauit Magiſter meus in ſua Theologia Ariſt. Hyeronimus Soncinas lib. 1. cap. 7. appellauit. Iſta enim ſunt verba Ariſt. Itaque extrinſecus aduenire eas animas, (.ſ. vegetatiua, & ſenſitiua de quib. ſermonem fecerat) impoſſibile eſt, neq; enim ipſe accedere poſſunt, cum inſeparabiles ſint, neque cum corpore. Semen enim excrementum alimenti mutati eſt. Mens ſola extrinſecus accedit, eaque ſola diuina eſt, nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. Ex quibus verbis tria deduco. Primum, quod ibi non loquitur de intellectu agente, vt voluit Caiet. ſed de anima intellectiua. Probatur. Quia ibi enumerat animas cum ſuis potentijs, ergo non potentiam, Secundo. Quia dicit ibi mentem intelligere, intellectus autem agens non intelligit, ſed cauſat intellectionem. Tertio. Quia eam ibi facit immixtam, & ſeparatam, & hoc idẽ attribuit intellectui poſſibili, qui eſt formalis potentia animæ. Nam textu 3. tertij de Anima dicit, intellectum poſſibilem eſſe impaſſibilem, textu 4. eſſe immixtum, textu 7. eſſe ſeparatũ, q̃ conditiones attribuuntur poſtea ẽt ĩtellectui agẽti ab eodẽ Ariſt. tex. 19. vnde quod vni conceditur, ab alio nõ negatur. Secundo deduco animam intellectiuam extrinſecus aduenire, & conſequenter non educi de potentia materiæ, & conſequenter non dependere a materia in eſſe, & conſeruari, & conſequenter eſſe ſeparabilem, & immortalem. Tertio deduco Ariſt. ibi definiuiſſe, animam habere propriã operationem, in qua non communicat corpus (intellige vt organum, nam, vt dictũ eſt concurrere ſemper affirmauit Ariſt. etiam reſpectu intellectus agentis, cum eius officium ſit illuſtrare phantaſmata) Ergo cum dixerit primo de Anima; tex. 13. conditionaliter, quod ſi anima habet propriam operationem in qua non communicat corpus eſt ſeparabilis, & hic affirmet eam habere talem operationem, deducendum venit, ipſum tenuiſſe liquide, & clare animam eſſe ſeparabilem, & immortalem.

2. Si Ariſt. intellexiſſet facere ſolũ intellectum agentem ſeparabilem, immixtum, & organo corporali carentem, non vero poſſibilem, qui eſt pars animę, vt dicitur in primo textu huius tertij, tot inconuenientia ſequerentur. Primum, quod ſibi contra diceret. Nam in ſecundo de Anima tex. 18. affirmat, quod anima determinatur vegetatiuo, ſenſitiuo, intellectiuo, & motiuo, in textu autem 22. concludit, quod intellectus noſter (quem ſupra fecerat partem animæ) videt aliud genus eſſe animæ a vegetatiuo, & ſenſitiuo, & ſic ſolum contingere ſeparari, ſicut, perpetuum a corruptibili. Quomodo ergo poterit facere intellectum poſſibilem inſeparabilẽ, & mortalem in eadem ſerie dicendi? De intellectu enim vt diſtinguitur vt pars animæ intellectiuæ, a ſenſitiuo, & vegetatiuo ibi ſermo eſt. Talis autẽ non eſt agens ſed poſſibilis. Secundũ, eſt, quod fuiſſet mancus non ponẽdo in hoc diſcrimen inter intellectum agentem, & poſſibilem, immo eadem vtrique attribuendo vt ſupra.

3. Secũdo principaliter probatur cõcluſio. Per Phil. ſecundo de anima dicentem, nihil prohibere quaſdam par-

partes eſſe ſeparabiles, cum nullius corporis ſint actus. Et in ſecundo dicit, quod de intellectu, & ſpeculatiua potentia nihil adhuc erat manifeſtū, vtrum eſſent ſeparabiles, vel non, ſed videbantur genus alterum animæ eſſe, & poſſe ſeparari, ſicut perpetuum ſeparatur a corruptibili. Reſpondent contrarij, quod per ſeparari intellexit Phil. ſeparationem in operando, & non in eſſendo. Et ſecundo quod ibi loquebatur de intellectu agente, qui eſt ſubſtantia ſeparata. Sed cōtra primam ſtat ſenſus Phil. ibi loquentis de ſeparatione vera, & reali ab organo, quod illa maxima. Intus exiſtens &c: ſuadet. Contra ſecūdam ſtant impugnationes ſuperius factæ.

Tertio Phil primo de anima tex. decimo ſexto ait, ꝙ amare, cogitare, & ſimilia cum corpore deſtruuntur. At intellectus eſt quoddam diuinum, & immobile.

Quarto. Libro ſecūdo de partibus animalium atteſtatur, quod in actione intellectus nihil communicat corpus, & ideo eſt ſeparabilis. Et 2. de generatione animalium, cap. tertio hæc habet. Reſtat igitur vt mens ſola extrinſecus accedat, ea quæ ſola diuina ſit, nihil enim cum eius actione communicat corpus. Ex quibus verbis habemus animā non educi de potentia materiæ, & conſequenter in eſſe, & conſeruari non dependere a corpore, habereq. operationem propriam, & conſequenter ſecundum eius principia eſſe immortalem. Hancq. veritatem aſſecuti ſunt plures alij Philoſophi apud Eugubinum de perenni philoſophia lib. 9. cap. 3. & 8.

Quinto. Libro primo ſimiliter de partibus animalium cap. primo affirmat, non eſſe Phyſici tractare de anima intellectiua, quia eius eſſe non pendet a corpore.

Sexto. Primo Ethicorum cap. 11. habet, quod ea, quæ accidūt in hunc mundum, parum mortuos offendunt, vel eis proſunt, quia hæc non ſufficiunt beatos facere, qui non ſunt, nec eos qui beati ſunt, non beatos conſtituere. Ergo ſecundum Ariſt. Animæ poſt corpus remanēt, & beari poſſunt, vnde patet ꝙ in primo Ethic. cap. decimo locutus eſt de fælicitate huius vitæ, quæ non eſt poſt mortem, in cap. autem 11. locutus eſt de fælicitate abſolute, quæ poſt hanc vitam bonis ſupereſt.

Septimo. Natura non inclinat ad impoſſibile; Sed intellectus humanus deſiderat infinita intelligere, immo, Deo cognito, cupit ipſum videre, Voluntas etiam in ſummum bonum fertur, quod in hac vita non poteſt adipiſci. Vnde in alia ſperat ipſi coniungi. Propterquæ non parcit vigilijs, & laboribus, quæritq. poſt ſe relinquere nomen bonū, vt memoria eius ſit in benedictione, quę omnia anima intellectiua maxima connaturalitate, & perpetua firmitate amplexatur. Et ex quibus tanquam perpetuis teſtimonijs ſuæ immortalitatis, ſe a corpore eſſe ſeparabilem declarat.

Octauo. Anima intellectiua cum ſit nobiliſſima nō videtur, aliqua ratione ex infirma, & ſpurciſſima mā ſeminis educi. Ergo a Deo creata cenſenda eſt, & ad eum, qui eam creauit, tandem reducenda, vt qui eam fecit ad ſe, & inquietam eam conſtituit donec in ipſum requieſcat, tandem illam ad ſe trahat, & appetitum eius ſatiet, vt mobile ad ſuum locum perueniat.

Nono. Res corruptibiles quanto magis ſeneſcunt, tanto amplius debiliores fiunt. At e contra intellectus, quanto magis in dies creſcit, tāto magis virtuoſior, & validior efficitur. Ergo ſignum eſt, quod per deficientiam non corrumpitur, ſed per ſuam naturam perpetuatur.

Decimo. Magnum inditium immor-

mortalitatis animæ cenſetur, quod ſapientiores viri mundi oblectamenta ſpernűt, diuitijs renűciãt, & multis aſperitatib. ſe ſubijciűt. Propterea qđ mométaneű, ẽ & leue huius noſtri ſeculi, ſupra modű æternű gloriæ pód⁹ in ipſis operari dijudicant, ac tenent.

Vndecimo. Vniuerſum non eſt dicendum vniuerſali bono carere, ſcilicet bono ordinis vniuerſi. Hic autem ordo maxime poſtulat, vt nobiliora infimis dominentur. Ergo hoc idem tenendum erit eſſe ordinatum in ordine intellectualium, & rationalium. Videmus autem, quod in hac vita ſæpe improbi viri præſunt, & contra bonos tyrannidem exercent. Putandum ne igitur erit, quod iudex non adſit, qui hunc ordinem inuerſum ad rectitudinem nõ deducat, puniendo malos de malis, & prçmia largiendo bonis de bonis? Hinc D. clem. lib. 3. recognit fatetur ſe ab ore Diu. Petri hçc verba audiuiſſe, ſi Deus iuſtus eſt, anima immortalis eſt. Vide D. Chriſoſt. hom. 4. de prouidentia.

Duodecimo tandẽ, hoc idẽ ſuadẽt oẽs leges, legiſlatores, & virtutes, qui ſine præmio eſſe nõ poſſunt, cõuincimurq; ex cõi cõſenſu bonorum, qui ſemper fecerunt aĩam immortalem.

Quod ad tertium ſcilicet quo ad opinionem Caiet. dico ipſum tenuiſſe Ariſt. ſenſiſſe animam eſſe mortalem, & quia expoſitio S. Doct. ſibi repugnabat, ideo illam conatur euertere. Inquit ergo primo expoſitionẽ S. Doctoris circa ly reminiſcimur (qđ D. Thomas interpretatur de reminiſcentia animæ poſt mortem) male ſtare, quia ſi de reminiſcentia animæ locutus fuiſſet, dixiſſet reminiſcitur, & non remiſcimur. Secundo, quia ly quia, ſecundum expoſitionem eius nihil facit, & tamen eſt nota cauſalis. Tertio dicit, quod ly intellectus paſſiuus male ab eo ex ponitur pro cogitatiua, nam vnquam Ariſt. ſumpſit ſic intellectum pro cogitatiua, ſed ſolum pro intellectu agente, vel poſſibili. Ergo cum hic dicat Phil. intellectum paſſiuum eſſe corruptibilem, fatédű quoq. erit, qđ aĩa cuius eſt potentia ſit corruptibilis. Confirmatur quarto, qa ſi intellectu paſſiuo cogitatiuo intelligeret, dixiſſet vnq. ſine hoc nihil cogitat anima, & nõ dixiſſet, ſine hoc nihil intelligit anima.

Quinto ait, quod verba Phil. primo de anima tex. 66. non eſſent ad propoſitum, quia ibi loquebatur de paſſionibus aĩæ, diſtinctæ contra ſuppoſitű: hic aűt loquitur de nobis hominibus.

Sexto pro hac ſua opinione aſſumit quaſdam auctoritates Phil. vt ex 1. Ethic. quo in loco aſſerit aĩam felicitari ſm quid. Si aűt eſſet immortalis felicitari poſſet ſimpliciter. Agglutinat qđã alia, ſed ex dicẽdis ſoluetur.

Operationes animæ dupli ces. Aduertẽdum eſt ergo primo, quod ſpecies operationum ſunt in duplici differentia. Quædam enim etiam cõpoſito ſűt communes, vt amare, odio habere, reminiſci, & conſimiles, quæ cum aliqua paſſione, & immutatione ſenſitiua, & corporali fiunt. Aliæ vero ſunt operationes propriæ animæ, in quibus corpus non communicat, vt intelligere, & velle. Phil. ergo in tex. 20. negauit primas operationes remanere, ppea qđ intellectus paſſiuus .i. cogitatiua, q̃ immutatur a ſẽſibus corruptibilis eſt. Sed aĩa vt intellectiua eſt, ſimpliciter impaſſibilis eſt.

Cogitatiua dicitur in tellectus participatiue. Secundo notandum, quod cogitatiua dicatur intellectus, bifariam intelligi poteſt. Primo abſolute, & hoc eſt falſum, cum ſic intellectus dicatur tantum de agente, & poſſibili, cogitatiua autem eſt ſenſus interior, quæ ſenſibiliter immutatur. Secundo ſecűdum quid .i. in ordine ad paſſiones impreſſas a ſenſibus in cogitatiuam, quæ aliquid de ratione participat, ex eius coniunctione ad intellectum, & hoc modo hic vocatur intellectus paſ-

ſiuus, ſcilicet non formaliter, ſed participatiue.

Reminiſcentia duplex. Tertio notandum, quod duplex eſt reminiſcentia. Prima dicitur ſenſitiua, & hæc eſt cum immutatione corporali, & non remanet in anima ſeparata. Secũda dicitur intellectiua, quæ non eſt niſi intellectus ſpeciebus informatus, & hæc remanet iuxta illud Hieronymi: Diſcamus in terris, quoniam hæc ſcientia nobis remanebit in cęlis, ſed de his infra.

Sẽſus verborũ Phil. Quarto ergo ſic interpretanda eſt litera Phil. Anima intellectiua, quæ eſt vere quod eſt, perpetua erit, & immortalis, ſed non reminiſcimur poſt mortem eorum, quæ in hac vita nouimus, ſcilicet quoad illum modũ .ſ. per conuerſionem ad phantaſmata, cum auxilio exteriorum ſenſuum, quia anima intellectiua ſeparata, tunc non dicitur pati. Paſsiuus vero intellectus .i. cogitatiua, quæ participatiue intelligit corruptibilis eſt, ſine cogitatiua autem nihil intelligit anima pro hoc ſtatu.

His ſtantibus ad primum Caiet. dicimus, quod anima quandoq. ſumitur pro corpore ſecundũ illud Domini. Qui amat animam ſuam perdet eam, & quandoq. compoſitum ſumitur pro anima, quia anima eſt principalior pars compoſiti, & ſic ly reminiſcimur, ſtat hic pro anima. Secundo dicimus, quod ly reminiſcimur ſtat pro toto, ſed pro anima, vt pro medio, vt ſit ſenſus. Non reminiſcimur autem per animam.

Ad ſecundum negatur, quod ly, quia, non deſeruiat literæ, facit enim ſenſum, quod poſt mortem non reminiſcimur, reminiſcentia .ſ. ſenſitiua, quia intellectus paſsiuus .i. cogitatiua corrumpitur.

Ad tertium dicendum, quod cogitatiua vocatur intellectus participatiue, vt ſupra. Vnde eam nõ vocat intellectum abſolute, ſed intellectum paſsiuũ, & corruptibilem, nec hoc eſt inconueniens, cum Phil. hic tex. 48. vocet etiam phantaſma intellectum, & per hoc patet ad quartum.

Ad quintum ſatis dictum eſt, quod de anima, quæ eſt principalis pars in homine loquebatur.

Ad ſextum dicendum quod ibi cõſiderauit hominem pro preſẽti ſtatu. in 9. aũt Metaphy. poſuit felicitatem hominis poſt mortẽ in cognitione ſubſtantiarum ſeparatarum, non explicando modum, quem tandem docuit Theologia.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum principale dicendum eſt, quod requirere determinatas diſpoſitiones ſtat dupliciter. Primo in fieri, & ſic verum eſt, quod anima in fieri requirit determinatas diſpoſitiones. Secundo in facto eſſe, & ſemper, & hoc falſum eſt, vnde poteſt ſeparari a corpore. Secundo dicitur, quod maior valet de formis, quę ſolum ſe habent, vt quo, anima autem ſe habet vt quo, & vt quod, & vt quod non dependet a corpore.

Ad ſecundũ ſimiliter dicitur, quod ceſſante ratione formæ, quæ ſe habet vt quo, ſcilicet informare corpus, & ipſamet ceſſat, ſed hoc non valet de forma, quæ ſe habet vt quo, & vt quod, niſi quo, ad quo, nam quo ad quod cum non dependeat a corpore, ideo non ceſſat, ipſo ceſſante.

Ad tertiũ dicimus, quod illa vnio eſt accidens ſeparabile, quod autem accidens non poſſit vnire, & manutenere duas ſubſtantias ſtat duobus modis. Primo tanquam cauſa, & hoc falſum eſt. Secundo tanquam quoddam relatiuum conſequens ipsã vnionem, & hoc verum eſt, quia ſequitur formam, ſecundum quod per ſuum eſſe materiæ vnitur. Secundo poſſumus dicere, quod eſt accidens inſeparabile pro illo tunc, pro quo vnio durat, & vnum contrariorum alteri non dominatur. Ex victoria autem vnius con-

contrarij ſit accidens ſeparabile, neq; hoc mirum eſt, conſideratis vnibilibus, & vnione.

Ad quartum dicendum, quod in homine tria ſunt conſideranda, ſcilicet materia, forma, & vnio formæ cum materia, quæ eſt vnio actus cum potentia. Modo dico, quod corrupto compoſito dicitur corrupta ſubſtantia, ſcilicet completa, quia forma non eſt amplius forma materię, & quamuis illa vnio ſit accidens, ſua natura tamen ſubiectiue dicitur ſubſtantia, quia nominat ſubſtantiam vnitam.

Ad quintum dicendum, quod aliquid conuenire alicui ſtat dupliciter. Primo tanquam conſequens materiam, & hoc non ſemper ineſt. Secundo tanquam conſequens formam, & hoc ſemper ineſt. Modo eſſe formam corporis conuenit animæ ratione materiæ, id eſt vt eſt eius actus. Secundo dicitur, quod conuenire alicui per ſe ſtat bifariam. Primo per modum actus primi, ideſt eſſentialiter, & quo ad eſſe. Secundo per modum actus ſecundi, ſicut conuenit homini ridere, & igni ſurſum eſſe. Modo vniri materiæ conuenit animæ per modum actus ſecundi, & ideo non eſt neceſſe, quod ſemper ei in actu conueniat, ſed bene in potentia, ſicut non ſemper homo actu ridet, & ſi potentia ſemper ſit riſibilis. Tertio dicitur, quod maior eſt vera eo modo, quo illi conuenit per ſe, modo dico ad minorem, quod eſſe formam corporis conuenit animæ per ſe, vt eſt quo, & non vt eſt quod, & ideo ſecundum hanc rationem poteſt ſeparari. Quarto videtur reſpondere S. D. prima parte, quæſt. 118. artic. 3. ad tertium, ſcilicet animam duo habere. Primum eſt quod ſit forma corporis, & per hoc non creatur ante corpus. Secundũ, eſt quod non dependeat a corpore, vt intellectiua, & propter hoc poteſt a corpore ſeparari.

Ad ſextum dicendum, quod vniri, vel non vniri materiæ arguit corruptibilitatem ſi ſit vniri, vt quo, & ideo Angelis, & animabus noſtris non poteſt eſſe commune, vt dicunt quod, quamuis diuerſimode.

Ad ſeptimum dicendum, quod differentia eſt inter motũ, & eſſe, nã motus eſt accidens, vnde ſi eſt infinitus reſpicit cauſam extrinſecam infinitam mouentem, eſſe autem infinitum dicit entitatem infinitam ab intrinſeco. Licuit ergo Phil. arguere ex infinitate motoris motum infinitum, ſed non eſſe infinitum. Secundo dicitur, quod infinitas animæ eſt, ſecundum quid, ideſt in duratione.

Ad octauum diximus in ſuperioribus.

Ad nonum aliter reſpondendum eſt ex principijs fidei, & aliter ex ſolo lumine naturali. Nam ſecundum fidem argumentum inualidũ eſt, vnde non vrget, niſi vt ſtamus in puris naturalibus. Sed Philoſophi argumento poſſunt reſpondere. Primo, quod vniri corpori, eſt animæ connaturale in principio ſui eſſe, non autem poſtquam ſeparata eſt. Vel ſecundo, quod in anima erit deſideriũ vnionis, ſed deficiet cauſa, ideſt noua diſpoſitio materiæ. Vel tertio, quod ſtatus extra corpus non erit ei violentus, cum in eo non detineatur per violentiam, nec vt extra locum ſuum. Vel quarto aliqui negarent, quod anima ſeparata appetat reuniri corpori, cum extra illud dicatur libera, & in eo, quaſi in carcere poſita. Vel tandem, quis dicere poterit, quod animæ non eſt connaturale vniri corpori, niſi, vt ſe habet, vt quo, nam vt ſe habet, vt quod, eſt ei connaturale per ſe ſubſiſtere, & ſe habere, non vt pars, ſed vt quoddam per ſe ſubſiſtens, & per hoc pa-

tet ad replicam. Si igitur anima conſideretur vt quo eſt contra eius naturam ſtatus ſeparationis a corpore, vt docet S. D. quarto contra gentes, cap. 89. & Ferrarieñſis 4. cõtra gentes cap. 83. & 94. Et ideo vt eſt quo, ſeu forma corporis maxime ei cupit vniri, vt habetur Apoc. 6. & docet S. D. prima parte, quæſt. 75. art. 1. ad ſextum. At ſi conſideretur, vt quod, eſt ei connaturale manere ſeparata a corpore, quia ſe habet vt completa ſubſtantia, & ita habet modum aliũ naturalem intelligendi ſecundum S. D. 1. 2. q. 5. artic. 1. ad ſecundum.

Ad decimum reſpondetur ad probationem minoris, quod intelligere cum phantaſmatibus non eſt abſolute propria operatio animæ, ſed ſolum pro hoc ſtatu, pro quo indiget adminiculis ſẽſuum. Secũdo dicitur, quod duo ſunt conſideranda in anima. Primũ eſt, quod eſt forma corporis, & ideo ei vnitur, & eo vtitur, vt obiecto ad intelligendum. Secundũ eſt, quod non ſolum eſt actus corporis, & eſt quo corpus viuit, verum etiã eſt quod per ſe ſubſiſtere poteſt. Ratione primi eſt quidem ei connaturale intelligere cum phantaſmatibus, non autem ratione ſecundi. Hinc deduco, quod cũ Ariſt. cognouerit naturam animæ intellectiuæ, & differentiã, qua differt ab alijs formis, ſcilicet quod eſt per ſe ſubſiſtens, & organo corporeo non alligata, inde optimè cognouit eã non indigere phãtaſmatibus, niſi pro hoc ſtatu, quod voluit explicare tex. 20. dum dixit, quod non reminiſcimur poſt mortem ideſt per conuerſionem ad phantaſmata. Anima igitur ſeparata intelligit dupliciter. Primo per ſpecies hic acquiſitas vt docet. ſ. D. 1. p. q. 89. ar. 5. ad 6. & 1. 2. q. 89. a. 5. ex cepto qđ fides deficit 1. Corinth. 13. Secundo per ſpecies a Deo infuſas ſm eundẽ S. D. p. p. q. 89. a. 1. Sed per has minus clare cognoſcit in via cognita, non autem alia.

Ad vndecimum negatur, quod illa verba ſint Ariſt. ſecundum expoſitionem S. Thomæ, nam ibi ſolum habetur, quod corrupto toto compoſito non remanent niſi elementa, ex quibus cõponebatur, loquebatur autem de compoſitione, & reſolutione corporis, quod eſt illud, quod ſolum componitur ex elementis.

Ad duodecimum dicendum, quod nihil, quod incepit eſſe per generationem, & mutationẽ phyſicã, at qđ incepit eẽ p ſimplicẽ emanationẽ, vt Angeli, aïæ noſtræ & c. põt eſſe æternum. In ſecũdo autem Metaph. probauimus Ariſt. cognouiſſe creationem.

Ad decimũ tertium diximus, quod Phil. per intellectum paſſiuum intellexit cogitatiuam, vt exponunt S. D. Auerroes. Themiſt. Io. Gramm. & alij quamplures illuſtres auctores.

Ad decimũ quartum primo negatur maior, ſcilicet quod ſi intelligere ſit phantaſia, vel cum phantaſia anima non eſt ſeparabilis, dicit. n. S. D. quod ſimilem propoſitionem nõ adduxit Phil. vt ſecundum rem veram, ſed tantum ſecundum aliquam apparentiam. Secundo dicitur ad minorẽ, quod intelligere non eſt ſine phantaſia pro hoc ſtatu, nõ autem abſolute, nam anima etiam pro hoc ſtatu intelligit immaterialia, ſe ipſam, & ſuas operationes, & tamen hęc ſecundum ſe non habent phantaſmata, & ſi intelliguntur per phãtaſmata effectuũ, ideſt per aliud, in hoc ſtatu, tandem debent intelligi in alio ſtatu ſecundũ ſe, quia ſecundum ſe ſunt entia intelligibilia. Tertio dicitur, quod phil. deſtruxit illam propoſitionem in tertio dicendo, quod intelligere non eſt ſentire, & quod intellectus non eſt affixus organo corporali, & quod non indiget corpore, vt organo, ſeu inſtrumento, ſed tantum vt obiecto, quia pro hoc ſtatu intelligit per con-

conuerſionem ad phantaſmata.

Ad decimum quintũ dicendum, ꝙ hominum, & iumentorum vnus eſt interitus, & vna conditio quo ad corpus, non autem quo ad animam, nam quo ad animam multæ ſunt differentiæ. Prima, quod anima a ſolo Deo creatur, animę vero brutorũ ab agentibus particularibus de potẽtia materię educuntur, ꝙ ſignificauit Spiritus Sanctus dum loquendo de creatione hominis dixit. Inſufflauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, et de animabus brutorum, producat terra animã viuentem. Secunda, quia anima intellectiua ſe habet vt quo, & vt qd, & aliæ ſolũ vt quo. Tertia qđ dominatur materiæ, & corpori, vnde multa agit eo renitente, Animæ vero brutales ſequuntur appetitum corporis.

Ad decimum ſextũ dicendũ, quod falſa eſt maior loquendo de rebus, vt res ſunt, quia quædam ſunt creatæ corruptibiles, & quędam incorruptibiles. At loquendo de rebus in ordine ad creantem .ſ. ad Deum, ſicut omnia ex nihilo creauit, ita omnia in nihilum redigere poteſt.

Ad decimum ſeptimũ dicendum, quod operationes animæ, quædam ſunt corporales, & quædam ſpirituales, in operationibus corporeis ſeneſcit anima cum corpore, ſed in proprijs .i. ſpiritualibus nequaquam, & ſi quandoq. deficiant operationes intellectus, vt in decrepitis, hoc eſt per accidens, ſcilicet non ex defectu intellectus, ſed ex defectu virium ſenſitiuarum, quibus intellectus pro hoc ſtatu neceſſario vtitur.

Ad decimum octauum dictum eſt, quod animæ remanent diſtinctę numero, per ordinem ad propria corpora, quorum fuerunt formæ.

Ad decimum nonum dicendum, quod ſi Phil. de immortalitate animæ, quandoq. locutus eſt ſub conditione hoc fecit. Primo, quia eo loci hanc rem nõ intendebat determinare, vt fecit in primo de anima, dum dixit. Si intelligere eſt phantaſia, aut ſine phãtaſia, ſi anima habet propriã operationem, vel nõ habet, hoc enim erat determinaturus in tertio. Secundo, quia ly, ſi, non ſtat dubitatiue, ſed diffinitiue pro vt idẽ ſignificat, quod eſt, ſicut etiam ſumitur quandoq. ly videtur, pro eo quod tale videtur, & tale eſt. Tertio, quia loquebatur ſecundum aliorum ſententias, qui hoc ponebant ſub dubio.

Ad vigeſimum dicendum, quod anima intellectiua poteſt dupliciter conſiderari. Primo ſecundum ſuam ſubſtãtiam, & vt eſt forma abſtracta. Secundo vt informat corpus, ſecundum quod faciunt etiam formæ corruptibiles. Primo modo eſt incorruptibilis, & de conſideratione potius Metaphiſici, quã Phyſici. Secũdo vero modo, ſicut conuenit cum formis corruptibilibus informando corpus, ita etiam conuenit cum eis in conſideratione. Secũdo dicẽdũ, qđ anima dicatur corruptibilis, ſtat bifariã. Primo in recto, i. ſecũdum ſuã naturã, & hoc falſum eſt. Secũdo in obliquo, i. vt eſt forma corporis corruptibilis, & hoc modo Phil. eam connumerauit inter formas corruptibiles.

Ad vigeſimũ primum dicendum, quod aĩa ſit natura ſtat dupliciter. Primo vt forma, & vt quo, & ſic dicitur natura, & inſeparabilis. Secũdo vt anima intellectiua, & vt quod, & ſic dicitur ſeparabilis. Primo autem mõ locutus eſt de aĩa Phil. in ſcdo Phy.

Ad vigeſimũ ſecũdũ dicitur, quod Phil. aſſumit hanc propoſitionẽ. Locus ſeparatur re manente, forma autem non poteſt ſeparari re manente, quod cõcludit, quod anima remota, neceſſario moritur corpus. Secundo dicitur, quod valet de anima, vt eſt quo, non vt eſt quod.

Ad vigeſimũ tertium dicendum,

quod

ſenſus verborum Phil. talis eſt, quod principia, quæ ſe mouent per accidēs, corruptibilia ſunt per accidens, quia ſunt in corpore corruptibili, & ideo corpore corrupto, ipſa quoq. poſſunt dici corrupta. Vel ſecundo dicitur, quod illa principia bifariam conſiderari poſſunt. Primo ſecundum ſuam ſubſtantiam, & ſic nunquam aſſeruit Phil. ea eſſe corruptibilia, nam intelligentia mouens cœlum ſecūdum aliquos mouetur per accidens, & tamen non eſt corruptibilis. Secundo vt formaliter principia, vel mouentia, & ſic, quo ad hanc rationem corrumpūtur, quia mobili corrupto, mouens amplius non mouet.

Ad vigeſimū quartum dicendum, quod ibi loquebatur Phil. de felicitate præſentis vitæ, quæ eſt communis corpori, & animæ, nam felicitas animæ pro alia vita perpetua eſt.

Ad vigeſimū quintum dicendum, quod ſecundum Ariſt. homines fortes timent in morte. Primo, quia triſtantur, quod a fortiori ſuperentur; ſ. a morte, quæ eſt omnium fortior, & terribilior. Secundo, quia poſt hanc vitam nihil boni, vel mali videtur eis ſupereſſe, non abſolute, ſed quo ad fortitudinē, quia illam amplius exercere non poterunt.

Ad vigeſimū ſextum infra reſpondebimus per ſingularē quæſtionem, .u. At anima ſine phantaſmate intelligat.

Ad vigeſimū ſeptimum dicēdum, quod anima creatur a Deo, & non educitur de potentia materię, quia ſic totum ſuū eſſe, eſſet eſſe materiæ, qđ contradicit Phil. qui, vt probamus ſecundo Metaph. creationem nouit.

Ad vigeſimū octauum negatur aſſumptum, quia anima in corpore mouetur per accidens, & ſeparata motu diſcreto, vt explicabimus in prima parte.

Ad vigeſimū nonum, & trigeſimum ſatis ſupradictum eſt.

Ad trigeſimumprimum dicendum, quod in homine duo ſunt .ſ. anima, & corpus. Corpus autem eſt illud qđ in genere collocatur directe, non anima, & ideo corpus brutorum, & hominum corruptibile eſt, nō ſic anima noſtra. Secundo dicitur, quod anima noſtra conuenit cum anima bruti in informādo, non vero in eſſe, quia anima noſtra eſt quo, & quod, & ideo vt quod eſt incorruptibilis, & ſic conuenit cum intelligentijs.

Ad trigeſimū ſecundū dicendum. Primo, quod Damaſc. per incorruptilitatem intelligit immutabilitatem, non naturę, ſed morum .i. de bono ad malū, & hanc angeli, & animæ noſtrę habent per diuinam gratiam efficacem. Secundo dicitur, quod ly ex gratia, idem ſonat quod per dependentiam, quia ſolus Deus independenter eſt immortalis.

Ad trigeſimūtertiū dicendum, qđ incorruptibile habet quod poſſit ſemper eſſe dum eſt, quia in eo non eſt principium corruptionis, non tamen ſequitur, quod ſit ſemper independenter, & ideo poteſt a Deo creari.

Ad trigeſimumquartū dictum eſt, quod anima eſt forma vt quo, ſubſiſtens vt quod.

Ad trigeſimūquintū dictum eſt ēt quod dare eſſe vegetatiuum, & ſenſitiuum remanent in anima ſeparata virtualiter, ſicut etiam ipſę ab intellectiua continentur, vt ſuis locis explicatum fuit.

Ad trigeſimūſextū dicendū, quod anima noſtra ſecundum hunc ſtatum non attingit modum intelligēdi ſubſtantiarum ſeparatarum, & ideo pro hoc ſtatu nō intelligit ſine phantaſmate, at ſeparata ſicut acquirit alium ſtatum, ita adipiſcitur aliam maiorē perfectionem .ſ. vt intelligat ad modum ſubſtantiarum ſeparatarum.

Ad trigeſimūſeptimū dicendū, qđ bonum

bonum animæ noſtræ ſupranaturale per peccatum totaliter tollitur.i. gratia diuina, at bonũ naturale minuitur, non quo ad potentiam, quia ſemper remanet, ſed quo ad habilitatem ad gratiam, quia per peccatum infirmatur.

Ad trigeſimũoctauũ dicendum, quod anima in corpore exiſtẽs organo vtitur, & ideo eo debilitato videtur debilitari, ſed ſic non eſt, quia defectus prouenit ex parte inſtrumenti.i. ex parte organi. Secundo dicitur, quod anima in ſene, & ſi debilitari videatur in actionibus corporalibus, confortari tamen conſpicitur in intellectualibus, & magis perfici, quod eſt ſignum independentiæ eius à corpore, vt quod.

Ad trigeſimũnonũ negatur maior ab intrinſeco, ſi creatum ſit ſine materia inferiori, ab extrinſeco eſt verũ, quia ab eo qui omnia creauit, in nihil redigi poſſunt.

Ad quadrageſimũ negatur maior, in eo quod per ſe ſubſiſtit incomplete, vt facit aĩa noſtra ſeparata, procedit enim de per ſe ſubſiſtente complete.

Ad quadrageſimumprimum argumentum, & ſequentia, optime, & ſubtiliter reſpondet magiſter meus Hieronymus Soncinas, quem Regentẽ in ſtudio Bononienſi habui, & promotorem ad Lectoratus gradum anno 1596. quas reſponſiones hic apponam, quoniam ſubtiles ſunt. Ad quadrageſimũprimũ ergo argumentum reſpondetur ad antecedẽs, quod vna natura habeat vnum modum operandi ſtat dupliciter. Primo in eodem ordine, & ſic verũ eſt, vnde anima noſtra non habet duplicem modum operandi naturalem. Secundo abſolute, & hoc eſt falſum, quia poteſt habere vnum modum naturalem, & alium præter naturam, ſicut orbes planetarum mouentur proprio motu ab Occidente in Orientem, & motu raptus de Oriente ad Occidentem, & ignis motu ſuo naturali ſurſum tendit, & motu circulari in ſua ſphæra, vt aſſerit Ariſt. primo cęli. Vel dicendum ſecundo, quod vnius naturæ eſt vnus modus operandi conſiderando illam naturam ſecundum ſe, ſed vt participat naturam ſuperioris poteſt habere alium modum, vt contingit in anima vt participat de intelligentijs. Quod autem Ariſt. tenuerit animam noſtram poſt hanc vitam intelligere docuit primo in nono Metaph. tex. 22 quo in loco tradit nos non poſſe perfecte cognoſcere ſubſtantias ſeparatas, ſed hanc noſtram ignorantiã non eſſe ſicut cęcitatem.i. priuatiuam, & nunquam reducibilem ad actum, ſed in hoc ſtatu ad actum non reducitur vt tradit ipſe ſecundo Metaph. tex. 1. Ergo in alio. Secundo hoc docuit, tertio de Anima tex. 56. vbi docet intellectum noſtrum ſeparatum poſſe aliquid intelligere, quod non poteſt dum non eſt ſeparatus sm̃ ea quę tradit D. Thom. in opuſculo contra Auerroiſtas de vnitate intellectus. Tertio hoc idem annuit tertio de anima tex 20. vbi tradit, nos non reminiſci poſt mortem.i. nos non habemus actum cogitatiuæ (nam reminiſci ponitur proprius actus cogitatiuę) & tamen poſuit intellectum poſt mortem intelligere, Ergo alio modo quam in corpore .ſ. non per conuerſionem ad phantaſmata; & eſt expoſitio non ſolum D. Tho. ſed & Themiſtij, Io. Grammatici, & aliorum antiquorum multorum. Quod autem cogitatiuam, & phantaſiam quandoq; vocauerit Ariſt. intellectum, loquendo de intellectu communiter, & participatiue, habetur in fine 1. Ethic. vt ibi tradit. S. D., in tertio de anima tex. 48. & 57. Vid. ſupradictũ Soncinatem lib. 1. Theologię Ariſt. cap. 10.

Ad quadrageſimumſecundũ, dr̃ qd̃

maior

maior dupliciter gloſſatur. Primo, qđ denominatio fit à ſuperabundatiori proprio, vt eſt intelligere in homine, non autem a cõmuni vt eſt in eo ſentire, & vegetare. Secundo, quod valet de ſuperabundãtiori nobiliori, vt eſt intelligere, non de ignobiliori, vt ſunt in homine vegetare, & ſentire.

Ad quadrageſimum tertium gloſſatur maior de eo quod præualet ſe motis indiſpoſitionibus & impedimẽtis. In hominibus autem habentibus ſenſus ſubditos rationi, ratio prę ualet, ſed in ſequentibus ſenſum, & amantibus bonum ſenſuale, ſenſus rationem ſuppeditat. Secundo dicitur, quod maior valet cęteris paribus, modo cætera non ſunt paria, quia intelligere imperfectum, & confuſum præualet in excellentia omni actioni ſenſibili.

Ad quadrageſimumquartum dicitur, quod aĩa vt intellectiua ſit actus corporis ſtat dupliciter. Primo radicaliter, & hoc verum eſt, quia anima quę eſt intellectiua, eſt corporis actus. Secundo formaliter ut. ſ. intelligit, & hoc eſt falſum, quia habet ſeparationem. Secundo dicitur, quod anima vt dicit quo, eſt actus corporis, vt vero dicit quod, poteſt ſeparata exiſtere, & ſic etiam eſſe abſtractior intellectu.

Ad quadrageſimumquintum dicimus, ibi Ariſt. loqui non de intellectu poſſibili, ſed paſſiuo, qui dicitur participatiue intellectus, & cõmuniter, proprie vero dicitur cogitatiua vt ſupra oſtendimus.

Ad quadrageſimumſextum dicimus, Ariſt. tunc vocaſſe animam quo vt actuat corpus, eſt vero etiam quod vt ſubſiſtit, nec officit quod ſubſiſtens incõplete, quod eſt pars ſpeciei, quod ſit quo, & quod, & ſi repugnet ſubſiſtenti quod tantum.

Ad quadrageſimumſeptimum dicimus poſſe animam noſtram habere modum intelligendi intelligentiarũ, ſed non econtra, & ratio eſt, quia ſuperius non participat de inferiori, inferius vero participat de ſuperiori, vt eſt anima noſtra ad intelligentias, nec anima differt ab intelligentijs per diſcursũ abſolute, ſed ꝓ hoc ſtatu, ab eis tamen differt in intelligere ſecundum altiorem, & minus altum modũ intelligendi. Ad ſecundum dicimus, quod operationes non poſſunt tranſmutari in eodem genere, in ſuperiori vtique quando natura inferior poteſt participare naturam ſuperioris, vt diximus de anima noſtra. Ad tertium ſimiliter dicimus, animę eſſe intrinſecum intelligere cum phantaſmate, nõ abſolute, ſed pro hoc ſtatu, & vt talis eſt, nõ prout participat naturã ſuperioris. Ad quartũ dicimus Ariſt. eſſe locutum tantum de intelligentijs, quando eas applicauit orbibus, non vero ſermonẽ tunc fecit de animabus noſtris. Nec propter hoc ſequitur, quod animæ noſtræ ſeparatæ, eſſent magis aſtractæ, quam intelligentiæ, & ſic nobiliores. Primo, quia aię noſtræ ſubſiſtunt incomplete, & intelligentiæ complete. Secundo quia cætera non ſunt paria, cum intelligentię ſecundũ ſuam naturam magis ſint abſtractæ, quod vero moueant, ab extrinſeco habent. Tertio, quia anima adhuc ſeparata habet ordinem ad corpus, non ſic intelligentiæ.

Ad quadrageſimũoctauũ dicendũ, qđ illud vocatur otioſum, qđ ordinatur ad operationem & illam non exercet, cum eam exercere debeat, modo potentiæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ in anima ſeparata non ordinantur ad operationes ſuas inferiores, ſed ad ſuperiorem tantum ſcilicet ad intelligere, & velle, & ideo non poſſunt dici otioſæ, quare in anima intellectiua remanent tantum radicaliter, & non actualiter, quia operationes earũ

non

nō decent ſtatum ſeparatorum a materia, & a ſenſu.

Ad quadrageſimumnonum negamus ſeparationem animæ eſſe miraculum, nam animæ conuenit naturaliter, vt habet proprium quod, & ideo maius eſt miraculum ſeparatio accidentis a ſubiecto, quia accidētis eſse, eſt ineſſe, eſſe vero animæ quod non eſt actuare, ſed ſubſiſtere.

Ad quinquageſimum negatur ſequela ſi ſermo ſit de ſubſtantia ſeparata completa in ſpecie, hæc enim vnitur tantum vt motrix, & ſic conſideratur a Phyſico, a quo anima noſtra conſideratur vt actus corporis, vt vero eſt ſeparata conſideratur à Metaphyſico ſecundum Ariſtot. 2. Phyſic. text. 26.

Ad quinquageſimumprimum dicitur, quod tunc deficiet pugna, quando ſenſus erit extinctus poſt mortem.

Ad quinquageſimum ſecundū dicitur ad primam probationem antecedentis falſi, quod anima non dicitur aduenire ab extrinſeco exiſtenter, quaſi prius exiſtat, & poſtea vniatur corpori, ſed effectiue, quia ab agente extrinſeco, ideſt Deo creatur in corpore, ita vt tunc viuat, cum in eo creatur. Ad ſecundam probationem dicitur, animam non prius exiſtere, quam corpus informet, ſed ſimul, ſed poſt ipſum remanere dicimus, & ita dicimus. Ad tertiam ponendo tamen animam præcedere ſubiectum, non prioritate temporis, ſed naturæ. Ad quartam dicimus ex his quæ ſunt per ſe fieri vnum per ſe dummodo vnum ſe habeat vt potentia eſſentialis, & aliud vt potentiæ actus eſſentialis, ſicut ſe habent corpus & anima. Ad quintam negamus quod ſic ſe haberet vt intelligētia ad orbem, nam motor eſt ſubſtantia completa in ſe, & ideo poteſt præcedere orbem, non ſic anima, quæ creatur vt ſit actus corporis. Ad ſextam probationem dicitur, quod anima vt quo definitur per ſubiectū, ſed negatur ſequela, ſcilicet qđ deducatur ex ſubiecto, hoc enim habet a Deo illam creante, vt commenſuratam corpori.

Ad quinquageſimum tertium dicimus immortale poſſe eſſe principium corruptionis, ſi principia corruptionis virtualiter contineat, pro quāto, & non aliter ea continet, & ita anima noſtra pro quanto virtualiter continet vegetatiuum, & ſenſitiuum, poteſt eſſe principium virtuale operationum corruptibilium, ſeu dicitur, hoc habere vt vegetatiua, & ſenſitiua eſt, non vero vt intellectiua.

Ad quinquageſimum quartum negatur ſequela, quia ſufficit, quod vel ſit in materia, vt dum creatur, habeat ad ea commenſurationem, & inclinationem, dum ab ea ſeparatur.

Ad quinquageſimum quintum reſpondet S. D. prima parte quæſt. 118. art. 2. ad 4. ſufficere ad hoc vt hō hominem generare dicatur, quod ad vnionem materiam præparet, & diſponat, nam etiam qui dealbat parietem, nec parietem, nec albedinem facit, ſed tantum vnum cum alio coniungit, & ſic dicitur dealbator.

Ad quinquageſimū ſextum, primo negatur antecedens etiam ſecundum Ariſt. vt teſtatur ipſe in Topicis, nam non negauit crationem ſine nouitate eſſendi, ſed cum nouitate eſſendi, vt probaui, ſecundo Metaph. Secundo dicitur non eſſe parem rationem de mundo & de anima, quia ante mundum nihil præceſſit, at ſubiectum id eſt materia debet præcedere animam. Ad probationem dicimus idē eſſe iudicium de toto & partibus, non quibuſcumque, ſed quæ ſunt principales partes vniuerſi, vt ſunt corpora cæleſtia, & elementa, modo animæ ſunt partes ſecundariæ.

Ad quinquageſimum ſeptimum dicimus, quod effectus bifariam produci poteſt. Primo per ſimplicem emanationem, & talis poteſt eſſe ab agente æterno ſine ſui mutatione. Secundo cum motu Phyſico poſtulante mutationem agentis, tranſeuntis de potentia ad actū, & de hoc procedit argumentū, ſed anima noſtra dicitur Dei effectus, & a Deo produci ſine ſui mutatione. Scotus vero, & Herueus reſpondent duplicem eſſe nouum effectū. Primus dicitur completus, & non requirens aliud ſuſceptiuum, vt planta, leo, & ſimilia. Secundus dicitur incompletus exigens nouum ſuſceptiuum a ſecundis cauſis productum, vt eſt anima noſtra. Primū dicunt ſecundum Ariſt. non eſſe ſine mutatione agentis, ſecundum vtique.

Ad quinquageſimum octauum argumentum, quod petit quomodo anima ſeparata intelligat, multa dicenda ſunt. Primum eſt, quod in corpore dicitur habere perfectius eſſe, quia habet eſſe completum, ſed ſeparata dicitur habere perfectius intelligere, quia liberior eſt, & expeditior in ſuis operationibus. Secundum eſt, quod anima ſeparata nō intelligit Angelos per ſpecies ab ipſis abſtractas cum ſint ea ſimpliciores, ſed eos intelligit per ſpecies a Deo illis infuſas. Tertium eſt, quod huiuſmodi tamen cognitio non eſt vndequaque perfecta, & quidditatiua, quia vnumquodque intelligitur ſecundum modum intelligentis, vt docet Ariſtot. in hoc tertio de Anima text. 37. & 38. At natura animæ noſtræ eſt inferioris ordinis ad intelligentias, & ſicut eas non adęquat in eſſe, ita nec ī intellectione, perfectiori tamen modo eas intelligit quam in via quia per perfectius medium eas inſpicit, ſcilicet per ſpecies infuſas a Deo augentes cognitionē. Quartum eſt, quod anima ſeparata intelligit alias animas per ſuam eſſentiam, quia aliæ animæ non excedunt modum eſſendi, & intelligendi animæ intelligentis, ſicut faciunt intelligentiæ quas angelos appellamus. Attamen anima ſeparata quamuis perfectę eſſentias aliarum animarum penetret, non tamen multa earum accidētia penetrat, vnde ad hæc capienda infunduntur ei ſpecies. Quintum eſt, quod anima ſeparata cognoſcit omnia naturalia, immo & ſingularia materialia non eo modo perfecto, quo intelligentiæ hæc cognoſcunt, cum ſint inferioris gradus, ſed aliquo modo, & hoc nō per ſpecies a ſigularibus abſtractas, quia his mediantibus ſingularia nō cognoſcimus niſi reflexe, ſed per ſpecies infuſas, quæ cum ſint diuinæ eſſentiæ ſimilitudines participatę, poſſunt oſtendere ſuo modo, quæ in diuina eſſentia collocantur. Magis tamen & minus cognoſcunt ſingularia. Primo per maiorem, & minorem præcedentē cognitionem. Secundo per aliquam inclinationem, & affectionem. Tertio per naturalem habitudinem, & quarto per diuinam ordinationem. Sextum eſt, quod ſcientia in via acquiſita remanet in alio ſtatu quoad ſubſtantiam actus, ideſt quo cognitionem, ſed non quoad modum, quia tunc non fit conuerſio ad phantaſmata, ſed ad ſuperiora.

LECTIO XXII.

S. D. 11.

De operationibus intellectus poſſibilis.

POſtquam in ſuperioribus tractauimus de operationibus intellectus agentis, & de immortalitate animæ, nunc opus eſt tractare cum Phil. de operationibus intellectus poſſibilis.

Intellectus operatio duplex. Ex tex. igitur 21. habemus duplicem eſſe operationem intellectus poſſibilis. Prima dicitur indiuiſibilium intelligentia, qua res ſimpliciter appræhenditur, abſque aliqua compoſitione, vel diuiſione, vt ꝙ ſit diametrum, vel incommenſurabile. Secunda dicitur compoſitio, & diuiſio, qua res appræhenditur cum aliqua ratione, vel ab ea diuiditur, vt cum appræhenditur incommenſurabile cum diametro, vel homo cum albedine, dicendo homo eſt albus. Hæ autem duæ operationes intellectus dupliciter differunt. Primo, quod in prima non cadit nec veritas, nec falſitas, in ſecunda vero maxime. Secundo, quia prima eſt ſecunda prior, cum rem prius ſimpliciter intelligamus, antequam cum alterius ratione eam comparemus.

Dupliciter in eo cadit falſitas. Ex tex. 22. habemus, quod bifariã poteſt cadere falſitas in intellectu. Primo ratione rerum conceptarum, vt ſi homini attribuerem rudibilitatem, nã tunc accideret falſitas ex parte rei, quia homo eſt rationalis, & nõ rudibilis. Secundo ratione temporis, vt ſi diceremus futura eſſe præterita, vel præterita futura.

Totũ triplex. In textu 23. 24. 25. agit de triplici indiuiſibili. Primum igitur eſt indiuiſibile apprehenſum, quod tamen diuidi poteſt. Vnde poſſumus dicere, quod indiuiſibile ſecundum apprehenſionem in actu, diuiſibile tamen in potentia, tripliciter poteſt conſiderari. Primo vt totum, non diuidendo ipſum in partes, & ſic habet rationẽ indiuiſibilis ſecundum apprehenſionem, & tempus, cum etiam intelligatur in tempore indiuiſibili. Secundo vt totum diuiſum in partes, intelligẽdo tunc totum, & partes, & ſic diuiditur etiam ſecundum tempus, quia cuilibet parti, pars temporis correſpõdet. Tertio vt ſimul cum eo intelligũtur omnes partes, & ſic ei proportionaliter correſpondet tempus.

Secundum indiuiſibile dicitur ſecũdum formam, quia eſt res ſimplex, vt homo, aer, & aqua &c. & hæc intelliguntur, vt indiuiſibilia in tempore indiuiſibili, & ſi intelligantur in tempore diuiſibili, vt diuiſibilia, hoc eſt per accidens, quia ſecundum ſe .ſ. vt formæ, non habent, quod ſint diuiſibiles. Tertium dicitur indiuiſibile actu, & potentia, vt eſt punctum &c. hæc enim parum ſunt neceſſaria.

QVAESTIO XXXI.

Vtrum veritas, & falſitas ſint ſolum in ſecunda operatione intellectus.

Videtur quod non. Primo. Nam intellectus, & ſenſus ſemper ſũt veri circa proprium obiectum. Sed obiectum intellectus eſt quod quid eſt, & hoc ad primam operationem intellectus pertinet. Ergo in prima operatione intellectus eſt veritas.

Secundo. Propoſitio vocalis, neque eſt compoſitio, neque diuiſio, & tamẽ ſemper dicitur vera. Ergo veritas & falſitas non tantũ cadunt in ſecunda operatione intellectus.

Tertio. Ens, & verum conuertuntur. Sed ens non ſolum eſt in ſecunda operatione, verum etiam in omni. Ergo in omni erit veritas.

Quarto. Remota omni intellectus operatione, adhuc verum aurum eſt verum aurum, & verum argentum eſt verum argentum. Ergo.

Quinto. Potentiæ diſtinguuntur per actus. Ergo vnius potentiæ .ſ. intellectus, vnus erit actus, & non duo .ſ. apprehendere rem, & cum ea componere.

Operationes intellect⁹ duæ. Pro reſolutione huius quæſtionis primo notandum venit, quod duæ in præſenti ponũtur a Phil. operationes intellectus poſſibilis. Prima dicitur ſimplex apprehenſio, qua intellectus

vel ſenſus rem ſimpliciter apprehendunt, nihil ei attribuendo, nec ab ea remouendo v.g. qua intellectus hominem apprehendit, non attribuendo ei riſibilitatem, vel ab eo remouēdo inhibilitatem, & ſenſus apprehendit obiectum ſuum, & ſic, apprehendendo ſolum extrinſeca, ſenſibilis. Nam ſolus intellectus intrinſeca, & extrinſeca rei cognoſcit. Secunda vocatur compoſitio, & diuiſio, quia cū quod quid eſt aliquam rationem cōponit, vel ab eo remouet, & ſub hac operatione virtualiter tertia continetur .ſ. diſcurſus, & ratiocinatio, quia intellectus componendo, & diuidendo diſcurrit.

Intellectus noſter componit, & diuidit. Secundo notandum, quod aliud eſt cognoſcere compoſitionem, & diuiſionem, & aliud componere, & diuidere. Primum poteſt fieri ſimplici intuitu, vnde compoſita ſimpliciter, & enunciabilia inenunciabiliter ab intellectu diuino, & Angelico cognoſcūtur. Secundū vero fit cum aliqua mora, per operationem intellectus coniungentis rationem cum re, vel ſeiungentis rem a re, prius vnam intelligendo, & deinde aliam. Talis autem compoſitio non eſt realis, quia non fit per vnionem realem, prout duæ aquæ coniunguntur, ſed eſt ſpiritualis, & intentionalis, i. ex opere intellectus.

In compoſitione, & diuiſione ſtat veritas formaliter. Tertio notandum, quod verum fit in intellectu bifariam intelligi poteſt. Primo materialiter .i. tanquam in quadam re vera. Nam per hoc intellectus a voluntate differt, quod voluntas a rebus rapitur, intellectus vero res ad ſe ipſum per ſpecies trahit, & eas recipit, vnde, v.g. quodquid eſt figuræ dicitur verum in intellectu, tā quam in quadam re vera per ſpeciem ſuam. Secundo formaliter .i. non ſolum tanquam in quadam re vera, ſed vt in cognoſcente verum, & hoc ſecundo modo intellectus cognoſcit verum, componendo, & diuidendo. Nam veritas eſt adęquatio .i. conformitas rei intellectæ cum intellectu. Hanc autem conformitatem non intelligit intellectus, niſi componendo cum re, id quod ei conuenit, vel ſeparando ab ea, id quod ei repugnat.

Quarto notandum, quod cognoſcere conformitatem, & conſequenter veritatem ſtat dupliciter. Primo in actu ſignato, quod eſt cognoſcere conformitatem, vt ſi cognoſco hominem, & hæc cognitio terminetur ad ipſum. Secūdo in actu exercito, quod eſt cognoſcere cōformitatem, per id, quod eſt in re, cognoſcendo rem, vt alteri conformē v.g. intellectus meus cognoſcit hominem, tunc apud ſe habet conformitatem, ſed hæc non exercetur, quia alteri non fit ſimilis, vel diſſimilis. Sed dum homini attribuit riſibilitatem, & ab eo remouet inhibilitatem, tūc intellectus dr̄ eſſe verus in actu exercito. Veritas ergo in actu ſignato, i. vera apprehēſio rei vt in ſe eſt poteſt eſſe in prima operatione intellectus, ſed in actu exercito ſolum reperitur in ſecunda, quia compoſitio, & diuiſio, ſunt illa, quæ & ſignificant, & exercent hanc conformitatem. Vnde veritas dicit abſolutum .ſ. rem, & reſpectiuum, i. conformitatem, quæ conformitas non eſt quidem eſſentialiter veritas, ſed completiuum veritatis. *In actu exercito.*

Quinto notandum, quod intellectus poteſt dupliciter comparari ad res. Primo tanquam motus ab ipſis rebus, quæ in ipſo cauſant ſimilitudinem, & hanc conformitatem .ſ. intellectus intelligentis, & rei intellectæ, & ſic illa conformitas dicitur reſpectus rationis, quia res intellecta comparatur ad intellectum, ſicut menſura ad menſuratum. Secundo modo poteſt cōſiderari, vt cauſa rerum, pro vt fit intellectus diuinus, & artificis qui res cauſant, & talis relatio erit

men-

menſuræ ad menſuratum realiter.

Veritatis definitio. Sexto notandum tandem, quod veritas ſic diffiniri poteſt, Veritas eſt adæquatio rei,& intellectus. Nam & ſi S.D.p.p.q.16.art.primo plures alias diffinitiones a D. Auguſtino, Hyllario, & Anſelmo datas adducat, hæc tamen omnes comprehendit. De ratione.n.veri eſt,quod ſit ſuo principio conforme. Principium autem omniū rerum eſt intellectus Diuinus,& ideo res maxime dicuntur vere cum Diuino intellectui conformantur. Sicut domus dicitur vera, quando aſſimilatur domui exemplari exiſtenti in mente artificis. Igitur veritas fundatur in aſſimilatione, & vniformitate ad intellectum Diuinum præcipue, & ad intellectum Angelicum,& humanum deriuatiue. Falſitas autem ex oppoſito conſiſtit in deformitate rei intellectæ cum intellectu, dum intellectus intelligit rem aliter quam ſit.

Cōcluſiones probātur. Quo ad ſecundum prima concluſio eſt. Duæ tantum ſunt operationes intellectus. Probatur primo. Intellectus poteſt cognoſcere omne id,cuius ſpecie informatur, vel ſimpliciter.i. vnius, vel plurium per modū vnius. Sed tunc per ſpeciem rem ſimpliciter apprehendit, & per ea, quæ illi conueniunt, vel diſcouueniunt componit,diuidit, & diſcurrit. Ergo.

Secundo. Omnis cognitio, vel eſt quidditatis, vel plurium quidditatū. Prima eſt ſimplex apprehenſio. Secunda compoſitio, & diuiſio, vt pateſt ex ſuperioribus. Ergo.

Secunda Concluſio. Veritas formaliter conſiſtit in ſecunda operatione intellectus.ſ.in compoſitione,& diuiſione. Probatur. In prima operatione intellectus datur tātum ſimplex rei apprehenſio. Sed veritas non cōſiſtit in ſimplici rei apprehenſione, ſed in affirmatione alicuius de aliquo, vel in remotione alicuius ab aliquo.

Arg.ſoluuntur. Ad primum dicendum, quod intellectus, & ſenſus in ſimplici apprehenſione rei dicuntur veri materialiter,ſed in compoſitione,& diuiſione, formaliter, vt diximus.

Ad ſecundum dicendum,quod aliter eſt veritas in propoſitione, & aliter in intellectu, Nam in propoſitione eſt tanquam in ſignificante veritatem. In intellectu vero eſt tanquam in quadam re vera,& vt in cognoſcente veritatem,vt ſupra explicuimus.

Ad tertium dicendum,quod verū, & ens conuertantur,poteſt dupliciter intelligi. Primo realiter,et hoc verum eſt,quia omne verum eſt ens,ſi verum reale, ens reale, ſi rationis, rationis. Secundo ſecundum rationem, & ſic diſtinguuntur, quia ens ſecūdum suā formalem rationem,eſſe ſignificat,& verum,adæquationem, & conformitatem rei intellectæ cum intellectu. Argumentum ergo probat,quod ſint idem realiter,ſed non formaliter. Secundo dicitur, quod verū eſt in omni re vera, & in prima operatione intellectus, ſed materialiter, in ſecunda vero dicitur eſſe formaliter,& in actu exercito.

Ad quartum ſimiliter dicitur, quod aurum dicitur eſſe verum aurum materialiter,vt in ſe eſt, formaliter vero in ordine ad intellectum.

Ad quintum dicendum, quod potentiæ diſtinguuntur per actus quandoq. ſpecificos, & quandaq. genericos. Modo,& ſi duo ſint actus ſpecie diſtincti intellectus, tamen eſt vnus genere.ſ. cognoſcere quidditatem, vel ſimplicem, vel compoſitam.

LECTIO. XXIII. & XXIV. S. D. XII. & XIII.

POſtquam Phil. determinauit de intellectu ſecundum ſe,hic conſequenter de eo, determinat in ordine

ad ſenſum. Vnde ex tex. 28. 29. 30. 31. 32. habemus talem concluſionem, quam Ariſt. proſequitur. Concluſio eſt. Senſus, & intellectus in multis aſſimilantur. Primo, quia ſicut ſenſus per ſenſibile reducitur de potentia ad actũ, ita & intellectus per intelligibile. Sed hæc reductio de potentia, ad actũ non eſt motus, qui eſt actus imperfecti, & eſt de contrario in contrarium, ſed eſt motus, qui eſt actus perfecti. Secundo conueniunt, quod ſicut in intellectu duæ ſunt operationes, ita & in ſenſu. Nam duo ſunt in ſenſu. Primum eſt apprehenſio ſenſibilis, quæ aſſimilatur primæ operationi intellectus, quæ eſt ſimplex apprehenſio. Secundum eſt iudiciũ, num tale ſit triſte, vel delectabile, ex quo iudicio ſequitur fuga, vel proſequtio, & tale aſſimilatur ſecundæ operationi intellectus, ſcilicet compoſitioni, & diuiſioni, affirmationi, & negationi. Tertio conueniunt in ratione motiui, quia ſicut ſenſibilia mouent ſenſum, ita phantaſmata mouent intellectum, & ſicut ſenſus apprehendendo aliquid tanquam vtile, vel nociuum, illud fugit, vel proſequitur. Ita intellectus ſi aliquid apprehendit tanquam bonum, illud appetit, & quærit, & ſi illud appræhendit, vt malum, illud tale abhorret, & fugit. Quarto conueniunt, quod ſicut ſenſus non ſentit ſine ſenſibili, ita nec intellectus intelligit niſi conuertendo ſe ad phantaſmata, in quibus intelligibile relucet. Quinto ex eodem Ariſt. tex. 31. & 32. conueniunt, quod ſicut datur vnus ſenſus communis, ponens differentiam inter ſenſibilia per ſenſus externos apprehenſa, ita datur vnus intellectus dijudicans, & diſcriminans inter omnia phantaſmata, & repræſentata per illa.

Intellectus practicus, & ſpeculatiuus differunt ratione. In textu vero 34. comparat ad inuicem cognitionem intellectus practici, & ſpeculatiui, dicendo, quod vterque verſatur circa verum, & falſum eiuſdem generis, vnde ſolum differũt ratione, quia intellectus ſpeculatiuus conſiderat verum abſolute, practicus vero, vt eſt ordinatum ad opus.

Intellectus intelligit ſeparata. In tex. autem 35. 36. docet intellectum noſtrum cognoſcere ſeparata a materia ſecundum rationem, idest, Mathematica, ſi autem contingat intellectum cognoſcere ſubſtantias ſeparatas, ait hoc eſſe videndum in Metaphyſica.

Motus duplex. Circa ſupradicta autem ſunt aliqua notanda. Primo ergo notandum venit, quod duplex eſt motus. Primus dicitur Phyſicus, qui eſt actus imperfecti, & eſt de contrario in contrarium cum abiectione alicuius formæ, & hic motus ſolum reperitur in materialibus. Secundus dicitur motus Metaphyſicus, qui eſt actus perfecti, & fit per actionem, receptionem, & acquiſitionem ſine alteratione Phyſica, vt ſunt ſentire, intelligere, & velle.

Differũt. Secundo tamen notandum venit cum D. Caietano, quod ſentire, diſtinguatur a motu poteſt bifariam intelligi. Primo in ratione conſtituti, quia ſcilicet conſtitutum per motum, eſt quid imperfectum, & conſtitutũ per ſentire, eſt quid perfectum, & hic ſenſus falſus eſt, quia vtrumque conſtitutum, eſt quoddam in potentia. Secundo in ratione conſtituendi, quia ſcilicet motus conſtituit ſubiectum cum tendentia ſucceſſiua ad perfectionem, quod enim augetur non eſt perfectum, ſentire vero, & intelligere, qui ſunt motus actus perfecti conſtituũt ſubiectum perfectũ, quia qui videt actualiter perfectus eſt; & ita, qui intelligit, & ita hic ſenſus verus eſt, & intentus.

Senſu intellectus differunt. Tertio notandum, quod quamuis inter ſenſum, & intellectum multæ ſimilitudines reperiantur, tamen inter

ter ipſos, duæ præcipuæ differentiæ dantur. Prima eſt, quia in ſenſu, & apprehenſione boni, vel mali non ſtatim ſequitur fuga, ſed prior eſt delectatio, vel triſtitia, & deinde fuga, vel proſequutio; quia ſenſus non mouetur niſi a ſingulari, & præſente delectabili, vel odibili. At intellectus, & voluntas in immediata apprehenſione boni, vel mali ſtatim mouetur, quia tale eſt vniuerſale. Secundo differunt, quia intellectus vere, & realiter dicitur affirmare, vel negare, ſenſus vero non proprie, ſed potius ſimilitudinarie.

Quarto memoria tene gloſsas huius propoſitionis. Intellectus non intelligit niſi conuertendo ſe ad phantaſmata. Prima gloſsa eſt, quod valet de intelligere non abſolute, & ſimpliciter, ſed pro hoc ſtatu: Secũda qđ valet de cognitione ante receptionem ſpeciei, ſed non poſt. Sed quia hæc res multas patitur difficultates diſcuſſas a Caietano prima parte, quæſt. 84. art. 7. Ideo moueo quæſtionem, excludendo ſecundam gloſsam.

QVAESTIO XXXII.

Vtrum intelligere neceſſario ſit per conuerſionem ad phantaſmata.

VIdetur quod non. Nam intellectus in actu, vt eſt in actu intelligit. Sed intellectus eſt in actu per ſpeciem. Ergo non indiget tali conuerſione.

Secundo. Imaginatio magis dependet a ſenſu, quam intellectus a phantaſmate. Sed imaginatio aliquid imaginatur ſine ſenſu. Ergo à fortiori magis poterit intellectus intelligere ſine phantaſmate.

Tertio. Ariſt. 8. Phyſ. tex 32. & in hoc 3. tex 8. ait, quod poſtquam intellectus eſt factus in actu per ſpeciem, non indiget alio motore. Ergo non indiget phantaſmate, quod dicitur mouere.

Quarto. Nullum agens vtitur alio niſi illud cognoſcat. Sed intellectus non cognoſcit phantaſmata, cum ſint ſingularia. Ergo.

Quinto. Aut tale phantaſma eſt primum motiuum, vel aliud. Non primum, quia iam functum eſt officio ſuo. Non ſecundum, quia ab eo non dependet.

Sexto. Sic numquam intellectus cognoſceret vniuerſale, ſine ſingulari, & conſequenter cognitio vniuerſalis ſemper eſſet comparatiua, & non abſoluta.

Septimo. Si intelligere neceſſario fieret per conuerſionem ad phantaſmata, eſſet propter rationem aſſumptam a S. D. prima parte loco citato, quia ſcilicet de ratione quidditatis materialis obiecti intellectus eſt eſſe in particulari. Nam exiſtere in particulari eſt modus naturæ. Sed modus eſt poſterior quidditate, & extra eius diffinitionem. Ergo non eſt de eius ratione.

Octauo. Intellectus non cognoſcit quidditatem exiſtentem in particulari cognitione viſionis, ſeu intuitiua, nec ſimplicis intelligentiæ, ſeu abſtractiua. Ergo. Probatur primum, quia ſic eſſet neceſſarium, quod intellectus videret illam naturam, non ſolum in hoc particulari, ſed etiam in exteriori ſenſibili, ſicuti eſt. Probatur ſecundum, quia eſſe in particulari nõ eſt prædicatum quidditatiuum. Talium aũt ſolũ eſt cognitio abſtractiua.

Nono. Modus, & natura ſunt vniuerſales, vnde non eſt neceſſarium, quod indiuiduum vagum cognoſcatur in hoc homine, ſcilicet in ſorte, ſed in aliquo homine. Ergo nõn erit neceſſaria cognitio naturæ ſenſibilis, vt exiſtit in particulari, eo modo quo requiruntur phantaſmata.

Decimo

Decimo. Sic intellectus ſeparatus perfecte non cognoſceret, quia non cognoſcit in particulari.

Vndecimo. Quia ratio ſolum valet de cognitione perfecta, & non de omni, ideſt etiam imperfecta.

Duodecimo. Hoc quoque eſſet neceſſarium in intellectu beatificato, quia procedit ſecundum naturam potentiæ cognoſcitiuæ.

Opiniones. Pro enodatione huius difficultatis primo venit notandum, quod fere omnes in hoc conueniunt, quod intellectus pro hoc ſtatu intelligit conuertendo ſe ad phantaſmata. Sed in cauſa diſcriminantur. Nam Sanctus Doctor reddit pro ratione, quia quidditas rei materialis, quæ eſt obiectum intellectus noſtri, non poteſt perfecte cognoſci, niſi vt eſt in ſingulari, quod per phantaſma repræſentatur. At Scotus in primo diſtinct. 3. quæſt. 3. duas alias cauſas reddit, ſcilicet primo in pœnam peccati originalis, & ſecundo propter cōcomitantiā potentiarum, vt quia v. g. imaginatiua, ſi cognoſcit lapidem, & intellectus eum cognoſcit. Sed prima cauſa ceſſat apud Ariſtot. qui ignorauit peccatum originale, & quia ſi homo crearetur in ſtatu innocentiæ, adhuc haberet connaturale intelligere per conuerſionem ad phantaſmata. Secunda vero, quia non oſtendit neceſſitatem, ſed ſolum concomitantiam aperit, non ſatisfacit Phil. de neceſſitate loquenti.

Modus exiſtendi in particulari triplex. Secundo notandum, ſecundum Caiet. quæſt. 84. art. 7. quod modus exiſtendi in particulari tripliciter poteſt ſumi. Primo radicaliter, quia ſcilicet ſubſtantia ſenſibilis, & intelligibilis in ſe includunt radicem ſingularitatis, ideſt ipſam materiam, quæ vt dicitur, quinto Metaph. eſt principium indiuiduationis, & materialis diſtinctionis. Secundo formaliter, ſed ſub aliqua ratione vaga, vt eſt aliquis homo. Tertio formaliter, ſed ſub ratione ſingularizata, pro quanto natura ſenſibilis dicitur exiſtere ſingulariter in hoc, & in illo ſingulari, v. g. in Petro, in Paulo, & in Antonio, & his omnibus modis, natura ſenſibilis dr̄ habere eſſe in particulari, nec perfecte pōt cognoſci, niſi in particulari. Radicaliter quidem, quia ipſa materia eſt principium diſtinctionis. Formaliter etiam, ſed ſecundo modo, & non tertio, quia in phantaſmatibus ſunt ſolum imagines ſingularium, & non ſingularia.

Eſſe cū particulari eſt modus rei. Tertio notandum, quod eſſe in particulari ſit de eſſentia quidditatis ſenſibilis, poteſt dupliciter intelligi. Primo, vt ei eſſentiale, vel vt proprium genus, vel vt differentia. Secundo vt modus intrinſecus, concomitans ipſam eſſentiam. Primo modo non eſt verum formaliter, ſed bene radicaliter, quia materia eſt pars quidditatis rei. Eſſentia autem quidditatis ſenſibilis diffinitur abſque omni ordine ad ſingulare, ſecundo ergo modo erit verum, quia ſunt quidam modi eſſentiales, & intrinſeci, qui concomitantur eſſentiam habentem eſſe in ſingularibus vt eſſe perfectum, eſſe principium paſſionum, & eſſe in ſingularibus quidditatis ſenſibilis.

Facien ad eius cognitionē perfectā. Quarto notandum, quod cognitio perfecta adhuc duplex eſt. Prima dicitur in genere, & hæc requirit tantum cognitionem prędicatorum eſſentialium, & intrinſecorum. Secunda dicitur perfecta terminatiua, quia rem ipſam cognoſcit, & ſecundum eſſentialia, & ſecundum modalia, prout etiam modi illi ſunt ſingularium, & in ſingularibus, & de hoc loquitur S. D.

Vt exiſtit in ſingularibus. Quinto notandum, quod cognitio rei ex duplici capite poteſt pēſari. Primo quoad conſtituentia eſſentiam, ſcilicet quoad genus, & differentiam. Secundo quoad determinantia rem

ad exiſtentia . Nam ſi res realis eſt, non ſolum habet eſſentiam, ſed & exiſtentiam. Si a primo capite penſetur, non eſt opus, vt intelligatur, prout habet eſſe in particularibus. Nam deſtructis ſingulis hominibus, adhuc remanet hominis ratio. Secundo vero modo eſt neceſſarium, quia exiſtentia ſe habet vt terminus cognitionis rei exiſtentis, quæ eſt ſingularis.

Et vt directe cognoſcitur Sexto notandum, quod in hac cognitione naturæ prout exiſtit in ſingularibus, non eſt neceſſarium, quod intellectus ſingularia directe cognoſcat, ſicut nec opus eſt dum ad phantaſmata ſecundum ſe conſiderata ſe conuertit quod illa directe intelligat, cum in illis naturam vniuerſalem intueatur. Ideo nota, quod aliud eſt cognoſcere modum naturæ exiſtentis in particularibus, & aliud eſt cognoſcere particularia. Nam modus vt habet rationem vniuerſalis vt quo, quia dicit modum, quo ſingularia ſubſiſtunt, poteſt directe cognoſci ab intellectu. Sed ſingularia non cognoſcit niſi reflexe. Et ideo intellectus dicitur cognoſcere directe naturam repræſentatum per phantaſmata, & reflexe ipſa phantaſmata, nec hoc durum eſt, quia etiam ſenſus cognoſcit accidens exiſtens in ſubſtantia, & tamen non cognoſcit ipſam ſubſtantiam.

Concluſio probatur. Quoad ſecundum principale concluſio eſt. Intellectus intelligendo, neceſſario conuertitur ad phantaſmata. Probatur. Obiectũ intellectus noſtri eſt quidditas rei ſenſibilis. Sed quidditas rei ſenſibilis nequit cognoſci niſi prout habet eſſe in particulari ſenſibili. Ergo per conuerſionem ad phantaſmata, quia in eis relucet ſic, vt ſupra explicuimus.

Argumẽtũ ſoluuntur. Ad primum dicendum, quod intellectus non eſt in actu, niſi dum per ſpeciem actu intelligit rem repræſentatam. Hæc autem ſemper relucet in phantaſmate, & ideo ſemper neceſſarium eſt phantaſma.

Ad ſecundum dicendum, quod phantaſma eſt ſimilitudo rei particularis, vnde imaginatio non indiget alia ſimilitudine rei particularis, ſicut facit intellectus.

Ad tertium dicendum, quod ibi poſuit differentiam inter intellectum exiſtentem in pura potentia, & inter ipſum conſtitutum in actu. Nam dũ eſt in potentia indiget motore, dũ vero eſt in actu, non, ſed ſe ipſo poteſt agere, ſed cum hoc, quod ſe conuertat ad phantaſmata.

Ad quartum dicitur ad maiorem, quod nullum agens alio vtitur niſi illud cognoſcat, vel per ſe, vel per aliud. Modo ad imperium intellectus imaginatio cognoſcit ſingulare. Vel ſecundo dicendum, quod intellectus eo modo cognoſcit, quo vtitur phantaſmate. Eo autem vtitur, vt eſt quoddam repræſentatiuum, repræſentat autem vniuerſale, prout illuminatum eſt, & in eo relucet quidditas rei materialis ſecundum ſupra dicta.

Ad quintum dicendum, quod non eſt primum, quo fuit ſpecies abſtracta, ſed eſt aliud ſimile.

Ad ſextum dicendum, quod vniuerſale nõ intelligitur, niſi vt in particularibus exiſtit, nec tamen hæc cognitio dicitur comparatiua, & complexa, quia intellectus rem ſimpliciter apprendit, vt habet eſſe in hoc, & in illo, non comparando tamen illam formaliter ad hoc, vel ad illud.

Ad ſeptimum dicendum, quod modus intrinſecus ſit extra rei cognitionem, & diffinitionem poteſt dupliciter intelligi. Primo extra quidditatiuam, & hoc verum eſt. Secundo extra totalem, & perfectam quidditatiuam, & modalem, & hoc falſum

ſum eſt, nam modus exiſtendi determinat quidditatem ad eſſe exiſtentiæ.

Ad octauum dicendum, quod cognoſcit cognitione abſtractiua. Ad improbationem vero dicitur, quod modus exiſtendi, non ſit prædicatum quidditatiuum, ſtat dupliciter. Primo formale, ſicut rationale eſt prædicatum formale hominis in primo modo perſeitatis. Secundo determinatiuum, quia determinat eſſentiam ad eſſe exiſtentiæ in particularibus, & participatiue, & hoc modo poteſt dici eſſe in primo modo perſeitatis, & hoc ſecundo modo, modus exiſtendi poteſt dici prædicatum quidditatiuum.

Ad nonum dicendum, quod cognoſcendo modum cognoſco etiam quibus conuenit, quia exiſtentia terminatur ad particularia. Vnde non cognoſco hominem ſecundum exiſtentiam in vniuerſali, ſed vt in particularibus exiſtit.

Ad decimum dicendum, quod in omnibus valet, quia angelus, & anima noſtra poſt ſeparationem a corpore intelligunt per ſpecies inditas, quæ non ſolum repræſentant naturæ vniuerſalitatem, verum etiam exiſtentiam in particularibus, vel abſolute, vel pro tempore ſuo.

Ad vndecimum dicendum, quod etiam valet de imperfecta ex parte rei, quia ſi res magis abſtracta pendet pro hoc ſtatu a phantaſmatibus, multo magis ab eis pendebit res imperfecta, quæ eſt materialior.

Ad duodecimum dicendum, quod ſolum valet pro hoc ſtatu, non autem pro ſtatu glorioſo, nam glorificatio aufert conuerſionem ad phantaſmata, tanquam quoddam imperfectũ, non conueniens illi ſtatui.

Anima eſt quodã modo omnia.

In ſuperioribus oſtendit Phil. quidnam ſit ſenſus, & quidnam ſit intellectus, in textu autem 37. patefacit quomodo anima ſit quodammodo omnia, & hoc tali ratione. Omne ens vel eſt ſenſibile, vel intelligibile. At intellectus, & ſeipſum, & ſenſum comprehendit. Ergo per ſenſum erit omnia ſenſibilia, & per intellectum omnia intelligibilia.

In eſſe intelligibili

In textu vero 38. docet, quod anima non eſt quodammodo omnia per complexionem, ſed per receptionem ſpecierum intelligibilium, vnde non eſt lapis, non eſt planta, non eſt animal materialiter i eſſe entitatiuo, ſed ſolum formaliter in eſſe intelligibili, & repręſentatiuo.

Non intelligit ſine ſenſu.

In textu autem 39. explicat quod intellectus non intelligit ſine ſenſu, quia nihil eſt ſeparatum a materia ſecundum cognitionem. Nam etiam mathematica, quamuis abſtrahant a materia ſecundum rationem, ſecundum rem tamen ſunt materiæ immerſa, & ſubſtantiæ ſeparatæ, quæ a ſe ſecludunt materiam ſecundum rem, & ſecundum rationem, non intelliguntur pro hoc ſtatu, niſi per ſuos effectus materiales.

Pro explicatione, & maiori examine non ſolum ſupradictorũ ſed etiã quorundam aliorum, quæ facere poſſunt ad hunc tractatum de anima intellectiua, adducam quaſdam difficultas propoſitas a D. Th. p. p. quæſt. 89.

QVAESTIO XXXIII.

Vtrum ratio ſit alia potentia ab intellectu.

Videtur, quod ſic. Primo. Quia in lib. de ſpiritu, & anima dicitur, quod dum ab inferioribus ad ſuperiora aſcendimus, prius occurrit nobis ſenſus, deinde imaginatio, deinde ratio, & poſtea intellectus. Ergo ratio, & intellectus diſtinguuntur.

Secundo Aug. lib. 10. conf. cap. 4. dicit, quod intellectus comparatur

ad

ad rationem, ſicut æternitas ad tempus. Sed æternitas, & tempus diſtinguuntur. Ergo etiam intellectus, & ratio.

Tertio. Homo per intellectum communicat cum angelis, & per ſenſum cum brutis. Sed ſenſus diſtinguitur ab intellectu. Ergo & ratio, quæ facit hominum rationalem.

Sed contra ponitur hæc concluſio. Intellectus, & ratio, ſeu intelligere & ratiocinari, non diſtinguuntur niſi ſecundum rationem. Probatur, Mouere, & quieſcere pertinent ad eandem potentiam. Sed intelligere importat ſimplicem rei apprehenſionem, & conſequenter quaſi quietem. Ratiocinari vero dicit motum intellectus. Ergo non diſtinguuntur realiter.

Ad primum primo dicimus, quod ille liber non habet multum auctoritatis. Secundo dicendum, quod omnia enumerata in argumento ſe habent ſicut diuerſi actus eiuſdem potentiæ, nam prius intellectus rem apprehendit, & deinde ratio circa illam ratiocinatur.

Ad ſecundum dicendum, quod intelligere comparatur æternitati, vt dicit ſimplicem apprehenſionem, & ratio tempori, quia diſcurſus fit in tempore, & in hoc tantum ſtat ſimilitudo, & non in eſſe.

Ad tertium dicendum, quod homo in ſe habet vtrumque, ſ. ſenſum, & intellectum, & ex his eſt vnus formaliter, & plures virtualiter.

QVAESTIO XXXIV.

Vtrum ratio inferior, & ſuperior ſint diuerſæ potentiæ.

Videtur quod ſic. Nam Aug. 12. de Trinitate dicit, quod imago Trinitatis eſt i ſuperiori parte animæ, & non in inferiori. Sed pars animæ eſt eius potentia per Ariſt. in hoc tertio tex. primo Ergo.

Secũdo. Nihil oritur a ſe ipſo. Sed ratio iferior a ſuperiori oritur. Ergo.

Tertio. Habet Phyl. in Sexto Eth. quod aliud eſt principium, quo cognoſcimus neceſſaria, & aliud quo cognoſcimus contingentia. Sed hęc nõ videntur niſi ratio ſuperior, & inferior.

Quarto. Hoc idem videtur dicere Damaſcenus .ſ. quod opinatiua ideſt ratio inferior, eſt alia ab intellectu, qui eſt ratio ſuperior.

Sed contra ponitur hæc concluſio. Ratio ſuperior, & inferior non ſunt diuerſæ potentiæ. Probatur ex D. Aug. ex quo deſumpta eſt præſens quæſtio. Nam ratio ſuperior eſt illa, quæ intendit rebus æternis conſpiciendis, & conſulendis, inferior vero, quæ intendit rebus temporalibus. Sed hæc ita ſe habent, quod vnum eſt medium ad alterum cognoſcendum. Igitur non diſtinguuntur. Probatur, quia medium, & id cuius eſt mediũ, vt ſic non diſtinguuntur.

Ad primum dicendum ad minorẽ, quod pars dupliciter ſumi poteſt. Primo pro potentia, & ſic ibi non ſumitur. Secundo pro actu, & operatione, & ſic ratio inferior, & ſuperior dicuntur partes .ſ. actus eiuſdem potẽtiæ.

Ad ſecundum dicendum ad minorem, quod ratio inferior proprie non oritur a ſuperiori, ſed ſolum per eam regulatur.

Ad tertium negatur minor. Nã, & temporalia, & ipſa vniuerſaliter ſunt neceſſaria.

Ad quartum dicendum, quod opinio, & aſſenſus ſunt actus intellectus, opinio, vt eſt cum formidine, & aſſenſus, vt eſt cum applicatione iudicij.

QVAESTIO XXXV.

Vtrum intelligentia ſit alia potentia ab intellectu.

Videtur quod ſic. Nam Boetius in 5. de conſolatione ait, quod ipſum hominem aliter ſenſus, aliter imaginatio, aliter ratio, & aliter intelligentia intuetur.

Secundo. Quia Damaſcenus enumerat intelligentiam, vt ab alijs diſtinctam.

Sed contra ponitur hæc concluſio. Intelligentia non eſt alia potentia ab intellectu, ſed ſolum ab ipſo diſtingui tur, ſicut actus a potentia. Explicatur. Intellectus enim eſt potentia intellectiua. At intelligentia non eſt niſi intellectus in actu ſecundo .i. dum actualiter intelligit, & propterea Angeli vocati ſunt intelligentiæ, quia ſemper intelligunt.

Argumẽta ſoluuntur. Ad primum dicẽdum ergo, quod Boetius pro intellectu intellexit potentiam, & pro intelligentia actum ſecundum intellectus, vt ſupra.

Ad ſecundum dicendum, quod intelligentia quandoque ſignificatur, vt diſtincta ab intellectu, quia intellectus dicit rationem diſcurſiuam, & intelligentia ſimplicem appræhenſionem. Et ideo ratio in rationalibus, & intelligentia in Deo, & Angelis reponitur.

QVAESTIO XXXVI.

Vtrum intellectus ſpeculatiuus, & practicus ſint diuerſæ potentiæ.

Videtur, quod ſic. Nam apprælienſiuum, & motiuum ſunt diuerſæ potentiæ. Sed intellectus ſpeculatiuus eſt tantum appræhenſiuus, & practicus motiuus. Ergo.

Secundo. Potentiæ diſtinguuntur per diuerſa obiecta. Sed intellectus ſpeculatiuus habet pro obiecto verum ſpeculabile, & practicus bonum amabile, quæ diſtinguuntur. Ergo.

Tertio. Sicut ſe habet exiſtimatiua ad imaginatiuam, ita ſe habet intellectus practicus ad ſpeculatiuum. Sed illæ ſunt diuerſæ potentiæ ſenſitiuæ. Igitur, & hi intellectus erunt diuerſæ potentiæ intellectiuæ.

Sed contra ponitur hæc concluſio. Intellectus ſpeculatiuus, & practicus, non diſtinguuntur niſi ſecundum rationem. Probatur. Quæ diſtinguuntur per diuerſas differentias accidentales, non diſtinguuntur realiter, ſed ſolum ſecundum rationem. Sic ſe habent intellectus ſpeculatiuus, & practicus. Nam accidit intellectui, quod intelligibile ordinet ad opus. Ergo.

Ad primum dicendum, quod duplex eſt motiuum. Primum dicitur executiuum motus, & hoc realiter diſtinguitur ab intellectu appræhendente. Secundum dicitur directiuum appræhenſionis .i. intellectus practicus ordinans ſcire ad opus, & hoc nõ diſtinguitur niſi ſecundum rationem ab appræhendente, i. ab intellectu ſpeculatiuo.

Ad ſecundum dicendum, quod obiectum vtriuſque intellectus, eſt verum, ſed cum differentia ſecundum rationem, quia intellectus ſpeculatiuus reſpicit verum, vt ſpeculabile, & practicus, vt ordinabile ad opus. Nec hic recenſenda eſt opinio Ianduni tenentis hos intellectus eſſe diſtinctos realiter, & datis tot viſus, tot auditus, quot ſunt differentie colorum, audibilium. Nam conſtat potentias non diſtingui per res, ſed per rerum rationes formales.

Ad tertium negatur maior.

QVAESTIO XXXVII.

Vtrum ſynderiſis ſit ſpecialis potentia: ab alijs diſtincta.

Videtur quod ſic. Nam D. Hieronymus Ezechielis primo diuidit ita-

iraſcibilem,& concupiſcibilem, & rationalem contra ſyndereſim. Igitur non continetur ſub vna ratione.

Secundo. Senſualitas eſt ſingularis potentia inclinãs ſemper ad malum. Ergo, ſyndereſis erit & ipſa ſingularis potentia, quia ſemper inclinat ad bonum.

Antequam conclusionem probemus, ſcito, quod ſyndereſis eſt quoddam motiuum, & inſtigatiuum ad bonum, & murmur quod ſentimus in cordibus noſtris de malo peracto, vel peragendo, & eſt quidam habitus naturalis, quo dirigimur in operabilibus; retrahens nos a malo, & mouens ad bonum.

Hoc ſtante ponitur hæc concluſio. Syndereſis non eſt ſpecialis potentia animæ, ſed eſt habitus naturalis, quo dirigimur in operabilibus. Probatur. Sicut ſe habent prima principia ſpeculabilia ad intellectum ſpeculatiuũ, ita ſe habent prima principia faciendorum ad practicum. Sed prima prĩcipia ſpeculatiua ſe habent vt habitus, quo dirigitur intellectus ſpeculatiuus, vt de notis ad ignota procedat. Ergo principia operabilium eodem modo ſe habebunt reſpectu intellectus practici. Sed ſyndereſis eſt principium operationis. Ergo erit habitus naturalis dirigens.

Ad primum dicendum, quod illa diuiſio attenditur ſecundum diuerſos actus eiuſdem potentiæ.

Ad ſecundum dicendum ſimiliter, quod oppoſitio ſenſualitatis, & ſyndereſis, non eſt oppoſitio diuerſarum potentiarum, prout potentiæ ſunt diuerſæ, ſed ſe tenet reſpectu oppoſitionis diuerſorum actuum harum potentiarum.

QVAESTIO XXXVIII.

Vtrum conſcientia ſit quædam potentia.

Videtur quod ſic. Nam Origenes dicit, quod conſcientia eſt ſpiritus corrector, & pedagogus ſociatus, quo anima ſeparatur a malo, & adhęret bono, ſed ſpiritus nominat aliquã potentiam. Ergo.

Secundo. Subiectum peccati eſt potentia animę. Sed conſcientia eſt ſubiectum peccati, vt habetur ad Th. primo. Ergo.

Tertio. Non videtur actus, nec habitus. Igitur erit potentia.

Sed contra ponitur hæc concluſio. Conſcientia eſt ſcientia, ſeu actus intellectus practici, quo dirigitur in operationibus. Explicatur. Nam cum aliquid mali facimus, & huic malo ſcientiam mali applicamus, & remordemur de eo, tunc dicitur conſcientia teſtificari nos malum feciſſe, & ideo nos ligare, vel ſoluere, prout cognoſcit aliquid eſſe agendum, vel fugiendum, ex quo dicitur bona, vel mala, nam ſicut intellectus practicus dicitur bonus, vel malus, prout ordinatur ad bonum, vel ad malum, ita & conſcientia.

Ad primum dicendum, quod Origenes ſumpſit ſpiritum pro ratione dictante ad bonum.

Ad ſecundum dicendum ad minorem, quod inquinatio malitiæ, & peccatum dicantur eſſe in conſcientia dupliciter ſtat. Primo tanquam in ſubiecto, & hoc falſum eſt, quia ſic ſunt in anima, vel in potentijs eius. Secundo tanquam in cognoſcente malum, & inquinamentum, & ſic ſunt in conſcientia.

Ad tertium dicendum, quod eſt actus ſemper manens in ſua cauſa .i. in ſyndereſi, quæ dirigit, & regulat con-

conſcientiam,& hæc inſulſe,& ſuperficialiter ſint dicta pro nouitijs.

LECTIO XXIII.

S. D. 14.

POſtquam Phil. egit de intellectu & ſenſu, hic incipit tractare de potentia motiua, ſed quia nolo immorari circa hæc,quæ dicuntur in reſiduis a Phil.cum nec multum difficilia, nec neceſſaria pro negotio noſtro cenſeantur, ideo notato cum Phil. hoc, quod inſufficiens fuit diuiſio antiquorum diſtinguentium potentias in rationales, & irrationales,quia potentia vegetatiua, & ſenſitiua non cōtinentur ſub iſtis.Item nec phantaſia, & vide in textu.

LECTIO XXIV.

QVAESTIO XXXIX.

Vtrum potentiæ animæ intellectiuæ, realiter diſtinguantur ab anima.

VIdetur quod non. Nam Aug. primo de Trinitate dicit,quod memoria,intelligentia, & voluntas ſunt vna vita, vna mors,& vna eſſentia. Ergo.

Secundo. Anima eſt nobilior quā materia. Sed potentia materiæ non diſtinguitur realiter a materia. Ergo nec potentię animæ realiter diſtinguuntur ab ipſa anima.

Tertio. Forma accidentalis eſt ſua virtus.Ergo multo magis forma ſubſtantialis,quia nec intenditur,nec remittitur.Antecedens prob. quia accidens immediate agit.

Quarto. Si potentiæ animæ non ſunt eſſentia animæ. Ergo erunt accidentia.Sed hoc eſt falſum per Aug. nono de Trin. dicentem, quod iſtæ potentiæ non ſunt in anima ſicut in ſubiecto, vt ſunt accidentia in ſubiecto, quia non excederent ſubiectum, mens autem poteſt præter ea, quæ ſunt in ſubiecto alia amare,& cognoſcere.

Quinto. Anima eſt, quo primo viuimus,ſentimus & intelligimus. Ergo non per aliquā potentiam, ab ea diſtinctam.

Sexto. Forma ſimplex non poteſt eſſe ſubiectum potentiarum, & accidentium. Sed anima eſt forma ſimplex. Ergo.

Septimo. Rationale correſpondet animæ intellectiuæ, non vt forma accidentalis, ſed vt ſubſtantialis. Ergo non dicit potentiam de genere qualitatis diſtinctam ab anima,vt eſt ſubſtantia.

Octauo. Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate. Sed anima ſimul cum organis eſt ſufficiens principium ad operationes vegetatiuas, & ſenſitiuas. Ergo & ad intellectiuas, vt ei propriores.

Nono. Quod formæ imperfectiori tribuitur, multo magis debet perfectiori attribui. Sed forma accidentalis eſt immediatum principium operandi,vt calor calefaciendi, & habitus ſcientificus aſſentiendi. Ergo & anima ſine potentijs diſtinctis.

Decimo. Aīa ex ſua natura habet, quod ſit intellectiua veri, & appetitiua boni. Igitur non per potentias diſtinctas, ſcilicet per intellectum, & voluntatem.

Vndecimo. Quæcunque ſunt diſtincta realiter, poteſt Deus ſeparare. At non poteſt ſeparare paſſiones animæ ab ipſa anima, non enim poteſt eſſe intellectiua, ſine intellectu. Ergo.

Duodecimo. Quod perfectionem importat, eſt animæ intellectiuæ attribuendum; At eſſe principium immediatum operationum perfectionē importat. Vnde etiam Deo attribuitur.

tur. Ergo anima non diſtinguitur a potentijs, quibus mediantibus dicitur operari.

Tertiodecimo. Quæ eadem generatione generātur, & eadem corruptione corrumpuntur ſunt idem realiter, per Ariſt. 4. Methaph. Sed anima, & eius potentię ſimul generantur, vt patet. Ergo.

Quartodecimo. Saltem memoria non videtur alia potentia ab intellectu. Nam Auguſt. in 10. de Trinit. ponit in anima memoriam, intellectum, & voluntatem.

Quintodecimo. Probatur oppoſitum, quia memoria eſt conſeruatiua ſpecierum. Sed hoc attribuitur intellectui a Phil. tex. 6. Ergo.

Opiniones. Ad claritatem huius quæſtionis. Primo notandum venit, quod circa eam ſunt quatuor opiniones. Prima eſt Greg. Arimin. in 4. diſt. 16. q. 2. Gabr. quæſt. vn. artic. 2. concluſ. 2. Ocham quæſt. 24. & 26. & quorundam aliorum, quod anima non diſtinguitur ab intellectu, memoria, & voluntate nisi ſecundum modum ſignificandi, quia eadem anima vt intelligit dicitur intellectus, vt vult voluntas, & vt memoratur memoria.

Secunda eſt Scoti, & Scotiſtarum diſt. 16. quæſt. vn. & D. Bonauenturæ in primo diſt. 3. quæſt. 3. ſcilicet, quod anima non ſolum ex opere intellectus, ſed formaliter, & ex natura rei diſtinguitur a ſuis potentijs.

Tertia eſt Henrici quidlib. 3. q. 14. quam videtur ſequi Dur. in primo diſtinct. 3. par. 2. quæſt. 2. Nam hi fatentur animam diſtingui a ſuis potentijs, prout potentiæ ſupra ipſam addunt quendam modum, ſeu quandam relationem ad actum, quia anima vt intellectiua dicitur habere relationem ad intelligere, & quatenus volitiua ad velle.

Quarta ſententia eſt S. D. prima parte quæſt. 77. art. primo, & in angelis quæſt. 54. art. 3. & pluribus alijs in locis cum Caiet. & Bannes Alberto Magno in 1. diſt. 3. art. vlt. Alenſi 2. quæſtion. 65. memb. 2. Ægidio, Henrico, & alijs multis apud Ruuium ſecundo de Anima quæſtio. 1. quod Anima realiter diſtinguitur a ſuis potentijs ſcilicet ab intellectu, memoria, & voluntate.

Proximū principiū operation. m animæ eſt potentia. Secundo igitur notandū, quod operationes potentiarum animæ habent duplex principium, ſcilicet primū, & proximum. Primum eſt anima, quæ cum det eſſe, dat etiam operationem. Proximum eſt ipſa potentia, v. g. primum principium intelligendi eſt anima, quia ipſa habet, quod ſit principium intellectus, ſed proximum eſt ipſe intellectus, quia anima vtitur intellectu ad intelligendum, & voluntate ad volendum, quia ſubſtantia non agit niſi mediante potentia.

Vt quo. Tertio notandum, quod primum principium, vocatur principiū quod, & proximum quo, nam ſubſtantia immediate producit ſubſtantiam, vt quod, quia inter ſubſtantiam producendam, & producentem non datur alia media ſubſtantia, quæ ſe habeat vt quod, ſed inter ſubſtantiam producentem, & productam mediat principium quo, ſcilicet ipſa potentia, qua mediante ſubſtantia operatur.

Et eſt eiuſdem generis cū ſuo actu. Quarto notandum, quod duplex eſt potentia. Prima dicitur eſſentialis, quæ reſpicit actum proprium eſſentialem, v. g. materia eſt potentia eſſentialis de genere ſubſtantiæ reſpiciens formam ſubſtantialem, & talis potentia eſt eiuſdem generis cum ſuo actu. Secunda dicitur potentia accidentalis, ſcilicet ad operationem ſupponentem actum eſſentialem. Et hæc non eſt eiuſdem generis cum ſuo primo principio, ſed bene cum ſuo actu. Vnde dicimus potentias animæ, & eorum actus eſſe de genere qualitatis,

&

& animā eſſe de genere ſubſtantiæ.

Quinto notandum, quod anima, ſicut & quodlibet ſubiectum non ſolum eſt cauſa materialis ſuarum paſſionum, vt in eo ſubiectantur, verum etiam dicitur earum cauſa effectiua, quia eas producit. Sed duplex eſt efficiens. Quoddam enim producit effectum media aliqua actione, ſicut ignis calefacit aquam, mediante calore. Quoddam vero producit effectum naturali ſequela, quia ſcilicet ad eſſe ſubiecti naturali concomitantia, & abſque media alia actione ſequuntur conſequentia, & ſic aīa dr̄ eſſe cauſa ſuarū paſſionum effectiue, quia dum ipſa producitur, eadem actione potētiæ eius ab ea fluunt naturali ſequela. Eſt autē anima intellectiua in hoīe cauſa potentiarū ſenſitiuarū, &c. quæ ſunt corporeę, & extenſę, ipſa vero nequaq̄, vñ oportet vt ab eis diſtinguat' vt alia entitas.

Secundo loco principali ponitur hæc cōcluſio. Anima realiter diſtinguitur a ſuis potentijs. Probatur duabus rationibus S. Doct. prima parte quæſt. 77. artic. 1. quarum prima eſt. Quæ ſunt diuerſorum generum diſtinguuntur realiter. Sed anima, & eius potentia ſunt diuerſorum generum, nam anima eſt de genere ſubſtantiæ, & potentiæ de genere qualitatis. Ergo maiorem eſt Ariſth. 9. Metaph. Confirmatur ex Ariſt. Nam 1. de Aīa text. 11. & in 2. text. 2. Animam dicit eſſe actū corporis, intellectum vero nequaquā. Ergo diſtinguuntur realiter, i. entitate, quia ſcilicet aīa eſt entitas quæ eſt forma corporis, non ſic intellectus. Idem docet, i. Ethic. ad Nicomachum.

Secundo. Eſſe & operari in creatis diſtinguuntur realiter. Ergo & ſubſtantia, quæ dicit eſſe, & potentia, quæ dicit proximum principium operationum, & quia eſſe eſt de genere ſubſtantiæ, & operari accidentis. Vide Caiet. prima parte quæſt. 77. art. 1. & ibi Dominicum Bannes, & Iauellum ſecundo de Anima, quæſt. 12.

Tertio probatur ex D. Aug. 15. de Trinitate cap. 7. vbi dicit mentem non eſſe animam, ſed aliquid eius & D. Dionyſius cap. 11. cæleſtis Hierarchię, aliam dicit eſſe ſubſtantiam Angelorum, & aliā virtutem, & operationem, & idem docent alij patres.

Ad primum dicendum, quod memoria, intelligentia &c. dicuntur vna vita ſubiecto, quia fundantur in vna animæ vita, non tamen ſunt idem realiter. Secundo dico, qd hæc ſunt vnū totū poteſtatiue, q̄a totū poteſtatiuū adeſt omnibus ſuis partibus ſ'm eſſentiam, & ſi non ſecundum virtutem.

Ad ſecundum dicendum, non eſſe eandem rationem de materia prima reſpectu formę, & de Anima reſpectu ſuarum potentiarum. Nam materia prima eſt in potentia eſſentiali ad formam, & ideo ex nullo eſſe poteſt eſſe diſtincta a forma. Anima vero habet eſſe, & ſupponitur habere eſſe, & deinde producere potentias naturali ſequela, vt diximus.

Ad tertium dicendum, quod forma accidentalis non eſt ſua virtus nec agit, ſed compoſitum eſt illud, quod operatur, & tunc forma ſubſtantialis ſe habet, vt primum principium, & potentia, vt proximū quo.

Ad quartum dicendum, quod potentiæ ſunt accidentia, ſed non media actione producta, ſed naturali ſequela. Ad Auguſtinum dicitur, illum voluiſſe inſinuare, quod non ſolum amor, & cognitio animæ ſunt in ipſa, ſed etiam alia, quia ſic accidens excederet ſubiectum.

Ad quintum dicendum, quod ly primo ſumitur pro primo, & non pro proximo.

Ad ſextum dicendum, quod duplex eſt ſubiectum, quoddam compoſitum ex materia, & forma, & hoc

eſt

eſt ſubiectum accidentium materialium, quoddam vero vocatur ſubiectum compoſitum ex actu, & potentia, & hoc poteſt eſſe ſubiectum potentiarum, ſicut eſt anima. Actus autē purus, qualis eſt Deus nullius accidentis poteſt eſſe ſubiectum, & hoc voluit ſignificare Boetius.

Ad ſeptimum dicendum, quod ly rationale ſecundum rem ſtat pro anima intellectiua, & ideo dicitur differentia eſſentialis, ſignificatur tamen per modum qualitatis, quia minus nota per notiora explicamus.

Ad octauum dicendum, quod etiam dato, quod anima ſenſitiua ſimul cum organis ſit ſufficiens principium ſuarum operationum, adhuc tamen ſunt neceſſariæ potentiæ realiter diſtinctæ ab aīa vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua, quia anima non agit niſi mediante potentia.

Ad nonum negatur maior abſolutè, quia multa attribuuntur formæ imperfectiori, quæ non poſſunt attribui perfectiori. Potentia ergo, quia ſolùm dat operationem, ideo eſt eiuſdem generis cum operatione. At quia anima primo dat eſſe, & ſecundo operationem, ideo non poteſt eſſe immediatum principium, ſed bene primum, & hoc ſignificat in ea perfectionem ſibi poſſibilem.

Ad decimum primo dicitur, quod anima ſecūdum ſuam naturam habet, qđ ſit intellectiua veri, & appetitiua boni radicaliter, ſed formaliter & proxime, hoc non habet niſi per intellectum, & voluntatem. Nam etiam ignis, ſua natura, & radicaliter dicitur calefactiuus, & tamen non calefacit ſine calore.

Ad vndecimū admiſſo, quod per abſolutā Dei potentiā poſſit ſeparari paſſio a ſubiecto, de qua re egi in Septimo Metaphyſicorū modo dico ad maiorem, quod erit vera ſi naturaliter non ſe conſequuntur, ſicut faciunt anima, & eius potentia. Dato autem quod Deus ſepararet intellectum ab anima non eſſet in ſtatu violento, ſicut nec in tali ſtatu eſt quodlibet accidens ſeparatum a Deo a ſubiecto, quia in quolibet ente eſt potentia obedientialis prompta ad Deum; Faceret tamen tunc Deus, quod ens ſeparatū in actu non ageret ſecūdum propria, ſed quod tantum aptitudine agere poſſit.

Ad duodecimum dicendum ad maiorem, quod illud, quod importat perfectionem conuenientem animæ intellectiuæ eſt ei tribuendum. At eſſe primum, & immediatum principium operationū ſoli Deo conuenit.

Ad deciummtertium ſatis diximus in quarto Metaphiſicorum, pro nunc autem dicitur, quod propoſitio eſt vera, ſi vtrunque eodem modo generetur, & non vnum primo id eſt homo, & conſecutiue aliud, ſcilicet intellectus.

Ad decimumquartum dicendum, quod memoria non eſt alia potentia intellectiua ab intellectu, niſi prout intellectus vt eſt in actu primo .i. vt eſt cōſeruatiuus ſpecierū dicitur memoria, & vt eſt in actu ſecundo, id eſt dum actu intelligit, dicitur intellectus.

Ad decimūquintū dicendū, quod diſtinguuntur ſm̄ rationem, vt ſupra.

QVÆSTIO. XXXX.

An potentiæ animæ effectiue ſint ab anima.

VIdetur quod nō. Primo. Subſtantia non eſt immediatum principium productionis alicuius, ſed agit medio accidente, ideo ſubſtantia aiæ eſt primum principium, & potentiæ proximum. Ergo non ſunt ab anima Secūdo. Sic ſequeretur, quod anima

aliqua potentia per miraculum priuata, vt intellectiua intellectu, & ſenſitiua viſu, naturaliter ſiue naturæ relicta potẽtiam ſuam recuperaret, ſicut aqua per ignem calefacta, ſuæ naturæ relicta naturaliter recuperat ſuam frigiditatem. At hoc eſt falſum, quia a priuatione ad habitum naturaliter non datur regreſſus. Ergo.

Tertio ſi ſunt effectiue ab anima, aut per actionem diſtinctã a generatione compoſiti, vel a creatione animæ, aut non. Primum nõ admittunt Doctores Thomiſtæ vt Caiet. 1.p.q. 54. art. 3. & clarius. q. 77. art. 1. ad ſecundum, & tertium, Bannes, art. 6. & S.D. expreſſe ad tertium. Si ſecundũ, hæc non erit emanatio ab anima, ſed productio a generante.

Pro dilucidatione huius quæſtionis primo ſcito Cõment. 4. Metaph. Comm. 2. Iandunum 2. de Anima q. 10. & Niphum tex. 29. tenere potentias animę effectiue nõ eſſe ab anima, ſed ad ſummum ad eam pertinere ſicut ad cauſam materialem, & finalem. Oppoſitum docent. S. D. p. p. qu. 77. artic. 5. & 7. Caiet. & Bannes ibidem.

Secundo ergo nota, quod anima in eodem inſtanti in quo producitur, ſimul cum ea omnes eius potentiæ comproducuntur, cum ei ex vi generationis debeantur, vel creationis virtute, vnde non damus duas productiones, vna qua producatur anima ab efficiente, & altera qua anima producat potentias ſuas, vt tenuerunt Suarez diſp. 18. trac. 3. nu. 4. & 5. ſuę Metaph. & alij plures. Ideo.

Tertio loco pono hanc cõcluſionem. Potentiæ animæ effectiue ſunt ab anima, ſed naturali ſequela, & cõcomitantia. Probatur primo prima pars concluſionis. Potentiæ animæ continentur in virtute animæ. Ergo per virtutem animæ producuntur, ergo effectiuæ quia virtus efficit. Confirmatur experientia, quia ſi aqua calefacta ſuæ naturæ relinquatur a frigiditate eius potentia ſe reducit ad frigiditatem.

Ad primũ ergo dicitur quod maior currit de productis media actione, & non in productis naturali concomitantia.

Ad ſecundum dicitur, quod anima ſuæ naturæ relicta potentia orbata, ſe reduceret ad propriam naturam ſi haberet omnia requiſita .i. diſpoſitiones debitas, & nullum ei obeſſet impedimentum, ex quibus eſt quod non poſſit dari regreſſus a priuatione ad habitum.

Ad tertium diximus quod eſt cõproductio. Sed arguunt tenentes animam diſtincta actione a productione compoſiti .i. media actione potẽtias producere. Primo, quia creatio diſtinguitur realiter ab eductione potentiæ de natura ſubſtantiæ, i. deſt animæ, nam prima eſt ab extrinſeco, ſecunda ab intrinſeco. Secundo, quia diuerſę dependentiæ dicunt diuerſas actiones ab agente. At aĩa alio modo depẽdet ab agente q̃ potentia ab aĩa. Ergo ſunt diſtinctæ actiones.

Se his de facili reſpondetur. Ad primum enim dicitur, quod illę actiones diſtinguuntur vt includẽs, & incluſum, quia efficiẽs immediate producit aĩam, et ea mediãte potẽtias, ſed eadẽ actione ſicut eadẽ actione creatiua Deus produxit Solẽ, & lucẽ eius. Eſt ergo diſtinctio in ordine ad cauſas, nõ in ordine ad productiones, & per hoc patet reſpõſio ad ſecundum, & ẽt notum erit vnam potentiam ab alia in eadem productione emanare poſſe. Secundum S.D. p. p. q. 77. art. 7.

Baſilęę anno 1599. & Venetijs 1616.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. EMANUELE